ACTA ET DOCUMENTA CONCILIO OECUMENICO VATICANO II APPARANDO

SERIES I
(ANTEPRAEPARATORIA)

VOLUMEN II

CONSILIA ET VOTA
EPISCOPORUM AC PRAELATORUM

PARS I: EUROPA

ANGLIA - AUSTRIA - BELGIUM - DANIA
FINNIA - GALLIA - GEDANUM - GERMANIA

(SUB SECRETO)

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLX

DOCUMENTA

DOCUMENTA

I

Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico a Summo Pontifice Ioanne XXIII fel. regn. munus imprimis demandatum est omnium Episcoporum et Praelatorum totius orbis animadversiones, consilia et vota colligendi circa res et argumenta, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent.

In primo sollemni coetu habito die 30 iunii 1959, in Aedibus Vaticanis, coram Sanctissimo, Em.mus P. D. Dominicus S. R. E. Card. Tardini, Commissionis Praeses, haec rettulit: « La Commissione ha inteso dare reale inizio al lavoro con la solenne Udienza di oggi e con la particolare benedizione del Santo Padre. Tuttavia in questo tempo si è studiato il modo più opportuno per rivolgersi all'Episcopato e a tutti coloro, che saranno i Padri del futuro Concilio Ecumenico. In un primo tempo si era pensato di inviare loro, insieme alla lettera, un piccolo schema di domande o di articoli, sulla base dei quali avrebbero potuto, con tutta libertà, formulare i loro desideri, voti e suggerimenti.

Qualcosa di simile era stato fatto nel 1867 dall'Em.mo Card. Caterini, Prefetto della S. Congregazione del Concilio, in vista del Concilio Vaticano, peraltro non ancora annunziato. E l'iniziativa aveva avuto buon esito.

Ma poi è sembrato più opportuno inviare una Lettera Circolare, nella quale si indicassero, per sommi accenni, le questioni cui gli Ecc.mi Vescovi avessero potuto riferirsi nelle loro risposte.

Il testo della Lettera è stato approvato dal S. Padre: e la Segreteria sta già provvedendo alla spedizione delle lettere, che sono tutte firmate dal Cardinale Presidente ».[1]

---

[1] *Verbali delle adunanze della Pontificia Commissione Antipreparatoria per il Concilio Ecumenico.* Adunanza del 30 giugno 1959, pp. 10-11.

II

Litterae, quibus Exc.mi Episcopi et Praelati rogantur communicare suas animadversationes, consilia et vota circa res et argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt.

PONTIFICIA COMMISSIO ANTEPRAEPARATORIA
PRO CONCILIO OECUMENICO

Prot. N. I C/59 E Civitate Vaticana, die 18 iunii 1959

Excellentissime Domine,

Pergratum mihi est significare Excellentiae Tuae Rev.mae Summum Pontificem Ioannem XXIII fel. regn. die 17 maii 1959, in Festo Pentecostes, instituisse Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico, cui Commissioni praeesse infrascripto honorificum est.

Desiderat in primis Augustus Pontifex cognoscere opiniones seu sententias atque colligere consilia et vota Exc.morum Episcoporum atque Praelatorum, qui in Concilium Oecumenicum ex iure vocantur (can. 223): maximum enim Sanctitas Sua tribuit momentum sententiis, consiliis et votis eorum qui futuri Concilii Patres erunt: ea autem maximae extabunt utilitatis pro Concilii argumentis apparandis.

Rogo igitur enixe Excellentiam Tuam ut communicare faveas huic Pontificiae Commissioni, omni cum libertate et sinceritate, animadversiones, consilia et vota, quae pastoralis sollicitudo zelusque animarum Excellentiae Tuae suggerant circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Huiusmodi res et argumenta respicere possunt sive quaedam doctrinae capita, sive disciplinam cleri et populi christiani, sive actuositatem multiplicis generis, qua hodie Ecclesia tenetur, sive negotia maioris momenti, quae eadem Ecclesia obire hodiernis debet temporibus, sive denique caeteras omnes res, quas Excellentiae Tuae exponere et enucleare visum fuerit.

In hoc labore conficiendo Excellentia Tua uti poterit, discreta quadam ratione, consilio virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium.

Haec Pontificia Commissio veneranda cura plenoque obsequio ea omnia accipiet, quae Excellentiae Tuae visa fuerint Ecclesiae animarumque bono profutura.

Responsiones omnes lingua latina exarentur: easque velit Excellentia Tua mittere ad hanc Pontificiam Commissionem (Città del Vaticano) quam primum, sed, si fieri potest, non ultra diem primam septembris currentis anni.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Excellentiae Tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor

Excellentiae Tuae Rev.mae
add.mus
D. Card. TARDINI

III

Litterae, quibus Rev.mus Secretarius Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae gratias agit Exc.mis Episcopis et Praelatis ob datas responsiones.

PONTIFICIA COMMISSIO ANTEPRAEPARATORIA
PRO CONCILIO OECUMENICO

Excellentissime Domine,

Rite pervenerunt ad hanc Pontificiam Commissionem litterae Excellentiae Tuae Reverendissimae, quibus Tu respondens ad epistulam Eminentissimi Cardinalis Praesidis diei 18 iunii 1959, manifestas animadversiones, consilia et vota de rebus et argumentis in futuro Oecumenico Concilio pertractandis.

Pro tanta navitate et sollicitudine, honori mihi est, nomine Eminentissimi Cardinalis Praesidis ac totius Commissionis, plurimas gratias Excellentiae Tuae referre.

Omni quo par est obsequio Excellentiam Tuam prosequor meque profiteor

Excellentiae Tuae Reverendissimae
add.mum et dev.mum

PERICLEM FELICI
Secretarium

IV

Litterae, quibus Exc.mi Praesules, quorum responsio ad hanc diem non pervenit, rogantur respondere intra mensem aprilem h.a.

PONTIFICIA COMMISSIO ANTEPRAEPARATORIA
PRO CONCILIO OECUMENICO

Prot. N. 1 C/59-bis E Civitate Vaticana, die 21 martii 1960

Excellentissime Domine,

Die 18 iunii 1959 datae sunt Excellentiae Tuae Rev.mae litterae Em.mi D. Card. Dominici Tardini, huius Pont. Commissionis Praesidis, quibus Excellentia Tua rogabatur communicare omni cum libertate et sinceritate animadversiones, consilia et vota de rebus et argumentis, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent.

Cum hactenus nulla responsio Excellentiae Tuae ad hanc Commissionem pervenerit rogo enixe Excellentiam Tuam ut responsionem intra mensem aprilem p. v. ad hanc Commissionem mittere faveas: quae responsio gratissima erit Summo Pontifici, qui directe et per se ipsum apparando Concilio invigilat laboresque moderatur.

Exemplar litterarum Em.mi D. Card. Tardini heic, pro commoditate, adnectitur.

Omni quo par est obsequio Excellentiam Tuam prosequor meque profiteor

Excellentiae Tuae Rev.mae
add.mum

PERICLEM FELICI
Secretarium

ANGLIA

1

Exc.mi P. D. FRANCISCI WALSH

Episcopi Aberdonensis (Aberdeen)

1 C/59-65 27 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Cum his litteris mandantur responsiones meae in re Concilii Oecumenici, cum prece ad D. O. M. directa ut animadversiones meae alicuius, minimi libet, momenti sint.

Ex corde me profiteor Eminentiae Tuae

Addictissimus

✠ Franciscus Walsh
Episcopus Aberdonensis

Vota episcopi Aberdonensis pro Concilio Oecumenico

De legibus ecclesiasticis

Optandum puto methodum decreta generalia promulgandi reformandam esse. Etiam quae per Delegatum Apostolicum apud Londinium nobis nota fiunt, pluries tardius perveniunt quominus sacerdotibus et fidelibus promulgentur.

Optandum pariter, ut multiplicetur numerus sacerdotum in re canonica peritorum, ita ut, inter alia sequela, magis « decentralizetur » administratio versus tribunalia metropolitana.

De rebus

De Sanctissima Eucharistia.

Videtur lex ieiunii eucharistici adhuc esse mitiganda. Ex una parte adhuc graviter onerantur multi sacerdotes, praesertim qui binant et ternant; ex alia autem perdifficile est horam statuere pro missa serotina celebranda in commodum fidelium, et hoc praecise propter ieiunium trium horarum.

De Stipendiis missarum.

Praesertim in Missis manualibus magis est removendum periculum simoniae et negotii.

De Indulgentiis.

Pro vita spirituali et penitentiali fidelium fovenda, videtur numerum indulgentiarum esse valde imminuendum, et pariter facilitatem lucrandi. Ex alia parte videtur facultatem indulgentias concedendi magis in ordinarias facultates cleri inducendam. In mente habeo praesertim facultatem indulgentias adnectendi coronis et rosariis.

De temporibus sacris

De Diebus Festis.

Opto in bonum religionis ut aboleatur omne festum de precepto. Videtur pariter ieiunium esse consulendum potius quam imponendum.

De cultu divino

Exceptis forsan liturgiis pontificali et monastica, optandum videtur totum cultum nostrum esse lingua vernacula peragendum.

Ad fontes videtur pariter redeundum ritus simplificando et sacram supellectilem. Etiam ultra fontes videtur redeundum simplificando e. g. ritus in altari et ecclesia consecrandis.

De Divino Officio.

Extra monasteria videtur reducendum in quatuor horas, quarum prima et ultima non obligarent clerum in conscientia:

Hora Prima;
Hora Matutina;
Hora Vespertina;
Hora Completorii.

Hora Matutina locum teneret « Missae Catechumenorum » in Missa Matutina.

Hora Vespertina locum teneret « Missae Catechumenorum » in Missa Vespertina.

Notabiliter reducendus videtur numerus festorum in Santorali, et omni ope fovenda lectio Sacrae Scripturae et SS. Patrum.

De Sacrificio Missae.

Dum « Missa Catechumenorum », cum catechesi et praedicatione, videtur extendenda, « Missa Fidelium » videtur contrahenda. Si Missa lingua vernacula legitur, tota videtur alta voce legenda.

De Magisterio ecclesiastico

Cum « propaganda » hodierna viva voce potius quam libris et ephemeridibus nitatur, videtur scopum legis esse augendum de falsa doctrina disseminanda. Generatim loquendo, meliores fructus attendi possunt principia et pericula praedicando quam auditionem vel lectionem huius « propagandae » penitus prohibendo.

Datum Aberdoniae, die 27 augusti 1959.

✠ FRANCISCUS WALSH
Episcopus Aberdonensis

2

EXC.MI P. D. MICHAELIS J. MCGRATH
Archiepiscopi Cardiffensis (Cardiff)

Die 9 aprilis 1960

Ill.me et Rev.me Domine Felici,

Magnopere me piget tantam tarditatem hactenus attulisse litteris ab Eminentissimo ac Reverendissimo Cardinale Dominico Tardini praeterito tempore autumnali a me (Prot. Num. 1 C/59-312) acceptis. Velim me habueris excusatum.

Ecce, itaque responsum quod spero Beatissimo Patri gratum futurum esse.

Dum sueti peculiaris obsequii sensus tibi pando profiteor

Excellentiae Tuae Rev.mae
In Domino addictissimum
✠ MICHAEL MCGRATH
Archiepiscopus Cardiffensis

Die 8 mensis aprilis 1960

Beatissime Pater,

In praeterito Hierarchiae Angliae et Cambriae conventu autumnali apud Londinium, Praeses Perpetuus, Eminentissimus Dominus Cardinalis Guglielmus Godfrey, Archiepiscopus Rev.mus ac Ill.mus Westmonasteriensis, consilia, sententias ac vota omnium episcoporum plene per-

pensa excepit, promittens se sine mora Romam haec vota etc. ad Rev.mum ac Ill.mum Dominum Cardinalem Tardini, Praefectum Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico missurum esse.

Cum autem, paucis abhinc diebus, ego, Archiepiscopus Cardiffensis subsignatus, a Rev.mo ac Exc.mo P. Felici litteras acceperim quae me enixe rogant ut ad Sanctitatem Tuam ante mensis huius finem, sententias ac animadversiones meas privatas mittam, Tuae Paternitatis considerationi subiiciendas de eodem Concilio Oecumenico, cum omni humilitate et sinceritate ad hoc opus perficiendum me accingo.

Beatissime Pater, ut clare animadversionum mearum vis tibi patefiat, dicendum mihi est me iam complevisse quadraginta annos et amplius, ut sacerdos saecularis primo, ac postea, episcopus Meneviae ac posthac, Archiepiscopus Cardiffensis. Cum in Meneviam pervenissem breviter intellexi quam utile mihi foret linguae Cambrensis acquisitio ad opera conversionis huius populi ad fidem catholicam perferenda. Itaque, cum essem apud Aberystwyth ut missionis rector, perfeci totum cursum Cambrensis Literaturae quae vernacule fit, in Universitatis collegio istius civitatis. Porro, « cum experientia sit rerum magistra » satis accurate loqui possum de Cambriae populo. Quod ad alios orbis populos extra Magnam Brittaniam Hiberniamque attinet, quasi nihil scio nisi quod continetur in plerisque libris et diurnis qui apud has gentes publicantur.

Provincia Cambriae

Totius provinciae populatio numeratur circiter 2.760.589, secundum ultimum Magnae Brittaniae censum anno 1951 officialiter habitum. Catholici pertinentes ad Archidioecesim aestimantur 88.940, ad Dioecesim Meneviae vero, 29.300. Totus populus Catholicorum ad numerum 118.240 attingit. Incolae Cambricae vernaculae computantur circiter 750.000, quorum maxima pars constat ex agricolis et ruricolis qui plerumque incolunt septem Meneviae comitatus. Archidioecesis non possidet nisi ruricolas, plerumque senes sexaginta et amplius annorum loquelae Cambricae, « Nonconformistae » religione et aliquos alios qui pertinent ad « Ecclesiam Angliae ». Nisi docebitur generaliter in scholis lingua Celtica Cambriae in Archidioecesi morietur, aut permanebit ut vernacula pure artificialis.

Longe maxima Catholicorum pars in duabus Dioecesibus extat e stirpe Hibernica (tertiae vel quartae generationis exulum ex insula Hiberniae). Reliqui Catholici sunt, quasi omnimodum « Neoconversi ». Acatholici Cambrenses distribuuntur in fere duodecim sectas quarum quatuor, Baptistae, Methodistae et duae species « Calvinistae » sunt infensi Catholicae Ecclesiae hostes.

Nunc occurrit quaestio. Quaenam futura sit Ecclesiae Catholicae sors in Cambria? Respondeo dicendum impossibile esse iudicare nisi prius dignoscerimus « temporum signa », eiusque sortem in temporibus praeteritis, eiusdem quoque conditionem religiosam in praesenti.

A) Ubicumque iam sublata sit loquela Cambriae ut lingua incolarum naturalis, sicut res se habet in Archidioecesi nostra et partim in Dioecesi Menevensi, nil detrimenti patietur Ecclesia Catholica *per se,* in istius linguae disparitione. Attamen *per accidens,* dicendum est imminere Ecclesiae magna pericula quae Sectas Acatholicas iamdudum, et in specie, a primo bello mundiali (1914-1918) haec corpora religiosa erodiunt.

Huiusmodi pericula clare dignoscuntur:

1. Crescentia Indifferentismi Religionis in fere omnibus sectis; Atheismus in rerum usu et tractatione ubique videtur, sicut quae in mundo anglico invenitur, e. g. in Magna Brittania, U.S.A., Australia, etc. et inde mala decurrentia. Huiusmodi mala sunt *paganismus novus,* scilicet, nostrae aetatis, qui colit non statuas deorum antiquorum, aureas et argenteas, verum deos ipsos veritabiles, i. e. spiritus seu angelos damnatos quos statuae illae olim repraesentabant.

2. Materialismus qui ubique grassatur, specialiter in Cambria Australi.

3. Divortium: cadaverum crematio (etiam ministrorum Nonconformistarum): impuritatis vitia ut e. g. abortus etc. « O Tempora. O Mores! ».

4. Tres ephemerides « officiales » parum verecundae. Denique, societas nostra acatholica plerumque describitur ut « postchristiana ».

Qualem vim habitura sit talis Societas Acatholica in plebem nostram (quae nunc temporis, est, plerumque ipsa societas urbana) difficile est dicendum.

Adversus Ecclesiam Suam Catholicam supra Petrum eiusque successores aedificatam, « non praevalebunt portae inferni ». Sic promisit Christus Dominus et mundi historia indubitanter probat de Ecclesia generali certissime; attamen non de ulla ecclesia particulari i. e. de Ecclesia ut existit in illa regione vel terra speciali. Hoc factum clarissime demonstratur historice.

B) Itaque, Sanctissime Pater, ne Te nimis defatigem, ecce aliquas animadversiones ac suggestiones quas, consultatis quatuor sacerdotibus senioribus, experientia, prudentia pietateque peritis (sicut mihi ab Em.mo ac Ill.mo Domino Cardinale Tardini permissum est), tibi de populo Archidioecesis Catholico explicare ausim.

1. Eorum propensio ad « Matrimonia Mixtae Religionis » facienda, et, proh dolor! ad « uniones matrimonii civilis aut haeretici ineundas »,

onerata eorum conscientia impedimento disparitatis cultus. Cum essem Menevensis Episcopus, facultatem dispensandi supra « Mixtae Religionis impedimentum » tantum possidebam. Verumtamen in Archidioecesim translatus, mox inveni secundi generis uniones perplurimas esse, et insuper, acatholicas huius generis personas pertinere ad omnes sectas hereticas. Postea inveni (ex articulorum quadam serie, per quinque menses Cambrice publicata) dari quatuor Sectas « Nonconformistas » scilicet, Baptistas, Congregationalistas et duas alias species Calvinistarum quae omnes inter se conveniunt, tenentes, « Baptismum non esse sacramentum, nec ritum religiosum, ne quidem necessarium ad salutem aeternam ». Denique, necesse erat, ut facultatem disparitatis cultus a S. Congregatione obtinerem.

Tandem aliquando inveni non dari ullum alium remedium contra hoc malum nisi instructionum religiosarum cursum sponso et desponsatae per aliquot menses ante eorum matrimonium deductum. Sed primo necessarium erat ut dioecesis cleri ad hanc instructionis ideam convertantur. Acatholicorum non baptizatorum conversio ad fidem videtur has instructiones semper sequi, et bonarum familiarum fundatio sunt eventus ac praemium patientiae et laboris ex parte sacerdotum. Videtur quod Concilium Oecumenicum de hac re gravissima decisionem daturum est. Faxit Deus!

2. *De Catholicorum familiis*: Videntur permulti viri valde proni esse ad « potus intemperantiam » in Archidioecesi; permulti alii mittere liberos suos ad Missam diebus Dominicis, at si ipsi eam negligunt, ideoque malum exemplum dant liberis suis.

Videntur matres familiarum iuveniles addictae esse praxi anteconceptionis « illicitae ». Insuper, videtur quod permultae matres in genere negligere suum officium prohibendi filios filiasque quominus liberi Televisionis scaenas *indecoras* contemplent.

Suggestio: ut parochi vel vicarii cooperatores gradatim consecrent Sacro Cordi Iesu familias paroeciarum secundum caeremoniam a Rev. Patre Matthaeo Crawley-Boevey institutam et ab Ecclesia commendatam, huius praxis felices fructus spirituales egomet vidi.

3. Utinam melius curetur, in aliquibus seminariis, de Iunioris Cleri formatione spirituali, morali, intellectuali ac physica!

Beatissime Pater, in quantum experientia, « rerum magistra » me monet, ecce animadversiones et consilia ac vota quae omni sinceritate humillime Petri Successori consideranti subiicio quod ad Concilium Oecumenicum proximum attinet.

✠ MICHAEL
Archiepiscopus Cardiffensis

3

Exc.mi P. D. IOSEPHI RUDDERHAM

Episcopi Cliftoniensis (Clifton)

Eminentissime Princeps,

Cum benigne petieris ut ad Commissionem Antepraeparatoriam transmittam vota et opiniones meas, haec quae sequuntur adnecto ut, pro sollertia et religiosa sollicitudine tua, ea perpendas:

In re dogmatica: Prorsus optandum est ut discussio et clarificatio fiat:

a) de Episcopatus divina origine eiusque regimine iuris divini, necnon eiusdem cum Supremo Pontificatu relatione;

b) de Episcopatu relate ad Presbyteratum;

c) de sacramento Confirmationis eiusque relatione cum baptismate et gratia specifica;

d) de « sacerdotio » laicorum.

In re disciplinari: haec quae sequuntur commendo:

1. In genere magis relinquatur ipsi Ordinario regimen dioeceseos quin saepe ac saepius necesse sit ut ad Sanctam Sedem recurrat.

2. Speciatim ne cogatur Ordinarius ad S. Sedem recurrere *a*) pro collatione beneficiorum paroecialium vacantium ad normam can. 1435, 1°; *b*) pro alienatione bonorum entium iuridicorum in dioecesi existentium; *c*) pro concessione celebrationis Missarum extra locum sacrum et pro triplici celebratione quando bonum fidelium id postulat.

3. *De iure matrimonii*: Pro regula habeatur ut ea super quibus semel petitae semper conceduntur dispensationes impedimenta omnino abrogentur. Specifice cessent:

a) omnia impedimenta gradus minoris (can. 1042, § 2);

b) impedimenta mixtae religionis et disparitatis cultus (qua impedimenta ecclesiastica), sed oneretur tantum conscientia Ordinarii ad curandum ut « cautiones » revera impleantur et nullum adsit perversionis periculum;

c) ad validitatem contractus ne requiratur assistentia testis « qualificati » *proprii,* sed solummodo requiratur assistentia cuiusvis sacerdotis ab Ordinario approbati; ad liceitatem quidem requiratur assistentia « qualificati » proprii etiam, si casus ferat, sub gravi et poena censurae.

4. *De iure processuali*: Quod in genere ita reformetur ut morae inutiles vitentur. Optandum est vigore iuris ipsius communis instituantur tribunalia regionalia ad cognoscendas causas praesertim de matrimonii

nullitate. In unaquaque dioecesi sint tantum tribunalia ad excutiendos testes et partes etc.

5. *De iure poenali*: Omnino reformetur et iuxta modernas necessitudines reficiatur ita ut applicatio totius iuris poenalis a radice simplificetur.

Haec dum trasmitto, impensos cordis affectus erga Eminentiam Tuam Reverendissimam profiteor atque obtestor et sacram purpuram deosculor.

Addictissimus in Christo servus
et frater

✠ IOSEPH
Episcopus Cliftoniensis

Datum Cliftoniae, die 15 mensis septembris anni 1959.

4

EXC.MI P. D. GUILELMI HART
Episcopi Dunkeldensis (Dunkeld)

18th. April, 1959

Your Eminence,

With most humble apologies for long delay in replying to your Eminence's esteemed letter of the August, 1959 I beg to forward a short list of suggestions for the consideration of the Pontifical Commission which His Holiness has appointed to prepare matters for the forthcoming General Council.

I feel that the points indicated in my accompanying letter are of little value in as much as they will already be in the mind of the Preparatory Commission but I do forward them in that they express my mind on matters which to me seem of some importance.

Begging your Eminence's forgivenees for any trouble I have caused you and commending myself to your prayers,

I beg to remain,

Your Eminence's devoted servant in Christ

✠ WILLIAM A. HART
Bishop of Dunkeld

Ref. I C/59-466 bis.

Sequentes opiniones cum omni humilitate Commissioni Pontificiae pro futuro Concilio Oecumenico institutae vellet exponere *Episcopus* Dunkeldensis.

Ad rem liturgicam quod attinet sequentia notatu *digna videntur.*

Usus linguae vernaculae in illa parte Missae, quam Catechumenorum dicunt, a multis commendatur his diebus, ad faciliorem reddendam fidelium coöperationem in SS. Sacrificii celebratione. Rationes et argumenta id suadentia solida apparent sed ut opinor, non omni modo conclusiva pro tali immutatione in totam illam Missae partem introducenda. Haec proponerem: in diebus dominicis et Festis, quando nempe concursus populi id suadet, substituatur pro lectione in lingua latina lectio epistolae, gradualis, orationis *Munda cor meum* et S. Evangelii in lingua vernacula non ad altare sed eo loco dicenda, quo faciliter a populo celebrans audiatur, quoque homiliam consuetam nunciat. Moris est apud nos has S. Scripturae partes post earum lectionem secundum praescripta Rubricarum eas denuo lingua vernacula repetere non sine magno et spirituali fidelium profectu, eorum praesertim qui ab haeresi ad Ecclesiam convertuntur: duplicatio autem valde incommoda frequenter evadit in magnis civitatibus ob numerum Missarum sibi invicem parvo intervallo insequentium et alibi ob distantiam inter ecclesias in quibus idem sacerdos celebrat. Huiusmodi substitutio in hac Missae parte mira fidelibus non esset immo comiter acciperetur et in commodum cederet celebrantis cui ita tempus verbi Dei debita reverentia praedicandi non deesset ut frequenter accidit. Hic modus agendi, ut mihi videtur, nonnihil conferret ad urgendam gravem obligationem veritates aeternas praedicandi, quod sane in Missa Catechumenorum locum praestantiorem habere debet. Hoc opus sacerdotes nostri non negligunt, plus autem temporis illos in eo adimplendo multum adiuvaret.

Omissio Psalmi *Iudica* ut in Missis tempore Passionis et in Missis pro defunctis faciliorem redderet instructionem populi ad Missam dialogatam praeparandi. In hac re magnam Parochi et Coadiutores difficultatem experiuntur; Psalmus enim ille non facile a populo linguae anglicae assueto addiscitur.

Divinum officium.

Immutationes hactenus introductae una cum nova Psalterii versione multum sese sacerdotibus commendarunt, aliaeque in posterum introducendae utiles sine dubio erunt et devotioni instructionique aptae. Ne tamen quaeso nimis coarctetur Officium diei, pauci enim sunt qui ne-

queant quotidie una hora vigilare cum Christo. Praeterea pro multis sacerdotibus etiam magnis negotiis implicatis elevatio mentis ad Deum per recitationem devotam divini officii principaliter inducitur; ad quod strictissime obligantur: alia autem pietatis officia, ut notum est, rationibus validis vel aliter non raro omittuntur. Stet Officium Divinum uti est quoad substantiam et formam, paucis mutatis vel omissis quae ad profectum spiritualem sacerdotum parum conferunt.

Sacramentum Matrimonii.

Ecclesiae est hoc magnum sacramentum sarta tecta conservare in sua pristina et supernaturali dignitate. Omnes aliae sic dictae ecclesiae paulatim decursu temporis a doctrinis traditis recesserunt; non amplius de sacramento gratiae productivo loquuntur nec de indissolubilitate vinculi; et in his quae ad usum matrimonii spectant fere omnes aberraverunt. Iuvenes et nostri a teneris annis magno versantur periculo subversionis a fide et recta doctrina. His in adiunctis valde periculosa esset et in detrimentum fidelium cederet quaecumque immutatio respectu illorum quae ad formam matrimonii quod attinet in can. 1094 et seq. statuuntur. Si lex Ecclesiae hac in re ita immutaretur (ab aliquibus, ut audivi, proponitur) ut matrimonia a fidelibus inita extra Ecclesiam omnia valida evaderent, multi minus fortes in fide, omnem sensum sanctitatis matrimonii perderent magno cum damno generationis futurae.

✠ Gulielmus Anaveas Hart
Episcopus Dunkeldensis in Scotia

5

Exc.mi P. D. IOSEPHI McGEE
Episcopi Gallovidiensis (Galloway)

Eminentissime Domine,

Litterae Eminentiae Tuae die 21 martii 1960 (Num. Prot. C/59-525 bis) datae ad me pervenerunt.

I. Res satis magni momenti mihi videtur ut usus linguae vernaculae, in nostris saltem regionibus, admittatur: in orationibus et lectionibus quae comitantur administrationem quorumdam sacramentorum, e. g. Baptismatis, Confirmationis, Extremae Unctionis et Matrimonii necnon in quibusdam caeremoniis liturgicis, e. g. Exsequiis, Impositionis Primarii Lapidis ecclesiae, Benedictionis novae ecclesiae; non tamen ita ut

orationes vel lectiones primum lingua latina recitentur deinde vernacula, sed ut lingua vernacula eaque sola dicantur:

hinc, ut mihi videtur, sperari potest magnus profectus pro fidelibus qui sacrum ritum melius sic intelligerent et in eo intimius participarent; nec sine momento videtur esse quod in nostris regionibus haud raro acatholici, civilitatis vel amicitiae vel etiam curiositatis causa, templa catholica adeunt, ritui sacro adsunt; solemnitatem et dignitatem ritus admirantur; sensum vero orationum et lectionum nullo modo percipiunt. Unde fit ut minus attrahantur ad ecclesiam veram, quam si haec vernacula lingua dicerentur.

II. Consideratione haud indigna videtur esse quaestio utrum sacramentum Confirmationis, hisce praesertim temporibus, aetate aliquatenus provectiore v. g. decem annorum administrari debeat, quando sc., pueri et puellae, propter maturiorem intelligentiam, de magno huius sacramenti in vita Christiana momento efficacius edocerentur et profundius sentirent responsabilitatem quae confirmato, ut adulto Christiano, incumbit.

Cum nullum aliud negotium quod in futuro Concilio Oecumenico tractari possit mihi occurrit, omni quo par est obsequio E. T. devotissimum et addictissimum me profiteor in Domino.

✠ IOSEPHUS MCGEE
Episcopus Gallovidiensis

Datum apud Ayr, die 18 aprilis 1960.

6

EXC.MI P. D. DONALDI A. CAMPBELL
Archiepiscopi Glasguensis (Glasgow)

Prot. N. 1 C/59-543 6 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Infrascriptus Archiepiscopus Glasguensis vult exprimere adnexas opiniones pro consideratione Exc.morum Episcoporum qui congregabuntur in proximo Concilio Oecumenico.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
Add.mus
✠ DONALDUS A. CAMPBELL
Archiepiscopus Glasguensis

Quaestiones Dogmaticae

1. Oportet ut clare definiatur titulus Co-Redemptricis datus Beatae Mariae Virgini.

2. Quoad Ecclesiam:

1) Quae sunt membra Corporis Mystici?

2) Quomodo illi qui non sunt membra salvari possint?

3) Patres Concilii utiliter definiant sensus exactos Dogmatis « Extra Ecclesiam nulla est salus ».

4) Etiamque relatio Ecclesiae quoad sectas Acatholicas: v. g. « The Word Council of Churches », « Moral Re-Armament ».

5) Definiantur relationes inter Ecclesiam et Statum Civilem praesertim quoad materias mixtas v. g. Educationem et Matrimonium, et ius exclusivum Ecclesiae iudicandi moralitatem actionum Statuum et Unionum Opificum.

Quoad Mores et Disciplinam

1. Mihi videtur opportunum extendere facultatem confirmandi in periculo mortis etiam ad omnes Vicarios cooperatores praesertim in paroeciis ubi inveniuntur magna nosocomia publica.

2. Invocatio « S. Ioseph... ora pro nobis » addatur Litaniae omnium Sanctorum, et hoc immediate post invocationem « Sancta Virgo Virginum... ora pro nobis ».

3. Ut modus promulgandi leges et dispensationes universales inveniatur, qua Ordinarii certiores fiant fere immediate.

4. In Scotia tales leges et dispensationes legi possunt in ephemeribus acatholicis antequam publicatio officialis perveniat a Sancta Sede.

5. Ordinarius Glasguensis enixe rogat ut nihil fiat quo prohibeatur recitatio publica Rosarii intra Missam.

7

Exc.mi P. D. IACOBI CUNNINGHAM

Episcopi Hagulstadensis et Novocastrensis (Hexham and Newcastle)

die 22 decembris 1959

Eminentissime Princeps,

Cum grato animo litteras diei 18 iunii 1959 (Prot. N. I C/59-591) accepi, quibus Eminentia Vestra rogat ut Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico animadversiones circa res quae in futuro Concilio tractari poterunt communicem.

Res quae mihi sese suggerunt non sunt maioris momenti quae in Concilio Oecumenico tracterentur. Attamen cum mihi utiles pro praxi videantur sequentes animadversiones iudicio Sanctae Sedis humiliter submitto.

Optandum mihi videtur ut:

1. Sequentes casus addantur iis qui habentur in n. 21 Instructionis Sacrae Congregationis de Religiosis diei 25 martii 1956, circa Monialium Clausuram:

a) Visitatio instituenda apud medicum peritum, e. g. pro oculis, pro dentibus, ad applicationem radiorum, pro observatione medicali.

b) Pro Antistita, etiam cum socia, visitare Monialem foris aegrotantem, praesertim in periculo mortis.

2. Attenta evolutione, post promulgationem *Codicis Iuris Canonici,* doctrinae de participatione laicorum in apostolatu hierarchico, eorum status plenius definiretur quam in canonibus 682 et 683 *Codicis Iuris Canonici.*

3. Facultas administrandi sacramentum Confirmationis in periculo mortis, iuxta Decretum « Spiritus Sancti munera », extendatur saltem ad vicarium cooperatorem quoties parochus adversa valetudine impeditus est et ad vicarium substitutum.

4. Causa canonica pro divisione paroeciae, can. 1427, § 2 *Codicis Iuris Canonici* statuta, extendatur ita ut Ordinarius, servatis conditionibus iure statutis, paroecias dividere possit quoties salus animarum id postulat.

5. Ordinarii licentiam ad alienandas res ecclesiasticas concedere possint, etiam si agatur de rebus quae valorem excedunt triginta millium libellarum seu francorum dummodo 1° causa urgens habeatur, et 2° Ordinarius Sanctam Sedem de alienatione ita peracta edoceat.

Quae dum Eminentiae Vestrae communico, sacram purpuram reverenter deosculans, Deum enixe precor ut amplissimis Eminentiam Vestram donis cumulet, quo laetiora felicioraque labantur et Natalicia Festivitas et novus adventans annus, et permaneo

Eminentiae Vestrae addictissimus in Christo

✠ IACOBUS CUNNINGHAM

Episcopus Hagulstadensis et Novocastrensis

8

Exc.mi P. D. THOMAE EDUARDI FLYNN
Episcopi Lancastrensis (Lancaster)

Prot. N. 1 C/59-707

Eminentissime ac Reverendissime Princeps,

Eminentiae Vestrae roganti de rebus in proposito Concilio Oecumenico perpendendis haec velim exponere:

1. Volo audire definitionem B. M. V. Mediatricis omnium gratiarum.

2. Multum permotus quoad dubia quae de tota B. M. V. integritate physica in partu et post partum nuper audita sunt, volo definitionem lucidam fieri ut tota naturae integritas ostendatur. Scriptores recentes bona fide putare videntur se definitionem interpretari posse ut haud conceptio sed partus Domini Nostri Salvatoris naturales effectus in Matris corpore protulerit. Quae opinio mihi videtur repugnare non solum fidei, quam semper tenui, sed etiam legi orandi, quam in Officio Divino de Nativitate Domini Nostri Iesu Christi legimus.

3. Nolo linguam nostram in Missa usurpari, sed liberiorem usum desidero linguae patriae in Baptismo conferendo atque in Sepulturis Ecclesiasticis gerendis. Protestantium quidem funus Anglicanum ab acatholicis semper admiratur; praestantissima autem nostra Missa de Requie haud tam bene intelligitur vel aestimatur.

4. Nos Episcopi in Anglia rigidissime tractamus de communicatione in sacris. Scimus fideles nostros multum commotum iri si in hac re largiter concedatur. Sed cum Duke of Norfolk, Earl Marshal Angliae, ritum religiosum moderari in regali Coronatione necnon Londinii urbis praefecto sacris acatholicis adesse liceat, difficile est postulare, ut revera postulamus, urbium ceterarum praefectos numquam Protestantium sacris adesse, quibus patriae more omnes urbis praefecti ut principes civitatis unica die Dominica atque die 11 novembris ob memoriam civium in bellis defunctorum semper adsunt. Egometipse nolo disciplinam relaxari, sed opinor Episcopos in Concilio Provinciali spectare debere conditiones loci et constituere quid faciendum sit.

5. Puto matrimonia mixtae religionis enixe reprimi debere atque nos libertate can. 1109, § 3 et can. 1102, § 2 uti raro debere.

Osculans purpuram sacram, permaneo

Eminentiae Vestrae addictissimus
✠ Thomas Eduardus
Episcopus Lancastrensis

9

Exc.mi P. D. GEORGII PATRICII DWYER

Episcopi Loidensis (Leeds)

Excellentissime Domine,

Veniam mihi praebeas quaeso de eo quod nullum responsum hucusque dedissem litteris quas ab Em.mo D.no Card. Tardini accepi anno praeterito.

Putabam enim omnia quae scribere potuissem iam ab aliis peritioribus me fore ut dicta fuissent.

Nunc vero acceptis litteris Excellentiae tuae die 21 martii 1960 quibus rogabas de novo ut animadversiones et consilia darem « in verbo tuo laxabo retia ».

Excellentiae Vestrae Rev.mae
Servus addictissimus

✠ Georgius Patricius Dwyer
Episcopus Loidensis

Die 13 aprilis 1960.

Ante omnia nostris diebus opus est ut detur hominibus vera doctrina de natura humana. Fluctuant enim spiritus hominum et suspensi manent inter effrenatum optimismum et desperatum pessimismum. Fingunt sibi philosophias « humanisticas » quod vocant, quae hoc tantum commune inter se habent quod hominem sibi sufficere debere proclamant. Unde concludunt, alii quod homo progressum indefinitum faciet ita ut sit « ut Deus »; alii vero videntes hominem numquam sibi sufficere posse desperata aliqua perspicuitate aiunt omnia absurda esse nec salus homini esse nisi in se liberando de catenis moralitatis, de illusione possibilitatis attingendi veritatem absolutam.

Cum vero omnes isti hominem sine Deo concipiant, philosophia eos saepe fallit ita ut ipsi optimistae non raro in pessimismum cadunt.

Necesse erit igitur re-affirmare dignitatem humanae naturae et quidem quoad potentias naturales et quoad potentias supernaturales naturae redemptae: ulterius affirmandum erit dignitatem humanam et iura humana servari non posse nisi respectu habito ad Deum auctorem naturae, finem ultimum omnium creaturarum.

De Intellectu humano

Intellectus hominis attingere potest veritatem et quidem, sub-distinctionibus necessariis, absolutam non tantum relativam. Magni momenti est hoc affirmare de re morali. Sunt enim permulti qui dicunt « bonum » et « malum » in actibus humanis esse quid omnino relativum, de statu economico vel psychologico hominum dependens: aiunt immo « bonum » et « malum » « continuum » aliquod formare.

De libero arbitrio

Unde etiam oportet de novo proclamare hominem praeditum esse libero arbitrio nec eum omnino determinatum esse ab historia eius psychologica, contra Freud et alios huiusmodi qui doctrinas « psycho-analyticas » non bene fundatas propugnant. Ratione tamen habita de inventis psychologiae modernae opportunum erit aliquid stabilire de imputabilitate subiectiva quamquam fateri constringimur quaestionem istam spinosam et valde ancipitem esse.

De « Ethica Situationis »

Aliquid statuere oportet de « Ethica Situationis », error qui fere ubique in sectis Protestanticis serpsit nec desunt Catholici quadamtenus ab errore eodem affecti. Principia quae in Inst. S. Officii die 2 febr. 1956 stabilita sunt reaffirmare et fortasse ampliare opportunum erit.

De Corpore Mystico

De homine redempto membro Corporis Mystici. Corpus Mysticum utique nihil aliud est nisi Ecclesia Catholica. Quousque tamen omnes homines partem habent beneficiorum quae de corpore mystico in totum genus humanum redundant? Acatholici baptizati qui bona fide extra ecclesiam sese inveniunt, quo sensu « fratres » nostri, etsi separati dici possunt? Multitudo eorum qui baptizati non sunt — quonam sensu in via salutis dici possunt?

Et cum, voluntate divina, omnes homines sine exceptione aliquo modo ad Corpus Mysticum ordinati sint quaenam obligationes Christianis praesertim incumbunt respectu ceterorum hominum?

Quid de « tolerantia » errantibus et erroribus debita propter bonum commune?

De unitate generis humani

Valde opportunum etiam videtur reaffirmare unitatem humani generis contra praeiudicia de gentibus « inferioribus » vel « superioribus » propter colorem pellis aut alias qualitates accidentales huiusmodi.

Corollarium tunc affirmandum: ius quod omnibus hominibus cuiusvis generis competit fruendi bonorum terrae et ideo obligationem quae incumbit nationibus « possidentibus » dandi liberum accessum his bonis populis indigentibus ut puta per migrationem.

De homine ut persona

Omnis homo est persona, sui iuris, iuribus fundamentalibus praedita quae alienari non possunt. Et cum homo sit persona, et non tantum « individuum », iura (et obligationes) habet respectu familiae et Status. Non est homo mere cellula in aliquo toto « evolvente » ut theoriis « totalitariis » placet. Nec tamen est considerandus ut mere « individuum » tamquam si familia et aliae communitates humanae non essent nisi societates improprie dictae, pure accidentales ut in theoriis « liberalibus ». Haec omnia affirmare oportet contra tyrranidem Status quae consequentia inevitabilis est et doctrinae « totalitaristicae » aeque ac « liberalis ». Sic ex ipsa notione hominis ut « personae » affirmatur dignitas humanae naturae. Quid igitur si consideratur homo ut filius Dei!

Corollaria aliqua in re morali

Iamvero cum homo sit « animal sociale » potentias et facultates aliquas habet quae non tantum in bonum individui datae sunt ei sed intuitu boni totius humani generis praesertim, e. g. facultatem sexualem. Ita media anticonceptionalia intrinsece illicita sunt.

Ulterius: abusus ille facultatis sexualis ne quidem signum novae libertatis acquisitae per inventa scientiae modernae est (ut multis dicere placet) sed est vera degradatio dignitatis humanae tanquam si semen sit mere aliquod excrementum chimicum nec habeat potentia sexualis intimam connexionem cum toto complexu corporis et animae immo cum tota personalitate hominis.

Anathematizanda etiam inseminatio artificialis quae pariter violenter separat usum potentiae sexualis a complexu relationum personalium qui homini competit.

De fine ultimo

Affirmandum finem revera ultimum hominem habere nempe visionem beatificam quo tendit duce Providentia divina. Immo asserendum totum processum historicum humani generis hoc in mundo in finem tendere nempe in aedificationem et plenitudinem corporis mystici contra eos qui negant omnem finem, non videntes in processu historico nisi seriem eventuum disparatorum, et contra Marxistas qui finem ultimum utique statuunt sed falsum.

Summa: Omnia quae supra iam saepius dicta et repetita sunt in encyclicis et aliis documentis pontificiis. Alia multa quae tamquam consequentiae de his principiis fundamentalibus decurrunt (utputa tota docdoctrina socialis Ecclesiae) etiam longe lateque diffusa sunt.

Bene tamen Concilium haec omnia quasi in aliqua synthesi colligere, clarificare et definire poterit, adaptata conditionibus hodiernis. Sic re vera bonum nuntium mundo dabit ut sint omnes homines bonae voluntatis « spe gaudentes ».

Varia

De re dogmatica

De praesentia reali: Sunt inter catholicos hodie qui ita exaltant aspectum sacrificialem SS. Eucharistiae ut videantur nimis deprimere aspectum Praesentiae Realis.

Opportunum forte esset reaffirmare doctrinam Ecclesiae de adoratione debita Domino Nostro I. C. in Ss.mo Sacramento. Concilium rem valde utilem animabus fidelium faceret si conspectum daret progressus dogmatis de Eucharistia in saeculis praeteritis, asserendo talem progressum validum et fructuosum esse (verbi gratia, praxis fidelium preces privatas fundendi Ss.mo Sacramento, visitationes faciendi, horas adorationis etc.) contra falsum historicismum quorumdam, anathematizando etiam abusus quales reprehendendos censuit S. C. Rituum in Instructione die 1 iunii 1957 data de loco tabernaculi etc.

De Beata Virgine: Optandum ut nulla nova definitio fiat de B. M. V. Quae enim ab aliquibus proponuntur ita subtiles sunt ut nihil pietati fidelium proficiant et admirationis immo et scandali aliorum pusillorum occasio esse possint; e. g. amamus et veneramur omnes Matrem Dei et nostram; scimus Eam redemptioni humanae cooperari; sed utrum in actu primo vel in actu secundo scire re vera pietatem nostram erga Eam augere non potest.

De re morali

De modis belli gerendi: Quid sibi vult nostris temporibus « servato moderamine inculpatae tutelae »?

De re liturgica

De revisione Breviarii: Dolendum sed verum esse fateri constringimur quod lectiones Matutini parum conferunt pietati sacerdotum propter varias rationes bene notas. Consilium ergo dare audeam ut Matutinum aboleatur in recitatione privata, serventur tamen Laudes et aliae horae. Loco Matutini ponatur lectio S. Scripturae in lingua latina aut

in omni alia lingua ad libitum sacerdotis eligenda in versione utique ab auctoritate ecclesiastica approbata.

Fere tota S. Scriptura divisa in pericopas sine interruptione per versicula et responsa legi possit in spatio e. g. trium annorum cum magno fructu pro vita interiore clericorum et pro praedicatione Verbi Dei et quod vocabularium et spiritus sacerdotis sic ditarentur thesauris Scripturarum.

De lingua vernacula in functionibus liturgicis: Locus videtur esse prudenter modificandi usum exclusivum linguae latinae in liturgia. Non utique consilium dare vellem ut Missa in alia quam lingua latina celebretur. Fortasse distinctio fieri possit inter ritus ex opere operantis et ex opere operato. Isti latine illi lingua vernacula redigi possint. Praeterea lectiones, orationes, Passio in Parasceve et lectiones et Benedictio Fontis in Vigilia Paschali perutiliter vernacula lingua recitari possint.

De Iure Canonico

1. *Simplificatio aliqua optanda in disciplina casuum reservatorum.*
2. *De provisione sedium episcopalium saeviente persecutione.*

De hoc ut minus sapiens loquor nec auderem nisi fretus verbis Excellentiae tuae ut « omni cum libertate et sinceritate » animadversiones communicare debeam. Quando persecutio saevit in aliqua natione nec libera communicatio cum Sede Apostolica possibilis fuerit nonne Indultum concedi possit hierarchiae illius nationis vel capitulis rite institutis ut sedibus vacantibus provideant ipsi eligendo sacerdotes vere dignos ad officium episcopale? Necesse utique esset ut antequam consecretur electus iuramentum fidelitatis erga Sedem Apostolicam praeberet. Certo certius, sic omnia incommoda non evitarentur et periculum schismatis remaneret. Attamen talis disciplina exceptionalis daret hierachiae existenti saltem aliquem locum decursionis in conflictu cum Statu persecutore, et ecclesia illius nationis non privaretur episcopis. Nullus praetextus tunc remaneret quo uterentur episcopi vel sacerdotes « collaborantes » cum Statu persecutore ad episcopos eligendos in contemptum Sedis Apostolicae seclusis suffragiis episcoporum et canonicorum qui fidelitatem integram impavidi conservaverint erga Sedem Apostolicam, allegando necessitatem providendi sedibus vacantibus ut vita ecclesiae adequate continuat.

Quae omnia tamen dico « salvo meliori iudicio » ut patet.

De « re-unione » Christianorum dissidentium cum Ecclesia

Mea sententia Concilium in hac re nihil facere poterit nisi clarius in luce ponere barathrum quod inter Ecclesiam Catholicam et dissidentes

iacet. Quamquam enim verbi gratia, Anglicani in accidentalibus utputa in stilo paramentorum et ornamentorum ecclesiarum nobis videntur appropinquare tamen in fundamentalibus principiis toto coelo a nobis distant non tantum in re dogmatica sed et in re morali. Episcopi enim eorum, exempli gratia, nunc usum mediorum anticonceptionalium in matrimonio, ne dicam tolerant, sed active suadent.

✠ Georgius Patricius Dwyer
Episcopus Loidensis

Die 13 aprilis 1960.

10

Exc.mi P. D. IOANNIS CARMELI HEENAN
Archiepiscopi Liverpolitani (Liverpool)

10 November 1959

My Lord Cardinal,

Please accept my regrets that it was not possible for me to send this document befor this time.

Promising my prayers that God will guide you in your important work and kising the Sacred Purple your devoted Brother in Christ,

✠ John C. Heenan
Archbishop of Liverpool

Dogma

De definitionibus dogmatum

Ex quibusdam Epistolis sic dictis circularibus his recentioribus annis receptis, iudicare licet Episcopos quosdam desiderare plures dogmatum definitiones. Mea autem sententia, Ecclesiae traditio opponitur dogmati definiendo nisi adest gravis causa. Cum quidem dubium sincerum inter theologos fuit, aut hostes Ecclesiae acceptas doctrinas catholicas pertinaciter oppugnaverunt, tum Auctoritas Suprema Ecclesiae fidem orthodoxam et formulavit et definivit. Hodie autem quorumdam theologorum mens est ut doctrina definiatur eo fine ut promoveatur devotio. Quod maxime verum est de doctrina quae Beatam Mariam Virginem spectat. Haud sane optandum est ut imponantur actus fidei in iis rebus quae me-

lius privatae cleri fideliumque devotioni relinquantur; multiplicata dogmata insuper conversioni acatholicorum obstant: quodsi haec ratio minoris momenti est, negligi tamen non debet.

De definitionibus dogmatum quae Beatam Mariam Virginem spectant

Inter quosdam theologos est voluntas ut plures fiant definitiones dogmaticae praesertim ad gloriam Beatae Mariae Virgini tribuendam. Ego vero iudico hanc eorum rationem esse erroneam. Unaquaeque nempe recenter proposita definitio nova (de Beata Maria Virgine ut Regina, ut Co-Redemptrice, ut omnium gratiarum Mediatrice) duabus his noxis, mea opinione, laborat: primo quod titulum Beatae Virginis maxime sublimem, scilicet Eam esse Matrem Dei, obscurat; secundo quod formulam urget in iis rebus quae iam accipiuntur et per se accipi possunt. Credo tantum abesse ut haec crescens attentio ad singulas erga Beatam Virginem devotiones gloriam Matri Dei praestet, ut etiam aliquid detrahat de Eius statu unico et distincto in Economia Salutis. Sequitur in praxi ut multi praedicatores plura de apparitionibus apud Lourdes Fatimamque (quae nunquam pars depositi Fidei esse possunt) eloquantur quam de apparitione Angeli Gabrielis annuntiantis magnum nuntium Maternitatis Divinae. Petitiones cuiusmodi est petitio Hierarchiae Mexicanae impediunt potius quam adiuvant cultum Matris Dei.

De ieiunio Eucharistico

Missa vespertina pluribus quam unquam antea facultatem praebet ut diebus feriis Sancto Sacrificio assistant. Trium autem horarum ieiunium multos operarios impedit quominus praxim Communionis frequentis instituant. Unius vero horae ieiunium operariis, manu praesertim laborantibus, permittat ut et cibum sumant et nihilominus Sacram Communionem recipiant.

Sacerdotibus etiam proderit si tempus ieiunii minuatur. Pastores in paroeciis urbanis primo vespere suos visitare soliti (qua hora operarii domum redierunt) commodum ex tali relaxatione comparant.

Distinctio saltem inter regulam quae sacerdotes et quae populum obligat removenda est (pro populo tempus a Sacrae Communionis receptione, pro sacerdotibus ab incepta Missa nunc aestimandum est).

Et sacerdotes et laici qui Sacram Communionem recepturi sunt, a potu alcoolico abstinere debent a meridie.

Canon 867 reformandus est ita ut Sacra Communio qualibet hora distribui possit.

De disciplina clericali

1. Si Breviarium contrahendum est, obligatio orationis mentalis firmari debet; alias periculum adest ne sacerdotes putent orationem iam minus necessariam aestimari. Orationis quidem mentalis et lectionis spiritualis negligentiae remedium praesto sit si officium abbreviatum occasio sit strictius obligandi et sacerdotes et religiosos ad haec alia officia implenda. Nunc Ordinarius monetur ut curet ut sacerdotes orationi mentali incumbant. Haec obligatio canonica esse debet.

2. Cum, proh dolor, vel iuvenes sacerdotes his temporibus mundanos in mores labantur, et mox post ordinem sacrum receptum muneribus sacerdotalibus attrahi cessent, censeo diaconos unum annum labore pastorali fungi debere, antequam ad sacrum sacerdotii ordinem promoveantur. Pastorali enim modo visitando, pro iuventute laborando, praedicando, baptizando, suam ad onera sacerdotalia idoneitatem probare possint priusquam gradus irrevocabilis capiatur.

11

Exc.mi P. D. IOANNIS E. PETIT

Episcopi Menevensis (Menevia)

Prot. N. 1 C/59-840 30 augusti 1959

Eminentissime Domine:

Ut breviter respondeam litteris ab Eminentia tua mihi scriptis de materiis tractandis in Concilio Oecumenico mox habendo, mihi videtur Ecclesiae Dei profuturum si de subsequentibus tractetur.

1. De liceitate belli dicti moderni.

2. De formatione spirituali et intellectuali candidatorum s. sacerdotii.

3. De ordinatione, forma, et unificatione Apostolatus Laicorum praesertim in his quae de iuvenibus spectant.

4. De consociando sive in unum coniungendo Ordines et Congregationes religiosas, quae eumdem fere finem et constitutiones similes habeant.

5. De modis quibus ad regiones in summa sacerdotum penuria versantes sacerdotes mittantur et praesertim ad Americam Latinam.

6. De reformatione Missalis et Breviarii et usu linguae vernaculae in his recitandis.

7. De Episcoporum residentialium facultatibus amplificandis.

8. De numero minuendo relationum ad varias S. Congregationes mittendarum.

Difficilior mihi sane videtur futura esse conversio Cambriae, humano modo loquor, si hoc tempore dogma fidei quod ad personam vel privilegia Beatae Mariae Virginis spectet, definiatur.

Summa qua par est observantia, Eminentiae Tuae servum me profiteor.

✠ IOANNES E. PETIT
Episcopus Menevensis

12

EXC.MI P. D. GEORGII BRUNNER
Episcopi Medioburgensis (Middlesbrough)

Reverendissime et Eminentissime Domine,

Litterae Tuae, Prot. N. 1 C/59-850, diei 18 iunii 1959, ad Nos rite pervenerunt, et in respondendo animadversiones sequentes Eminentiae Tuae proponere volumus.

Videtur Nobis doctrinam de inhabitatione Sancti Spiritus in animabus fidelium et de plenitudine gratiarum et donorum ab Illo profluente non satis intelligi nec Spiritum Sanctum coli nec amari ut decet.

Sicut Spiritus Sanctus in Apostolos descendit ita ut Ecclesiam in omnibus partibus terrae divulgarent, nonne reaffirmatio huius doctrinae et fratres nostros ab Ecclesia separatos in unum ovile Christi convertere adiuvaret, et fideles etiam auxiliarentur ut pro tali fine felici orarent et devotio eorum in Sanctum Spiritum incresceretur.

Eminentiae Tuae addictissimus in Domino
✠ GEORGIUS BRUNNER
Episcopus Medioburgensis

Medioburgae, die 1 septembris 1959.

13

Exc.mi P. D. THOMAE LEONIS PARKER
Episcopi Northantoniensis (Northampton)

Prot. N. 1 C/59-928

Eminentissime Princeps,

Episcopus Northantoniensis, epistula sub manu Eminentiae Vestrae die 18 iunii 1959 data gratissime accepta diligenterque perpensa, opinatus fore ut negotia aliqua in Concilio Oecumenico proxime celebrando idonee tractentur, sequentia qua par est reverentia promere audet, scilicet:

A) *Circa quaedam doctrinae capita*

I. Doctrinam de Ecclesia tamquam Corpore Christi Mystico cum Summus Pontifex Pius XII v. m. tam profunde quam pulchre exposuerit, Patres Concilii eamdem doctrinam amplificando ac complendo, praesertim salutem aeternam hominum extra unitatem Ecclesiae visibilem degentium quod attinet, aptissime agerent: cur sic opinetur Episcopus, rationes subicit. Huiusmodi enim declaratione facta, sectas acatholicas viam in sinum piae Matris Ecclesiae sequendam facilius recognoscituras sperari posset, necnon fore ut certiores fierent non pauci fideles hucusque hac de re vix instituti.

II. Si quis infans sacramento baptismatis privatus e vita decedat, haud raro fertur inter catholicos eum mediante genitorum piorum fide salvari posse. Quae cum in dies magis audiantur, maximum latet periculum ne iidem genitores liberos ad mysteria initiationis Christianae nonnisi longo post tempore afferant: quo stante periculo, videtur hisce diebus summa dari occasio denuo affirmandi baptisma esse necessarium ad salutem necessitate medii, ideoque prae omnibus cavendum ne receptio sacramenti ultra tempus exiguum e natura rei quaesitum differatur.

III. Sanctissimae Deiparae Virginis Mariae privilegiis peculiaribus ab Ecclesia per annos declaratis atque celebratis, incrementum fidelium magnum eamdem Beatissimam Virginem veneratorum sane est percipiendum. Si tamen Patres Concilii progressum ulteriorem in mentem advolvant, sperandum esset ut considerationem non omnino praetermitterent de periculo forsan oriundo in regionibus Protestantium: timere enim posset ne, definitionibus adhuc accedentibus, v. g. de Maria Co-redemptrice vel omnium gratiarum Mediatrice, multi acatholici regionum pro-

testantium incolae longius ab Ecclesiae unitate arceantur. Talibus enim commune est huiusmodi privilegia declarata aegre intelligere, cum saepe titulo vel nomine audito nil profundius quaerant, sed vix cognita prorsus reiciunt.

IV. De materia autem hodie maxime agitata, nempe de reditu omnium Christianorum dissidentium desideratissimo ad verae Ecclesiae unitatem, Episcopus Northantoniensis aliqua circa rem religiosam in Anglia subiungere vellet, scilicet:

1) Ministri acatholici in perpaucos tantum nostrates hodie influxum exercent, numero probabile minore quam qui a vera Ecclesia suadentur. Maxima autem aliorum anglorum pars, credentes in Deum se Christianos confitentur, reiecta tamen omni religione auctoritative ordinata. Laborandum praeprimis nobis manet ut hos reconciliemur: plures nempe sunt et magis inscii. Via ergo erit expeditior quando Christiani qui nomen sectae ob despectum hodie sat grassantem non dederint, Ecclesiam tamen Catholicam non esse sectam aliquam sed Corpus ordinatum toto coelo ab aliis diversum cognoscent.

2) Ipsarum sectarum mediante saeculo transacto aliquae ritus catholicos sibi sumere incipiebant, ita ut in Anglia hodierna templa invenias sat multa speciem prae se ferentia ecclesiarum catholicarum, non exceptis notis magis characteristicis, scilicet tabernaculo, Via Crucis, imaginibus B. M. V. et sanctorum. Simul tamen cum his signis maxime catholicis in lucem, proh dolor, editur liberalismus aliquis in re credenda crassus et in dies auctior, ita ut fidem inter sectas communem omnino evanuisse affirmare possimus. Deinde superiores hodierni Ecclesiae Anglicanae tamquam quid optimum proponunt ecclesiam aliquam christianos sat varia credentes complexam, dummodo membra notioni episcopatus modo « pragmatico » acquiescant quin ab eis assensus de hierarchia doctrinalis quaeratur. Quae sane elucent in Ecclesia sic dicta Indiae Meridionalis nuper exstructa, necnon in conatibus recentibus cum Ecclesia « Presbyteriana » Scotiae coalescendi.

3) Pars denique aliqua cleri Anglicani, a superioribus dissidens, episcopis tamquam origine divina acceptis, doctrinae Ecclesiae Catholicae plurimum assentit. Proinde hi ministri tenent finem ut cetera pars Ecclesiae Anglicanae ad fidem veram recognoscendam perveniat, ita ut unionem cum Summo Pontifice tota et integra tandem aliquando petat: finis autem, ut opinatur Episcopus, prorsus inaccessibilis et potius somnium quam fundata spes: item reconciliatio globalis illius etiam partis « anglo-catholicae » cum sede Petri videtur omnino impossibilis. Quod praeterea ex experientia evidens est, nam non semel ista pars « anglo-catholica » asseruit se nequire in Ecclesiae Anglicanae communione de

cetero remanere: rebus autem in discrimen adductis — puta unionem cum Ecclesia non-hierarchica in India Meridionali — nonnisi pauci ministri haeresim abiuraverunt, et quidem singulariter, et quo quisque loco plerumque versabatur, eo remanet. E contra, multi ex his Ecclesiam Catholicam esse unicam Christique veram, necnon Romanum Pontificem primatum rite tenere infallibilitateque gaudere aperte profitentur. Si tunc quaeris ab eis quonam obice retineantur quominus submittant, sese asserunt in Ecclesia manere Anglicana ut alios secum ad unionem totalem denique promoveant.

4) Notandum imprimis factionem supra descriptam, cum Ecclesia Catholica specie tenus consonam, numero esse minimam, minimumque momentum eius in plebem. Patres inde Concilii si clare demonstrarent nullam sufficere causam ad submissionem differendam nonobstantibus quibuscumque contrariis apparentibus, rectam viam hisce ministris liquidius indicarent. Reminiscamur denique multos ex his infelicibus saeculi curis impediri, inter quos inveniuntur qui muneribus patrisfamilias onerati submissionem quam secus libere praestarent recusant, virtute carentes requisita procul dubio heroica. Precantibus nihilominus sedulo coelum ut unio cum vera Ecclesia praebeatur, Deus certe non deneget auxilium. Faxit ut voluntatem eius clarius percipiant!

5) Dicendum tandem nucleum quaestionis et difficultatis in re doctrinali inveniri, immo in ipsa veritate necnon in origine et interpretatione auctoritativa Sacrarum Scripturarum versari. Minoris proinde habendae sunt momenti quaestiones ecclesiasticae, v. g. de ritu, de cleri caelibatu, disputatae.

V. Cum Episcopi sententia, haeresis modernismi periculis valde diminutis catholicos obiectet hodiernos, quaerit num rarius pronuntiari debeat iusiurandum antimodernisticum.

VI. Concilio denique Oecumenico Vaticano schema de modo belli gerendi recto paratum numquam disceptatum est. Quae quaestio cum armis procusis letalioribus hodie nervosissima facta sit, exspectant multi ut Ecclesia tamquam auctoritas re morali suprema clare statuat quid peragi queat licite, illicite quid fiat. Licet tamen normis huiusmodi certis sane opus sit, latetne forsitan periculum ne ducibus Petri vocem spernentibus conscientiae fidelium adhuc valde hac de re greventur?

B) *De disciplina cleri et populi*

I. Episcopus in regimine dioecesis aliquando obstaculis obvius magnis, religiosos aliquos privilegia sibi vindicare animadvertitur documentis innixos sane genuinis, Episcopo tamen ipso difficillimis accessu. Porro,

ut exemplum praebeatur, considerandum est privilegium Missae in domibus privatis sine licentia Ordinarii celebrandae allatum.

II. Sacerdotes item plurimi die dominica festisque bis vel ter Sacrum obligantur facere, onere praedicandi verbum Dei adnexo: porro eodem die accedente puerorum instruendi necessitate, itinera non brevia instari debentur. Quae cum ita sint, obligatio breviarii integre recitandi onus evenit saepe gravissimum, cum maxime sacerdos si impiger sit vix excusatum se habeat. His ergo statutis quaerit Episcopus utrum a sacerdotibus bis vel ter diebus de praecepto litantibus onus recitandi Matutinum et Laudes auferre possit.

III. Lex tandem ecclesiastica de opere servili diebus dominicis festisque seponendo, ut hodie habetur fini a legislatore intento vix satisfacere videtur. Fideles enim permulti nonobstante lege cognita labores ob emolumenta lucrumve minime necessarios diebus prohibitis suscipiunt. Quamobrem quaerit Episcopus utrum in Concilio tempestive corrigeretur lex, scilicet utrum utiliter requies a labore unicuique quotidiano imponeretur.

Sacram Purpuram deosculans, me profiteor,

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
servum addictissimum

✠ T. LEONEM PARKER
Episcopum Northantoniensem

14

EXC.MI P. D. CIRILLI RESTIEAUX
Episcopi Plymuthensis (Plymouth)

Prot. N. I C/59-1037

Eminentissime Princeps,

Litteris diei 18 mensis iunii anno 1959, Commissio Pontificia ad Concilium Generale Praeparandum me rogavit ut propositiones meas de rebus in dicto Concilio tractandis submittam. Veniam pro mora petens, humiliter Sanctae Sedi propositiones uti sequuntur pando:

1. Humillime rogo ut de B. M. V. nulla declaratio fiat neque de eadem B. M. V. ulteriores tituli aut festa innoventur.

Hoc quidem rogo eo quod firmiter credo tales innovationes nullatenus augere honorem quem devotissimo corde B. M. V. praestamus. Iam magna existunt obstacula nos inter fratresque nostros acatholicos, quae

quidem obstacula vexantur dum innovationes de quibus supra, quamvis in honorem B. V. M. intentae, instituuntur. Nec vero ab ipsis nostris fidelibus bene recipiuntur nam talibus immutationibus, eorum oculis omnino innecessariis, perturbantur.

2. Iterum rogo ut Sancta Sedes perpendat abolitionem privilegii exemptionis quo gaudent Regulares aliique nonnulli Religiosi, quatenus ad eorum scholas et ecclesias publico apertas refert.

Talis enim exemptio a iurisdictione episcopali nullatenus in bonum curae animarum confert. In Anglia enim fere omnes pueri parentum melioris condicionis qua convictores in scholas sub cura Religiosorum recipiuntur. In has tamen scholas Episcopus eiusve delegatus fere nunquam bene recipitur; Episcopi iterum delegatus ad inspectionem instructionis religiosae nonnisi cum magna reluctantia admittitur. Ita resultat ut dicti iuvenes fere nullum interesse habent in labore apostolico his in terris; paucissimae insuper sunt ex illis vocationes ad clerum saecularem quamvis, cum melius sint educati, operam maximi valoris Nobis qua sacerdotes dioecesani praestarent.

3. Humiliter peto ut Sancta Sedes prae oculis habeat usum linguae vulgaris in Sacramentis Baptismi, Extremae Unctionis et Matrimonii administrandis itemque in fidelium exsequiis.

Talis concessio devotionem adstantium maxime augeret et in aedificationem acatholicorum adstantium inserviret.

Nostra tamen sententia, in Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrando, lingua latina retineri debet et ita, ni fallor, sentit maior pars fidelium. Orationes enim Missae in lingua latina populo christiano iam familiares sunt, dum e contra, cum raro assistunt administrationi sacramentorum Baptismi, Extremae Unctionis et Matrimonii fideliumque exsequiis, eorum ritus et orationes non bene intelligunt.

4. Sanctae Sedi humiliter propono ut clero licentiam concedat divinum officium aut lingua latina aut vulgari recitandi. In Anglia enim pauci omnino sunt sacerdotes qui ita linguam latinam colunt ut maximum beneficium a divini officii recitatione derivent. Si tamen liceret lingua vulgari psalmos, orationes et homilias recitare, quam maxime in sermonibus et instructionibus ad fideles praeparandis adiuvarentur et verba Sacrae Scripturae gradu nunc impossibili omnino eis familiaria devenirent.

Omni qua par est reverentia, Sacram Purpuram deosculans, me profiteor

Die 30 aprilis 1960.

Eminentiae Vestrae addictissimum

✠ CIRILLUS RESTIEAUX
Episcopus Plymuthensis

15

Exc.mi P. D. GORDONII IOSEPHI GRAY
Archiepiscopi S. Andreae et Edimburgensis
(Saint Andrews and Edinburgh)

Prot. N. 1 C/59-bis 1140

Archiepiscopus Sancti Andreae et Edimburgensis in Scotia, prae oculis habens litteras Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico diei 21 martii 1960, omnibus rite perpensis atque iuxta tenorem earundem litterarum cum viris prudentibus excussis, quas sequuntur propositiones humiliter indicat pro disciplina Ecclesiae simplificanda atque modificanda, et pro tranquillitate animarum prosequenda.

Dolet praeterea se tam tarde respondere votis Pont. Commissionis. Moraliter tamen impossibile fuit rem rite perpendere ante diem statutum.

4 aprilis 1960.

✠ Gordonius Ioseph Gray
Archiepiscopus S. Andreae et Edimburgensis

DE CLERICIS

1. *De parochis amovendis*

Quamquam per can. 2147 *C.I.C.* Ordinario loci tribuitur potestas sat ampla amovendi parochum etiam inamovibilem, nempe « ob causam, quae ipsius ministerium, etiam citra gravem suam culpam, noxium aut saltem inefficax reddit », nobis nihilominus videtur magis ad bonum animarum conducere, si parochi ad nutum Ordinarii amoveri possent.

Sane, sacerdos quidam, morum honestate omni exceptione maior, potest sive infirmitatis causa, sive etiam merae eccentricitatis indolis aut conversationis, exponere totam curam animarum et vitam spiritualem paroeciae magnis difficultatibus ac periculis. Iure Codicis, utique amoveri potest per tramitem iuris. Attamen amotio necessario secumfert aliquod stigma, quamdam diffamationem ipsius sacerdotis.

Nobis igitur magis opportunum videtur quod parochi, sicut et vicarii, careant omni iure perpetuo in beneficio, sed econtra quod nominentur sive ad tempus sive ad nutum Episcopi. Immo aptissime nominari posset parochus e clero saeculari ad instar superioris religiosi sub iure vigenti,

eo pacto scilicet ut post certum temporis spatium ad statum inferioris seu vicarii redire posset.

Nimis utique durum videretur huiusmodi systema, praesertim sacerdotibus senioribus, sed, difficultatibus initialibus superatis, magnum beneficium afferret multis paroeciis, novae nempe vitae, atque tandem aliquando daret occasionem multis sacerdotibus senescentibus dimittendi officium parochi cum oneribus gravissimis curae animarum.

2. *De Sacerdotibus matrimonium attentantibus*

In omni dioecesi habentur casus sacerdotum matrimonium attentantium, qui per annos pacifice cohabitant cum « uxoribus », nata forsitan etiam numerosa prole, quibus moraliter impossibilis est reditus ad officia vitae sacerdotalis.

Opportunum videretur ut bono spirituali horum sacerdotum infelicium consulatur per faciliorem concessionem dispensationis super omnibus obligationibus susceptis in sacra ordinatione, sub certis conditionibus, puta si nata sit proles et per aliquod tempus (e. g. decem annorum) iam pacifice perduraverit contubernium, ita ut rite coram Ecclesia convalidari posset.

De Sacramentis

3. *De confirmatione in periculo mortis*

Cum mens Ecclesiae sit ut omnes baptizati, etsi infantia non egressi, in periculo mortis etiam a parocho confirmentur, Nobis valde opportunum apparet quod facultas confirmandi in mortis periculo extendatur.

Quod fieri posset duobus potissimum modis:

1) aut impertiatur facultas omnibus sacerdotibus dioecesanis facultatibus praeditis;

2) aut detur Ordinariis locorum potestas huiusmodi facultatem impertiendi aliis sacerdotibus idoneis, tum e clero saeculari tum e religiosis.

4. *De sacramento poenitentiae: iurisdictio communicata*

Utilitati animarum multum conferret si unusquisque sacerdos haberet potestatem ubique terrarum delegandi, sive facultatem communicandi cuique sacerdoti pro confessionibus approbato ad suam ipsius confessionem excipiendam.

5. *De matrimonio: de forma iuridica matrimonii*

Omnibus diu matureque perpensis, proponimus ut forma canonica matrimonii non amplius ad validitatem sacramenti, sed ad liceitatem tantum requiratur, saltem in territoriis acatholicis.

Rationes sunt sequentes:

1. In hisce nostris regionibus experientia docet quod maius animarum malum exoritur ex iure vigenti Codicis et decreti *Ne Temere* quam ex iure ante annum 1908 vigenti.

2. Sane, multi catholici debiliores, sive in ecclesiis acatholicis sive praesertim coram magistratu civili, ob varias causas matrimonium invalide contrahunt ac in futuro certe contrahent, quidquid edicat ius. At frequenter ad resipiscentiam reduci possunt, praecipue zelo pastorum oves perditas quaerentium. Sed en obex, immo obex extrinsecus. Nam poenitentia etiam sincerissima ducti, omnino impossibilis evadit convalidatio matrimonii eo quod pars acatholica nullo modo ad renovationem consensus vel ad cautionum subsignationem adduci potest. Obex igitur penitus extrinsecus ponitur quominus dicta poenitentia fructum quemquam afferat, ex parte partis acatholicae.

3. Nec dicatur solutionem huius problematis in eo esse quod pars catholica debeat deserere alteram partem. Non raro huiusmodi separatio est moraliter impossibilis, non solum propter periculum poenarum civilium, sed praesertim propter periculum morale tum partis catholicae tum prolis.

4. Saepissime in nostris regionibus proles in tali casu sine ulla difficultate posset in fide catholica educari, dato quod pars catholica ad sacramenta Ecclesiae admitti posset et daret bonum exemplum vitae catholicae. Quod sub disciplina vigenti est moraliter impossibile propter nullitatem matrimonii. Quamobrem proles quasi semper adolet in haeresi vel sine ulla religione. Nam saepe saepius pars acatholica, quae bona fide putat se valide matrimonium contraxisse, coagitatur zelo sacerdotis vel desiderio « uxoris » matrimonium convalidandi, ita ut tandem aliquando odium erga fidem et Ecclesiam concipit, quod non fecisset si nulla esset necessitas matrimonium rectificandi.

5. Nostro igitur sensu bonum animarum postulat ut haec lex non amplius tamquam irritans retineatur. Tamen nolumus ut totaliter abrogetur. Omnino maneat ipsa lex. Muniatur, si necesse videatur, etiam poena latae sententiae excommunicationis. Ita eundem praecise effectum produceret deterrendi catholicos ab huiusmodi matrimoniis. Tollatur tantummodo vis irritandi matrimonium. Ita bonum animarum certe servetur.

6. *De legibus ecclesiasticis: promulgatio decretorum S. Sedis*

Recens praxis promulgandi decreta Apostolicae Sedis, in universali Ecclesia vigentia, nempe sive nimis tarde sive in ephemeridibus *Osservatore Romano,* sine ulla vacatione legis, multas difficultates frequenter suscitat in regionibus longinquioribus. Non raro enim debemus notitias de huiusmodi decretis eruere ex ephemeridibus profanis (cum magno periculo erroris), ac sat frequenter ad nos post tempus utile pervenerunt.

Redeatur igitur ad modum ordinarium canonis 9 *C.I.C.* promulgationis decretorum in *Actis Apostolicae Sedis,* cum vacatione trium mensium, ita ut apte possint omnibus innotescere et, quantum oportet, exponi fidelibus.

Pro decretis autem minoris momenti alius modus promulgandi prae manibus adest, nempe per tramitem Stationis Radiophonicae Vaticanae. Possent die et hora statutis (e. g. hora 18 diei Veneris) lingua latina promulgari, ac statim post, lingua vernacula.

7. *De facultatibus Ordinariorum*

Opportunum videtur ipso iure concedere Ordinariis locorum ampliores facultates dispensandi, non solum super impedimentis matrimonialibus, sed etiam super irregularitatibus ac impedimentis sacrorum ordinum, praesertim minoris momenti, e. g. aetatis.

Item, facultates ampliores concedere decet ut Ordinarii locorum valeant ipsi concedere favores et dispensationes pro religiosis quas S. C. de Religiosis libentissime dare solet.

8. *Ius poenale*

Quia in praxi iam fere totum ius poenale desuetudine quasi deperiit, funditus simplificetur ac ipsa simplicitate roboretur.

9. *De indulgentiis*

Opportunum videtur funditus simplificare totum hoc institutum.

Optandum putamus ut facultas saltem aliquas indulgentias concedendi impertiri possit clero tam saeculari tam religioso in pagella facultatum, e. g. indulgentias adnectendi coronis, rosariis, crucibus etc.

Nobis bene videtur quod Ordinarius habeat facultatem delegandi sacerdotem idoneum, etiam e clero saeculari, ad erigendam Viam Crucis.

10. *De cultu divino*

1. Praedicatores debent pollere profunda scientia Verbi divini. Haec autem in dies magis ac magis augeretur si in privata recitatione divini officii concederetur licentia utendi lingua vernacula. Enixe postulamus ut haec licentia concedatur.

2. In regionibus ubi lingua vernacula non est deducta ex lingua latina, praesertim ubi ab ea multum distat, usus liturgicus linguae latinae maiores difficultates suscitat quam in Italia, Hispania, etc. Ad meliorem intelligentiam Liturgiae divinae opportunum esset concedere usum linguae vernaculae non solum in ritibus passim adhibitis (e. g. in exequiis, in administratione sacramentorum, in benedictionibus) sed etiam in ipsa Missa catechumenorum. Recitatio orationum istarum alta voce in omnibus Missis lectis ac in aliis caeremoniis ecclesiasticis summopere commendatur.

11. *De prohibitione librorum*

Penitus reformetur tota lex de prohibitione librorum. Amoveantur ab Indice librorum prohibitorum opera quae aliquando periculum forsitan animabus inferre potuerunt, hodie autem omnino nullum afferunt.

Ius vigens non solum nimis implicatum, sed etiam multis fidelibus ridiculum videtur ex hoc capite, ita ut multi addicantur ad illud negligendum.

Ordinariis decet tribuere facultatem delegandi etiam habitualiter sacerdotes ad licentiam huiusmodi libris legendi concedendam.

12. *De taxis*

Taxae debitae iuxta ius vigens in singulis casibus pro concessione facultatum, gratiarum etc., a Romana Curia penitus aboleantur.

Earum verum loco substituatur taxa capitalis quotannis ab unaquaque dioecesi pro rata solvenda.

16

Exc.mi P. D. IOANNIS MURPHY

Episcopi Salopiensis (Shrewsbury)

Eminentissime Princeps,

Gratias ago de litteris die 18 iunii 1959 datis, quibus Eminentia Vestra Reverendissima vota et opiniones rogabat circa ea quae a Concilio Oecumenico excuti debeant.

Salva reverentia Tibi et ipso Concilio debita, respondendum censeo iuxta haec capita:

1. *De Missa.*

Opportunum videtur quasdam innovationes, recenti Ordine Hebdomadae Sanctae introductas, ad missalem extendere. Exempli gratia, ut Celebrans iam non legere debeat ea quae a choro vel ab aliis cantanda sint; ut ultimum evangelium semper omittatur.

Ex alia parte oppugnandi essent qui ritum latinum nimis immutarent, ut puta qui linguam vulgarem in Missam introducere vellent.

2. *De Rituali Romano.*

Lingua autem vulgaris utilius adhiberi potest in iis caeremoniis quae minus publicae sunt, nempe in administratione baptismi et matrimonii necnon in exsequiis persolvendis.

Accedit ratio pastoralis; inter circumstantes saepius adsunt vel rudes quibus ritus sacer nihil significat, vel acatholici qui usus nostros plane ignorant.

Quod ad exsequias parvulorum attinet, ordinem omnino novum desiderarem.

3. *De Beatissima M. V., omnium gratiarum Mediatrice.*

Definitio huius dogmatis, quamvis in se desideranda, magnas difficultates moliret ex parte haereticorum, qui hyperduliam ab idolatria vix distinguunt. Conversio eorum maxime retardaretur.

Haec dixisse velim, ne theologi nostri aspectum practicum seu pastoralem negligant.

4. *De ieiunio Eucharistico ulterius reducendo.*

Optarem ieiunium Eucharisticum ad duas horas restringi.

Operarii enim nequeunt sine gravissimo incommodo sanctissimam Eucharistiam horis vespertinis recipere. Nam ieiunium trium horarum, postquam onus diei sustinuerunt, difficilius illis vel impossibile evadit.

Tamen Missa vespertina introducta est ut fideles non solum assistere possint, sed et ut ad sacram Synaxim accedant. Ieiunium duarum tantum horarum hisce in regionibus valde prodesset.

5. *De reservatione papali beneficiorum.*

Iuxta canonem 1435, § 1, quarto, evenire potest ut ob unam vacantiam beneficiis pluribus Romanus Pontifex manus apponat, si beneficiarios successive promoveat vel transferat. Priusquam ultimum beneficium

confert, mora longius protrahitur; quod magnum incommodum facit si, uti saepius accidit, beneficia sint paroeciae.

Ne cura animarum in dioecesi detrimentum patiatur, desiderarem aliquem limitem, ne series reservationum in infinitum progrediatur.

6. *De Religiosis.*

Optandum est iura et privilegia religiosis ulterius definiri seu determinari, ne inter religiones et Ordinarium occasio rixarum habeatur.

Exempli gratia, clarificatio desideratur circa obligationem Ordinarii, quod attinet ad scholas seu collegia quae alumnis religiosis educandis destinata sunt.

Quae omnia mihi videntur digna ut in Concilio Oecumenico excutiantur.

Maxima ergo reverentia et obsequio has opiniones ad Eminentiam Vestram Reverendissimam transmitto.

Datum Salopiae, die 30 octobris 1959.

✠ IOANNES A. MURPHY
Episcopus Salopiensis

17

EXC.MI P. D. CYRILLI C. COWDEROY
Episcopi Southwarcensis (Southwark)

Prot. N. 1 C/59-1291 bis

Eminentissime Princeps,

Paenitet me responsum non dedisse interrogationi Eminentiae Vestrae litteris die 18 iunii 1959 datis expositae, sed post Congressum Episcoporum Angliae et Cambriae mense octobri anni 1959 habitum putabam Eminentissimum Dominum Cardinalem Archiepiscopum Westmonasteriensem pro omnibus Episcopis istius regionis relationem protulisse. Doleo autem negligentiam meam et enixe rogo veniam ab Eminentia Vestra. Certe semper paratus sum ad praestandam omnem voluntatem Sanctitati Domini Nostri.

Iuxta tenorem igitur epistolae Eminentiae Vestrae memoratae nunc omni qua par est observantia aperio mentem meam circa aliquas res quae forsan in futuro Concilio Oecumenico opportune possint tractari.

I. *De potestate Episcoporum*

Aestimo opportunum esse iterum affirmare doctrinam Tridentinam de iurisdictione Episcoporum et praesertim iis in rebus quae oriuntur inter Episcopos et Religiosos sic dictos exemptos.

1. Hic in Anglia Religiosi, documento Pontificali « Romanos Pontifices » nitentes, aliquando voluntati Ordinarii obstant in iis rebus quae curam pastoralem spectant. Non est dubium quin isti Religiosi semper exhibeant erga Episcopum maximam reverentiam necnon et benevolentiam. Sed saepe exstat difficultas haud parva habendi ab eis plenam relationem administrationis bonorum paroecianorum. Nonnunquam asseritur a parocho religioso ut plena scientia de paroeciae opibus solum a Superioribus habeatur.

2. Sunt etiam Religiosi qui aegre ferunt visitationem inspectatorum quos mittit Episcopus ut pueros scholis eorum addictos examinent de scientia et praxi Fidei Catholicae. Quidam autem religiosi — e. g. Patres Ordinis Sancti Benedicti apud Worth in Dioecesi Southwarcensi — strenue recusant talem visitationem subire eo quod exempti sunt secundum tenorem decreti « Romanos Pontifices ». Sed alii eiusdem Ordinis apud Ramsgate libenter et debito honore inspectatores meos recipiunt.

II. *De unitate Ecclesiae*

Visis tot falsis opinionibus de natura Ecclesiae Christi, mihi videtur valde necessarium esse ut doctrina de ipsius divina institutione et unitate reiteretur.

1. Inter Protestantes in Anglia sunt multi, Ecclesiae Anglicanae adscripti, qui se affirmant esse vere Catholicos et membra Ecclesiae Iesu Christi. Iuxta hanc falsam opinionem, Ecclesia fundata a Domino Nostro est de facto divisa et unitas Ecclesiae, saltem ad tempus, est perdita. Ecclesia Anglicana sine dubio est vere Catholica et pars legitima universalis Ecclesiae, etsi ab Ecclesia Romana separata.

2. Pauci vero Anglicani, qui « Papalistae » vocantur, etiam credunt Romanum Pontificem plenam et supremam iurisdictionem in universam Ecclesiam iure divino habere et infallibilem esse: sed nolunt in praesenti praestare oboedientiam mandatis Summi Pontificis quia, ea conditione religionis in Anglia existente, non expedit eis. Verumtamen fatentur se esse schismaticos sed sine culpa et se debere in Ecclesia Anglicana manere in eo ut, aliis Protestantibus ad eorum opiniones conversis, omnes tunc reunionem petant cum Ecclesia Romana.

3. Sunt autem alii quibus valde placet imitare caeremonias et consuetudines Ecclesiae Romanae. Nihilominus ipsi putant quod tota Ecclesia (i. e. omnes partes et divisiones Ecclesiae), in errorem sit lapsa: unitas vero inveniatur solum cum omnes « Ecclesiae », etiam Ecclesia Romana comprehensa, reiectis multis doctrinis antea sustentatis, conventum faciant ita ut reliquum exiguum veritatis Christianae communiter acceptum ab omnibus credatur.

4. Attamen perplurimi Anglicani nunc admittunt fatuitatem et impossibilitatem talis solutionis. Dicunt ergo unitatem Ecclesiae Christi solum moralem debere esse. Secundum eorum sententiam parvum interest ut omnes Ecclesiae teneant dogmata contraria; possunt autem eodem tempore in unione amoris et amicitiae esse coniunctae.

5. Omnes Protestantes sciunt Ecclesiam Romanam in praesenti reicere opiniones ut supra expositas. Sed firmiter credunt Ecclesiam Romanam in futuro mentem mutaturam esse. Nam iuxta multos Anglicanos Catholici Romani huius regionis auctores sunt « superbiae et arrogantiae » quibus argumenta eorum reiciantur. Dicunt affirmationem nostram de immutabilitate doctrinae Ecclesiae, praesertim quoad unitatem, ortam esse propter invidiam et despicientiam. E contra, iuxta eos, Catholici aliarum regionum sunt humaniores et etiam putant Anglicanos esse membra Ecclesiae Catholicae: illi vero Catholici sunt parati quaerere cum Anglicanis novam formulam, novam explicationem veritatum Ecclesiae, ita ut cum Ecclesia Anglicana in rebus dogmaticis Ecclesia Romana se accommodet: de facto, haec falsa opinio nocenter impedit multos haereticos ne in sinum verae Ecclesiae Christi recipiantur. Nam putant ut, aliqua mora elapsa et conditionibus eorum acceptis, Ecclesia velit cum eis se coniungere: solum requiretur patientia et concessus ab ambabus « Ecclesiis ».

Et igitur puto opportunius esse cum maxima caritate affirmationem a Concilio de vera essentia unitatis Ecclesiae et de irreformabilitate veritatum quae sunt de fide promulgatae.

III. *De caelibatu Sacerdotum*

1. Inter neo-conversos ad Fidem hic in Anglia (et forsan alibi) non desunt multi ministri sic vocati Protestantes, uxores et infantes habentes. Perpauci Catholici aestimantur opportunum esse ut hi viri ad Sacerdotium vel saltem ad Diaconatum promoveantur. Dicunt autem quod multi « ministri Protestantes » debeant magnam anxietatem et angorem pati ante accessum prope ad veritatem Ecclesiae Christi; sint valde boni et in confectione cuiusdam « ministerii religionis » sint pe-

riti: et igitur, etiam uxoribus retentis, post ordinationem in Ecclesia Catholica rite susceptam, possint praestare servitium valde utile.

Additur argumentum quod multi propter reiectionem errorum haereticorum nunc versentur in paupertate et egestate, et non sine magna difficultate possint operose uxorem et liberos sustinere. Admissi autem ad Sacerdotium, honestam sustentationem consequantur.

(Sed notandum est hic in Anglia esse Societatem pro sustentatione « ministrorum » neo-conversorum — vulgo, « Convert's Aid Society » —, quae etiam adiuvat eos ut opera saecularia aggrediantur et vitam frugi, cum debita dignitate, honeste ducant).

2. Praeterea sunt pauci Catholici qui aestimantur ut expediat habere, ob penuriam sacerdotum, etiam diaconos uxoratos, nunquam ad Sacerdotium promovendos, sed in ministerio auxilium sacerdotibus, praesertim in regionibus remotis ubi non adest sacerdos, praestantes.

(En propositio absurda: In Anglia non exstat talis penuria sacerdotum: et sacri ministri qui sunt diaconi et carent potestate Sacrificium Missae offerendi et peccata dimittendi, non dabunt officium utile in Ecclesia ubi abest sacerdos).

Non est dubium quin magnum scandalum oriatur inter fideles si sacerdotibus vel etiam diaconis uxores liceret habere et in statu coniugali versari. In Occidente autem caelibatus est gloria totius Ecclesiae et sanctitas presbyterorum firmatur augeturque cum, Deo adiuvante, fideliter servent perfectam castitatem. Apud nos etiam Protestantes habent sacerdotes Catholicos ut specialissimo modo in sortem Domini vocatos propter votum vel propositum vitam castam ducendi. Credo igitur opportunum esse ut in Concilio de vita sacerdotali pertractetur et ut fiat quaedam affirmatio de sublimitate gloriosa caelibatus clericalis.

IV. *De libero arbitrio et de peccato*

Confutetur a Concilio error pessimus, qui omni die grassatur, qui docet lapsus morales non esse peccata sed mere anomalia paene vel omnino sine culpa, orta vero ab elementis physicis aut a defectibus ingenii animique humani. Notio peccati, iuxta sententiam istam, est prorsus inepta et etiam noxia hominibus.

Fideles saepe consulunt medicos « psychiatristas » qui non sunt Catholici et qui praestant consilium iuxta falsam opinionem memoratam. Idem error frequenter per libros et ephemerides pervulgatus est. Sunt etiam publici oratores qui vel per medium radiotelephonicum vel per medium radiotelevisivum vel alias plene et audacter negant peccatum esse delictum contra voluntatem et honorem Dei.

Ideo opportunam censeo affirmationem de libero arbitrio, de gravitate peccati et de gratia Dei cuius opere tentationes vere superari possunt.

Sacram Purpuram reverenter deosculans,

Dominationis Vestrae Eminentissimae
servus addictissimus
✠ CYRILLUS C. COWDEROY
Episcopus Southwarcensis

18

EM.MI P. D. GULIELMI CARD. GODFREY
Archiepiscopi Vestmonasteriensis (Westminster)

29 septembris 1959

E.me ac Rev.me Domine mi Obs.me,

Grato animo veneratas Eminentiae Tuae Rev.mae litteras accepi, quibus notum mihi fecisti Augusti Pontificis desiderium opiniones seu sententias Episcoporum cognoscendi ad operam Commissionis Antepraeparatoriae facilitandam pro futuro Concilio Oecumenico a Summo Pontifice Ioanne XXIII fel. regn. indicto.

Qua par est humilitate, quaedam exponam quae dictae Commissioni possunt esse utilia.

I. *De unione*

1. *In genere.* Non est cur multa dicam de Occidentis Orientisque unione ab omnibus adeo desiderata; nam hac in re, uti patet, cum Christi Vicario omnes concordes sumus. Pro certo autem habeo quod maximae utilitatis esset expositio praecisa in ipso Concilio exaranda differentiarum doctrinalium quibus divisi sumus.

2. *In specie: de anglicanis.* In primis notandum, fere impossibile est quod ii qui extra Britanniam degunt situationem nostram adequate percipere possint. Anglicani enim multifarie multisque modis usus Catholicos imitantur, ita ut decipiantur etiam electi, ii praesertim qui ex aliis regionibus oriundi hic per breve tantum tempus commorantur. Vident namque ecclesias anglicanorum quae omnino quasi Catholicae ornantur, in quibus habentur v. gr. reservatio eucharistica, cultus imaginum, confessionalia etc., unde facile sed falso deducitur quod ecclesia anglicana verae Christi Ecclesiae valde sit vicina. Talibus advenis, uti

patet, perfacile ab anglicanis persuaderi potest quod Catholici huius insulae nimis rigidi, intolerantes, immo sine caritate sumus erga fratres dissidentes. Apparentiis enim externis decepti, minime intelligunt quam profundae sint differentiae tam doctrinales quam morales quae anglicanos ab Ecclesia separant.

Ad situationem accurate intelligendam necesse est non tantum scripta et sermones sed etiam gesta eorum quotidie observare et examinare. Quanta sit confusio relate ad quaestiones morales et disciplinares nemo est qui ignorat; neque episcopis eorum una est mens etiam de divinitate Christi, de reali in Eucharistia Christi praesentia, de Petri eiusque successorum primatu, de inferno et de purgatorio, etc. Quomodo ergo dici potest ecclesiam anglicanam vicinam esse Christi Ecclesiae?

Sunt quidem aliqui ministri anglicani, paucissimi omnino, qui profitentes se doctrinam Catholicam acceptare « Papalistae » nuncupantur. Si interrogantur curnam in schismate maneant, respondere solent suam vocationem in eo consistere ut in ecclesia anglicana permaneant « ad fermentandam totam massam ». Minime enim intelligunt schismaticum seu haereticum, cui persuasum est de suo errore, obligationem habere ab eo quamprimum recedendi, ad animam suam salvandam.

II. *De Beata Maria Virgine*

Doctrina Catholica de B. M. V. eiusque praerogativis terminis praecisis exponatur, ita ut protestantibus omnis occasio eam falsificandi auferatur. Nam multi sunt qui animo sincero lucem quaerentes, ab Ecclesia tamen repelluntur, eo quod praeiudiciis imbuti doctrinam nostram de B. M. V. male intelligunt.

Moneantur ergo praesertim clientes Virginis devotissimi de periculo exaggerationis. Arceantur v. gr. a precibus in quibus beatissima Virgo ut « Salus mundi » seu « Salvatrix mundi » describitur; nam tituli huiusmodi occasionem praebent accusationis « Mariolatriae ». Haec scribo in medio nationis protestanticae, ubi bene ex experientia scimus quomodo istae voces ab acatholicis male intelligantur. In aliis forsitan regionibus traditionis catholicae possibile est ut res non ita se habeat, sed videtur quod semper et ubique debet adesse periculum. Locus autem Mariae in divina oeconomia nonne est adeo sublimis ut qualicunque exaggeratione haud egeat?

III. *De cleri disciplina*

1. *De coelibatu.* Extollatur sacerdotum in Ecclesia occidentali coelibatus, gloria nostra et totius mundi aedificatio, ita ut omnibus clare

appareat hac in disciplina nullam fore spem relaxationis. Haec scribo quia non desunt medici qui sacerdotibus curam psychologicam quaerentibus, vitam coniugalem uti necessariam audent proponere.

2. *De diaconis coniugatis.* Sunt qui postulant sacri diaconatus ordinis collationem viris etiam coniugatis, qui vitae coniugalis communione servata, adiutorio essent sacerdotibus in opere pastorali et in Sacramentorum administratione. Meo autem humili iudicio, talium ordinatio diaconorum effectum nocivum haberet, quia scilicet in mentibus fidelium necnon ipsius cleri minueret aestimationem coelibatus et castitatis eorum « qui portant vasa Domini ». Nescio quot sint qui talem novitatem in Ecclesiam introducendam urgent, sed experientia docet quod pauci clamantes plures quam de facto sunt saepe videntur. In Britannia tamen vix auditur talis desiderii expressio.

3. *De veste clericali.* Notavimus aliquam, ex parte itinerantium, negligentiam. De usu vestitus qui vulgo « clergyman » vocatur non agitur, nam hic est omnino receptus et nullam suscitat admirationem; sed non raro ad nostram Cathedralem clerici veniunt modo minus digno vestiti, qui etiam paramenta sacra sine veste talari volunt assumere. Mihi videtur quod sine dubio bonus fidelium instinctus talem laxitatem deplorat.

4. *De stipendiis Missarum.* Opportuna esset restauratio disciplinae strictioris qualis habebatur in decreto *Ut debita,* S. Pii X (11 maii 1904), ita ut revera « a stipe Missarum quaelibet etiam species negotiationis vel mercaturae omnino arceatur » (can. 827). In nostra utique regione huiusmodi abusus non video, sed nimis frequenter litteras ab exteris recipimus quae speciei commercii haud sunt expertes. Restauratio ergo S. Pii X disciplinae strictioris hisce diebus esset valde utilis, ad protegendam divini Sacrificii dignitatem et ad scandali possibilitatem removendam.

5. *De remotione parochorum.* Valde desideratur simplificatio modi procedendi in remotione parochorum saltem inamovibilium in *Codice I.C.* praescripti. Nimis enim complexus est, et ita prolongatus ut detrimentum fere semper pro fidelibus evadat, neque scandalum facile est ut vitetur. Parochi debent utique contra iniustitiam defendi, sed agitur in primis de cura animarum et multo commodius esset si ipse Ordinarius, processu quodam in dioecesi debitis cum cautelis peracto, rem persolvere valeret, minime excluso uti patet recursu ad Sanctam Sedem.

IV. *De cleri formatione*

1. *De vacationibus.* Omnino dolendum est de tendentia quae alicubi notatur vacationes seminaristarum extendendi, ita ut non semel

tantum in anno, tempore scilicet aestivo, in familiam redeant, sed etiam tempore natalicio et paschali. Si autem vacatio quaedam sub finem anni necessaria ducatur, nonne restringi debet ad aliquos inter festa Nativitatis et Epiphaniae dies, ita ut haec festa semper in seminario ritu sollemni celebrentur?

2. *De ratione studiorum.* Non raro illi qui ad sacros ordines accedunt quasi nihil de lingua graeca sciunt. Non ita erat paucis abhinc annis, quando studiorum fundamentum solidum in linguis classicis poni solebat, et alumni, etiam minus intelligentes, Evangelia in lingua graeca legere poterant.

3. *De seminaristis tardioris vel provectioris aetatis.* Grati et laeti accipimus eos qui in aetate tardiori Episcopo sese offerunt atque idonei videntur qui seminarium ingrediantur. Attamen cavendum est ne cursus studiorum talibus candidatis nimis abbrevietur, quasi incapaces essent regimen seminarii supportandi ideoque disciplina multo mitiori ad rem perficiendam egerent. Mea enim experientia contrarium docet, nempe quod tales candidati etiam provectioris aetatis omnino parati sunt ad cursum completum iuxta praescripta *C.I.C.* perficiendum. Non autem excludo utilitatem collegiorum specialium pro « vocationibus tardivis », pro iis nempe qui adeo aetate sunt provecti ut difficillime inter iuvenes admittantur; sed etiam in his collegiis, concessa disciplina aliquantulum mitiori, non est cur studia abbrevientur. Ne unquam accidat quod post tres annos cum dimidio celebretur Missa! Standum est Codici, neque citius manus imponamus in detrimentum Ecclesiae. Haec autem modo particulari debent notari, quando agendum est de ex-ministris ab haeresi seu schismate conversis, quippe qui maiorem prae ceteris cursus adaequati praeparationis habeant necessitatem. Nam ideae falsae ex mentibus eorum totaliter eradicari debent, ut doctrina Catholica pura et integra assimiletur. Proh dolor, non desunt qui etiam post ordinationem sacerdotalem in antiquam haeresim lapsi, immo ad ministerium protestanticum sunt reversi.

V. *De sacra Liturgia*

Haec est quaestio magni momenti et optandum est quod Concilium modo clarissimo mentem Ecclesiae manifestet.

1. *De periculo modernismi.* Quod ad praxim liturgicam, timeo valde ne periculum instet cuiusdam modernismi, ita ut quod S. Pius X in re dogmatica et Pius XII v. m. in re morali (ethicam nempe « circumstantialem ») damnaverunt, hodie in re etiam liturgica oporteat condemnare. Modernismi enim ubique error in eo consistit quod a plerisque — hac autem in dioecesi quam rarissime, et ita etiam in tota

insula nostra — sacra liturgia secundum dictamina iudicii privati seu interpretationis individualis, modo ut ita dicam protestantium, dirigatur. Nonne autem in praxi liturgica fides debet manifestari? Lex enim orandi est lex credendi.

2. *De usu linguae vulgaris.* Lingua latina in tota Missa adhibeatur, et ut lingua universalis Ecclesiae Occidentalis inviolabiliter atque perenniter conservetur. Sunt autem in Anglia, sicut in aliis regionibus, qui linguam vulgarem etiam in divinum Sacrificium introducerent; meo autem iudicio illi magis « entusiastici » sunt quam sapientes. Ego quidem, hac in re, traditionis fervens sum amator.

Attamen nollem excludere omnino usum linguae vulgaris in administratione Sacramentorum, in benedictionibus et in aliis sacramentalibus, saltem quoad partes minus essentiales. Pro certo habeo ex experientia vitae pastoralis in duabus magnis dioecesibus, quod occasione benedictionis novae domus scholaris v. g., seu alius aedificii publici, magnum esset adiumenti si preces ab omnibus assistentibus possent intelligi sive a fidelibus sive ab acatholicis qui civilis officii causa talibus functionibus solent assistere. Nam si precum pulchritudo ab eis perciperetur, et « sympatia » eorum erga Ecclesiam augeretur.

3. *De Missali et Breviario reformandis.* Mutationes recenter introductae grato animo ab omnibus accipiuntur, et valde optandum est quod nova Missalis et Breviarii editio, iuxta ista principia redacta, sine mora publicetur. Immo magnae erit satisfactioni clero tum saeculari tum religioso necnon devoto femineo sexui et omnibus qui divinum recitant officium, si haec editio definitiva declarabitur, i. e. si cautum fuerit quod per periodum sat longam a Sancta Sede stabiliendam maneat immutata.

Meo humili iudicio, psalmi dominicales nimis adhuc frequenter recurrunt, et collectae pro quibusdam officiis recentioribus compositae nimis longae sunt. A collectis pulcherrimis post-pentecostalibus quantum distant! Pro Missam cantantibus, quantum augent difficultatem!

Nullo autem modo officium quotidianum reducendum esse vellem, quia etiam in paroeciis magis populatis et activitate plenis saltem una hora possumus cum Christo vigilare.

VI. *De Clausura Monialium*

Haud infrequentes hisce temporibus petitiones fiunt pro exitu extra clausuram obtinendo. Nam ob progressum in medicina et chirurgia, medici seu dentistae nec volunt nec possunt apparatum modernum intra clausuram secum portare; immo etiam examina cum radiis-X perficienda non raro statim debent fieri, ita ut moniales sine mora debeant exire.

Utilissimum ergo esset si Ordinariis concederentur facultates dispensandi ampliores, tam ad moras evitandas quam ad nimium in curiis dioecesanis laborem reducendum. Neque enim extensio facultatum recenter concessa difficultatem solvit, neque facile est iteratim ad Delegatum Apostolicum recurrere debere. Qua de causa vel amplientur Episcoporum facultates vel ipsa clausura papalis relaxetur.

VII. *De ieiunio et abstinentia*

1. *De ieiunio quadragesimali.* Nemini non patet observationem quadragesimalem, sicuti hodie relaxata evenit, cum spiritu antiquo sicuti in S. Liturgia conservatus est minime consonare. Qua de causa utile forsitan esset novam aliquam ieiunii formam instituere, conditionibus hodiernis magis adaptatam, quam omnes vel fere omnes fideles observare possent, eliminando scilicet totam quaestionem de quantitate cibi sumenda, et ieiunium qualitativum introducendo, ita ut per totum tempus quadragesimae *semel tantum in die* carnem sumere liceret. Ita enim retineretur essentia spiritus quadragesimalis, violentia nempe quaedam appetitui seu palato facienda, et iterum in collectis de tempore recte aliquo modo de « maceratione carnis » loqueremur. Praxis enim fidelium veram aliquam cum Liturgia haberet relationem, ut « mundi per abstinentiam Ipsi canamus gloriam ».

2. *De lege abstinentiae feria sexta servanda.* Optandum est quod Ecclesia hanc obligationem nunquam relaxet. Heic enim in Britannia scrupulose a fidelibus observatur, ita ut magna detur etiam acatholicis aedificatio, neque ulla exstat ordinis practici ratio quominus continuetur. Ipsi medici, ni fallor, rationibus altioribus praetermissis, sapientiam Ecclesiae hac in re magni aestimant, qui periodicae ab usu carnium abstinentiae praxim perlaudant.

VIII. *De indice librorum prohibitorum*

Debemus notare quod fideles hodierni de Indice fere nil sciunt, ita ut non raro etiam bona conscientia contra legem agant. Melius forsitan esset si categoriae librorum in Indice ponendorum magis restringerentur, ita ut illi soli nominarentur qui sive in re doctrinali sive morali falsas doctrinas ex professo docent, necnon et libri gravissimo modo obscoeni. Ceteri enim ab ipsa fidelium conscientia iam damnantur neque necesse est ut nominatim in Indice contineantur. Ipse ergo elenchus multo brevior tunc evaderet, qui facile frequentioribus revisionibus redactus omnibus posset per Ordinarios et parochos divulgari.

Haec omnia debita cum humilitate scribo, supremae Christi in terris

Vicarii auctoritati et Sanctae Romanae Ecclesiae Catholicae toto corde me submittens.

Restat iam ut Eminentiae Tuae manus humillime deosculer profunda veneratione, dum me subsigno

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mum et dev.mum servum verum
✠ GULIELMUS Card. GODFREY
Archiepiscopus Vestmonasteriensis

19

EPISTULA

EM.MI GULIELMI CARD. GODFREY

qui mentem manifestat horum Episcoporum:

EXC.MI P. D. FRANCISCI J. GRIMSHAW, *Ep. Birminghamiensis*
EXC.MI P. D. BERNARDI P. WALL, *Ep. Brentvoodensis*
EXC.MI P. D. IACOBI D. SCANLAN, *Ep. Matrisfontis*
EXC.MI P. D. EDUARDI ELLIS, *Ep. Nottinghamensis*
EXC.MI P. D. IACOBI BLACK, *Ep. Pasletanae*
EXC.MI P. D. IOANNIS H. KING, *Ep. Portus Magni*
EXC.MI P. D. GEORGII A. GECK, *Ep. Salfordensis*

Prot. N. 1 C/59-46 11 aprile 1960

Eminenza Reverendissima,

Tornato in Sede dopo una visita a Roma mi affretto a ringraziare Vostra Eminenza Reverendissima per l'udienza benignamente concessami dall'Eminenza Vostra Reverendissima.

Ho comunicato subito con quei Ecc.mi Vescovi i quali fino ad ora non avevano espresso il loro parere circa le questioni che dovrebbero, quanto pare a loro, essere oggetto di discussione nel Concilio Ecumenico.

I Vescovi, non dubito, scriveranno personalmente, come desidera Vostra Eminenza.

Intanto, se non sbaglio, sarà utile indicare le cose che, quanto risulta dalla mia conoscenza della loro mente, le questioni che a loro sembrano le più importanti. Esse sono:

a) La posizione dell'Episcopato « vis-à-vis » con gli Ordini e Congregazioni Religiose. Il punto essenziale sarebbe la pretesa di alcuni, quanto sembra, di diminuire la giurisdizione dei Vescovi.

b) Una revisione delle leggi penali per rendere il processo più semplice.

c) Una revisione degli impedimenti matrimoniali (specialmente « impedientia »).

d) Una revisione della legge dell'alienazione.

e) Maggiore insistenza sulla dottrina dello Spirito Santo.

f) La Promulgazione dei Decreti Romani che sono erroneamente interpretati dalla stampa prima che l'Episcopato ne abbia informazione ufficiale.

Queste sono le cose, Eminenza, che quanto mi consta, preoccupano l'Episcopato.

Ma, come ripeto, ho informato tutti i quali hanno mancato scrivere, che Vostra Eminenza attende le loro comunicazioni individuali e che non basta associarsi colle idee esposte da me nella mia prima risposta.

Bacio le mani dell'Eminenza Vostra Reverendissima con devotissimi ossequi e profonda stima e mi onoro di riaffermarmi

obb.mo servo vero

✠ GUGLIELMO Card. GODFREY

20

EXC.MI P. D. GERARDI P. O'HARA

Archiepiscopi tit. Pessinuntini, Delegati Ap. in Anglia

Prot. N. 583/60 26 aprile 1960

Eminenza Reverendissima,

Chiedo umilmente scusa del lungo ritardo con cui rispondo al venerato Dispaccio dell'Eminenza Vostra Reverendisisma, N. 1 C/59-1244, del 18 giugno 1959 relativamente al Concilio Ecumenico.

Vorrei sperare che le cose che ho proposto, siano di qualche interesse all'Eminenza Vostra.

Con sensi della più profonda venerazione, mi inchino al bacio della Sacra Porpora e mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
umilissimo, devotissimo e obbligatissimo
servitore

✠ GERALDO P. O'HARA
Delegato Apostolico

In genere

1. Perutile videretur constituere in singulis dioecesibus sub Episcopo congregationem quamdam consultivam compositam ex sacerdotibus, religiosis et fidelibus, insignibus pro eorum erga Ecclesiam amore, necnon peritia, sapientia et prudentia, qui, mediante Episcopo, sensum panderent de rebus eorum iudicio attentione dignioribus in Concilio Generali.

2. Concilium vero totam impendat animam quaestioni dolorosissimae catholicorum a fide lapsorum; itemque problemati conversionis infidelium, omniumque acatholicorum, inclusis membris Ecclesiarum dissidentium quae se titulo Orthodoxarum decorant. Enimvero, meo iudicio, orientatio characteristica Concilii Vaticani II *missionaria* esse debet. « Ut omnes unum sint » (*Ioan.* 17, 21). « Dico vobis quod ita gaudium erit in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis, qui non indigent poenitentia » (*Lucas,* 15, 7).

3. Ut ingenue aperiam sensum meum, reconciliatio lapsorum habeatur ut res conciliaris primi ordinis et maximae praestantiae.

4. Quapropter, sine ambagibus adoriatur Concilium lamentabilem per totum orbem perditionem fidei quae omnes nationes et terras foedat et tot animas in servitute detinet.

5. Huius vero fidei perditae causae saepius de natione in nationem differentes evadunt. Optanda ergo videretur constitutio in singulis nationibus corporis sacerdotum, religiosorum et laicorum, zelo animarum praeditorum, qui ad trutinam revocent rationes cur tot a fide labantur, et remedia proponant efficacia contra hanc luem.

6. Episcopi etiam in suis relationibus quinquennalibus poterunt ad unguem tractare de talibus conlegiis dioecesanis, relatis *a*) nominibus membrorum; *b*) frequentia congressuum; *c*) numero, nominibus sacerdodum et peritorum in consultationem vocatorum; *d*) mediis propositis pro inculcanda fide catholica in mentibus parvulorum, adolescentium et adultorum in diversis communitatis stratis.

7. Tales vero relationes reddantur Officio Romae creato ad hunc unicum finem ut studeat quaestioni Catholicorum lapsorum et conversioni acatholicorum et, temporibus aptis, idem Officium instructiones ad rem pertinentes mittat Episcopis totius orbis Catholici.

8. Omnino consentaneum videtur ut in Bullis quibus Episcopi nominantur, fortiter ipsis onus iniungatur convertendi mentem suam, necnon mentes suorum sacerdotum et fidelium huic pervicaci ac horrendo problemati lapsorum et convertendorum.

9. Forsan per nostram incuriam de genuina educatione gregis in Iesu

Christi D. N. fide et disciplina Catholici perduntur in magno numero. Gravissimum sane nobis onus incumbit episcopis, clero, religiosis, fidelibus, ac praesertim parentibus, instructionem providendi genuinam et omnibus numeris absolutam.

In re dogmatica

1. Submitto nos nunquam debere aggredi proclamationem cuiusvis doctrinae ut fidei dogmatis simpliciter ut satis fiat devotioni personali alicuius coetus Catholicorum, sed unice ut vindicetur per totum mundum veritas fidei quae in discrimen vocata sit. Nec definiatur ullum doctrinae caput quod inter veri nominis theologos adhuc legitimae discussioni subiacet. Puto etiam nexum inter Ss. Litteras et Traditionem clarificari debere, et vim Traditionis accuratius affirmandam esse in beneficium mundi acatholici qui illam parvipendit et nonnisi primum fontem revelationis, scl. Ss. Scripturas, agnoscit.

2. Optimum videretur si Concilium Vaticanum II pertractaret quaestiones de origine ac natura episcopatus catholici, eiusque cum Primatu relatione, quae res, ut videtur, in Primo Concilio Vaticano agendae erant sed, propter alienas circumstantias, relictae sunt.

3. Optandum etiam esset verbum Concilii de vera indole vitae christianae quae non consistit solum in custodia mandatorum et observantia praeceptorum ecclesiasticorum, sed in reali unione animae cum Deo per gratiam sanctificantem. En conceptus de quo rarius praedicatur! Aliis verbis doctrina de effectibus gratiae sanctificantis in anima uberius ac latius diffundatur et explicetur.

4. Suggero pro discussione restaurationem diaconatus ut remedii defectus numeri sacerdotum et etiam ut status in quo pastores conversi ministeria praebere possint etiam in matrimonio viventes.

In re administrativa et iuris canonici

1. Humiliter suggeritur creatio ab ovo novae Congregationis Romanae sub titulo « *S. Congregatio pro Episcopis* » cui Episcopi totius mundi recursum habere possent in permultis quaestionibus quibus agitantur in suis relationibus tam cum ipsa S. Sede, quam cum propriis sacerdotibus, religiosis et fidelibus. Talis congregatio posset assimilari S. Congregationi pro Religiosis. Episcopi siquidem potiore iure egent directione et iuvamine S. Sedis. Nonnunquam in actualibus circumstantiis Episcopi nesciunt cuinam S. Congregationi se convertere pro solutione problematum quibus circumdantur.

2. Optabiles omnino essent novae editiones *Codicis I. C.*, v. g. singulis decenniis cum mutationibus introductis in praecedenti periodo, et adiectis decisionibus Commissionis pro Interpretatione *C.I.C.* In multis, ut in aperto est, Codex 1918 iam non respondet hodiernae disciplinae et praxi.

3. Videretur res esse alicuius considerationis digna, exclusa S. Sede, indicare aetatem, qua adepta, Episcopus residentialis onus pastorale deponere *posset*, et aetatem maiorem, qua adepta, *debet*, debita provisione facta, pro congrua eius sustentatione.

4. Episcopi dioecesium, quae aut territorium valde extensum aut magnam populationem catholicam continent, urgeantur a Sancta Sede ut adiutorium episcopi auxiliaris seu coadiutoris petant. His diebus administratio dioecesis facta est valde complexa propter nova problemata non pauca ab episcopis resolvenda, necnon propter novas societates et organisationes quae manent sub tutela episcopi. Tanti episcopi tam onerati sunt labore executivo et administrativo, ut tempus adaequatum pro activitatibus formaliter pastoralibus invenire nequeunt.

5. Humiliter suggeritur quod facultas episcopis concedatur permittendi sacerdotibus (qui sint etiam praelati) administrationem sacramenti confirmationis. Exinde haberent episcopi tempus visitandi paroecias etc. sine onere, quod nimis consumit tempus, administrandi confirmationem.

6. Propter populationem valde augmentatam catholicorum et consequentem maiorem numerum casuum matrimonialium, humiliter suggeritur quod tribunalia ecclesiastica regionalia, legali forma constituta, erigantur pro illis dioecesibus ubi deest numerus sufficiens clericorum pro hoc munere sufficienter praeparatorum. Officialis itemque omnia alia membra talium tribunalium regionalium exempti esse debent ab omni alio labore, ita ut se dedicent totaliter labori ex tribunalibus orienti. Gemitus saepe audiuntur omni ex parte de facto quod nimis prolongentur casus tribunalibus submissi. Causa prolungationis saepe est quod membra tribunalium dioecesalium alium laborem habent qui multum tempus consumit.

7. Desiderabile mihi videtur ut in omni continente constituerentur tribunalia ad instar Sacrae Rotae Romanae quae invigilarent expeditioni veloci omnis generis rerum litigatarum. Hoc in casu, tales Rotae pollerentur eadem auctoritate ut S. Rota Romana, etiam constituerentur exacte sicuti S.R.R. nempe cum iudicibus propriis et aliis officialibus plene qualificatis pro munere suo itemque a S. Patre nominatis. Talia nova tribunalia inservirentur solutioni expeditiori casuum, ad magnum beneficium animarum.

Quamquam non in eo cogitatu sim ut suggeram Datariae Ap. abolitionem, attamen, omni cum respectu, vellem conciliare reductionem nu-

meri paroeciarum reservatarum, specialiter earum propter mortem vel translationem Familiarium reservatarum (c. 1435 p. 1 n. 1). Numerus horum Familiarium actualiter parochorum permagnus est, ita ut graves inconvenientiae oriri possunt si huiusmodi paroeciae ad tempus considerabile vacuae maneant quod, miserabile dictu, pluries verificatur.

8. Humiliter suggero constitutionem officii separati, cum Secretariatu Status connexi, ad promovendas relationes constantes necnon cordiales cum ephemeridibus totius mundi tam catholicis quam saecularibus. Ope officii huius generis, informationes de quaestionibus praestantioribus theologiae, philosophiae, et Sacrae Scripturae facilitarentur, necnon informationes de relationibus cum guberniis, de mente Sanctae Sedis in quaestionibus socialibus etc. Ita evitaretur dependentia ephemeridum mundialium pro sua informatione talibus in casibus de personis irresponsabilibus qui omni auctoritate carent et qui pluries nuncupantur « portavoce vaticani ».

9. S. E. Card. Secretarius Status bonum exemplum iam dedit conferentias pro hominibus ephemeridum dando cum beneficiis valde evidentibus et cum plausu ephemeridum totius mundi. Opinor humiliter quod conferentiae huiusmodi regulares et frequentes esse debent ita ut vox authentica Ecclesiae perveniat ad magnum publicum cum bono effectu pro Ecclesia et Religione.

10. In votis est ut Breviarium Romanum reformetur ita ut hoc divinum officium recitari possit infra quadraginta « minuta ». Aboleatur usus psalmorum et hymnorum longiorum et omne officium dominicale breve sit sicut, e. g. Officium in die festo Resurrectionis D.N.I.C. In votis pariter est ut in recitatione Breviarii permittatur usus versionis vernaculae approbatae ita ut intelligentius et maiori pietatis fructu hoc divinum peragatur officium.

11. Ut finem faciam, debita cum reverentia spero acatholicos non totaliter exclusum iri ab omni participatione in Concilio Generali.

Minime tamen vellem dicere haereticos et sic dictos orthodoxos vocem habere debere in decisionibus faciendis a Concilio; solum suggero erectionem commissionum ex episcopis et probatis theologis debita cum auctoritate munitis, cuius membra pro minimo, in spiritu caritatis, discussiones theologicas habeant cum coetibus religiosis acatholicis, et istos invitent regredi in domum Patris sui. Inter acatholicos his diebus voces magnopere exaltantur de « unitate ecclesiae » ita ut videretur res absona si Ecclesia totaliter reiiceret omnem discussionem cum iis qui pro modulo suo desiderant impletionem illorum verborum Domini Nostri « ut unum sint ».

Quae omnes animadversiones maxima reverentia et humili obsequio

communicantur Pontificiae Commissioni antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico. In omnibus, uti per se patet, proposita mea Ecclesiae Magisterio toto corde ultro subiicio.

✠ GERARDUS P. O'HARA
Archiepiscopus Pessinuntinus
Delegatus Apostolicus

21

EXC.MI P. D. GEORGII LAURENTII CRAVEN
Episcopi tit. Sebastopolitani in Armenia, Auxiliaris Vestmonasteriensis

Vestmonasterii, die 26 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Accepi veneratas litteras Eminentiae Vestrae Reverendissimae die 18 iunii scriptas Prot. N. 1 C/59-2397 circa Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico ab Augusto Pontifice institutam. Gratias ago Eminentiae Vestrae, pro indicato Augusto desiderio Sanctitatis Suae.

Re bene deliberata cum Eminentissimo Archiepiscopo Vestmonasteriensi, his meis litteris significare velim, omni qua par est humilitate, quod nil addere desidero iis quae Eminentissimus Cardinalis tempore debito communicabit Eminentiae Vestrae.

Qua de causa, ne superflua scribam, rogo ut sufficiant litterae hae breves ad mentem meam manifestandam.

Osculum S. Purpurae infigens maxima cum reverentia me profiteor obb.mum et dev.mum humill.mum servum verum

✠ GEORGIUS LAURENTIUS CRAVEN
Episcopus tit. Sebastopolitanus
Auxiliaris Vestmonasteriensis

22

Exc.mi P. D. THOMAE B. PEARSON

Episcopi tit. Sindensis, Auxiliaris Lancastrensis

27 maii 1960

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Me illud sollicitum praeprimis habet quod litteras tuas de Oecumenico Concilio futuro plene lustrasse me arbitrabar, easdem nunc responsis carere intelligo. Meam in hac re esse culpam non nego, sed eam quae sit ignoscenda, nam nuperrime pro explorato habeo, monente Eminentissimo Cardinali Gulielmo Godfrey, vel Auxiliares invitari ad sententias dicendas de rebus Oecumenico Concilio tractandis.

I. *De fratribus separatis anglicanis*

Nihil antiquius ac optabilius quam ut Anglicani, ut aiunt, quamprimum in gremium Matris Ecclesiae Catholicae redeant; at egomet pro certo habeo reconciliationem plenam absolutamque nunquam effici posse; fieri potest autem ut aliqua pars Ecclesiae Anglicanae Fidem Catholicam Romanam plane sit amplexura, Deo opitulante, reliqua autem in dies evanescente. Maxima est apud Anglicanos dissentio: hi omnia, illi nihil mutare volunt. Ego neque hos neque illos recte sentire crediderim, nam cum fratres separatos ministros necnon episcopos in congressibus alloquerer, bona certaque spe tenebar fore ut quae perhumaniter verba fecissem inde uberrimos fructus exciperent, si modo istam controversiam de validitate, ut dicitur, Ordinum Anglicanorum distrahere nobis licuisset?

Ministri Anglicani, coryphaeo Gregorio Dix personante, ordines suos validitate esse indutos, clamitare numquam desinunt, immo iisdem persuasum est effata Sanctae Sedis ab « Si ullo unquam... » papae Iulii tertii usque ad « Apostolicae curis... » Leonis decimi tertii utriusque felicis memoriae, ne speciem quidem Infallibilitatis prae se ferre.

Utinam Oecumenicum Concilium caritate qua potest maxime comitante affirmaret uti dogma « nullam exstare successionem historicam, uti dicitur, in ecclesia Anglicana, vel validitate Ordinum concessa.

II. *De prohibitione operum servilium*

Cum etiam nunc inter doctos disputetur quae opera ut servilia haberi debeant, non abs re alienum erit petere ab Oecumenico Concilio ut nos

benigne de hoc praecepto diebus Dominicis festisque observando certiores faciat.

Hodiedum, post res novas praecipue apud opifices in re industria effectas, et omnibus fere in deterius mutatis ita ut quisque suis ipse institutis desciscat, maturato opus est ut malis ingruentibus medeatur. Nam etiam operum artium mechanicarum, caementariae, ferrariae, lignariae, sartoriae, sutoriae quae olim diebus Dominicis rite prohibebantur, nunc promiscue exercentur etiam a timoratis.

Quidnam quaeso statuendum de iis qui in cauponis cantare, organa aliaquae instrumenta musicalia pulsare solent, idque ob lucrum inde percipiendum, Christifidelibus facere licet salva diei Dominicae institutione? Apud plurimos opera supra recensita ut liberalia et licita ne dicam oblectamenta habentur, quippe quae omnia, paucis autem dissentientibus, nequaquam quempiam interpellant quominus praeceptum Dominicale expleret.

III. *De Breviario recitando*

Maximopere gaudemus quod Oecumenicum Concilium semper memor incommodi apud nostrates in dies invalescentis, recitationi levandae Officii Divini subventurum sit; nobis omnino placet ab eodem Concilio quaedam festa simplicia numero auctum iri; attamen cordi esse nobis non negamus lectiones aliquantum longas Secundi Nocturni haud iniuria abbreviari posse; sed est modus in rebus, atque ex calculo nostro liquet eos qui opus diei sine quaerela recitant, eosdem exercitiis pietatis operam dare solere. Exitiosum sane foret si sanctitate claudicante, recitationi Officii Divini maturandae indulgeretur... ut verbis Terentii utar « Nam deteriores omnes sumus licentia ».

IV. *De re bellica*

Tandem ad rem maximi momenti perventum est; omnes ad unum idem sentiunt nempe res mundas in dies pericula subire.

Cum enim bellum tam immania secum necessario ducat incommoda, valde necessarium ut remedia magis efficaciora quam antea ad hanc perniciem arcendam, statim inveniantur, proponantur, adhibeantur.

Quaeritur: An licet bellum gerere armis vel missilibus ut aiunt nuclearibus id genus adhibitis?

Suntne arma huiuscemodi re vera vitanda, salva lege morali?

Postremo in votis est ut Oecumenico Concilio futuro D.O.M. opitulante exitus felix concedatur.

Patres, qui Oecumenico Concilio futuro praefuturi, munus sibi delatum summi esse momenti sciant cum de maximis generis humani, nedum

populi Christiani commodis saepe sibi oppositis simul agatur, sententiaeque de his omnibus necessario ferendae sint — D.O.M. faxit ut studeant tanti ponderis officio rite fungi nihil advertentes aut considerantes praeter rei veritatem et bonum commune: secus agentes, spe minores fierent ac haud insulse muneri deesse haberentur; mihi licet uti verbis Pii sexti fel. mem. in Bulla *Auctorem Fidei* declarantis... « absit ut vox Petri illa unquam Sede sua conticescat, in qua perpetuo vivens ille ac praesidens praestat quaerentibus fidei veritatem ».

Addictissimus in Christo
✠ THOMAS B. PEARSON
Episcopus tit. Sindensis

23

EXC.MI P. D. THOMAE ROBERTS
Archiepiscopi tit. Sugdaei

Prot. N. 1 C/59-2419 19 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Moralitas belli sub conditionibus modernis homines cogitabundos ubique sollicitat, praecipue in nationibus in quibus libertas conscientiae valet. Multis qui scandalizantur vel silentio Ecclesiae de hac re, vel edictis ambiguis, vel carentia doctrinae firmae de iuribus conscientiae, praecipue ex parte hierarchiarum nationalium quae late habentur singula referre iudicia gubernationum propriarum, responsa habemus ex experientia nostra deducta, experientia scilicet episcoporum dioecesanorum qui coguntur compromissum facere cum utilitatibus nationalibus conflictantibus.

Concilium vero generale emancipare debet episcopos, subordinando officia minora plenitudini doctrinae Christianae theoretice et practice.

Minime suggero edicta auctoritativa quae fidem bonam turbent, rebellionem et inoboedientiam invitent, collabantur onere privatorum bonorum ubi tota res pecuniaria nationalis in bello parando vel gerendo subsistit. Verum suggero ut parvum collegium constituatur peritorum theologorum, historicorum et economistarum, quod 1) instruat duces Catholicos in materia hucusque neglecta, 2) illustret quaestiones in quibus Christianum consilium petatur, 3) contrahat et conciliet conatus *omnium* qui tendunt ad pacem principiis moralitatis fundatam.

Hoc inter alia iuvaret ad finem a Sancto Patre optatum attingendum, scilicet unitatem fundatam in bonis humanis quae fere omnibus hominibus communia sunt .

Consilia magis elaborata successori meo Cardinali Gracias proponam, sperans fore ut Hierarchia Indica videat possibilitates compositionis (« synthesis ») eorum quae a Christianis et Indicis bello anteponuntur.

Una alia Concilii praeparatio mihi videtur non parvi momenti, scilicet stricta et plena investigatio tribunalium matrimonialium, posthabita omni acceptatione personarum.

Precor omnem sapientiam et fortitudinem tam gravi muneri necessariam.

Vestrae Eminentiae servus in Domino

✠ THOMAS D. ROBERTS, S.I.
Archiepiscopus Sugdaeus

AUSTRIA

1

Exc.mi P. D. IOSEPHI KÖSTNER

Episcopi Gurcensis (Gurk)

Eminentissime Princeps,

Ad litteras aestimatas de die 18 iunii a.c. Prot. N. I C/59-574 liceat mihi sequentia puncta afferre, quae salvo meliore iudicio mihi videntur actualia, ita ut tractentur in Concilio proximo Oecumenico.

A) Quoad *doctrinae capita*

1. Conceptus traditionis doctrinae ecclesiasticae clare statuatur, praesertim propter grassantes errores.

2. Caput de episcopis, quod in Concilio Vaticano non amplius tractari potuit, reassumatur.

3. Conceptus « Ecclesiae » clarius exponatur, speciatim, quaenam relatio v. gr. inter excommunicatos et ecclesiam habeatur.

4. Unio inter ecclesiam catholicam et schismaticos atque haereticos omni modo possibili foveatur, ita ut, salva sana doctrina catholica, in rebus disciplinae non essentialibus non catholicis concessiones fiant, saltem primo tempore post unionem vel conversionem, sicut Ecclesia solet procedere in rebus Catholicorum Orientalium alius ritus.

5. Peto, ut tractetur quaestio, utrum laicis masculini generis pro officiis ecclesiae vel actionis catholicae destinatis ordines minores conferri possint.

B) Quoad *Disciplinam cleri et populi christiani*

1. Abbreviatio et reformatio breviarii saltem pro clero in cura animarum occupato.

2. Usus linguae vulgaris in iis, quae respiciunt primario traditionem doctrinae ad populum, v. gr.: Epistulae, Evangelium in sacro missae sacrificio, passio Domini et lectiones in hebdomada sancta.

3. Lingua latina ut lingua propria Ecclesiae Romano-Catholicae magis foveatur; normae dentur pro eius usu, praesertim in seminariis; attamen vitetur in enuntiationibus Sanctae Sedis stylus nimis « classicus », secus clerici eas difficulter intelligunt.

4. in canone 125 deleantur verba « Curent locorum Ordinarii ut... » ita ut canon sonet: « 1° Clerici omnes... 2° iidem quotidie... ».

5. Canon 126 mutetur ita: « ... debent *secundo* quoque anno ... ».

6. Ad can. 788 adiungatur: « Ob tales causas Ordinarius loci confirmationem differre potest usque ad annum aetatis decimum quartum ».

7. Impedimenta matrimonialia: possent abrogari:

a) Impedimentum consanguinitatis tertii gradus lineae collateralis (can. 1076, § 2); *b*) impedimentum affinitatis secundi gradus collateralis (can. 1077, § 1.

8. Can. 1203, § 1. Vetitum sepulturae ecclesiasticae pro iis tollatur, qui corpus mandaverant cremationi non ex odio versus ecclesiam, sed solummodo propter invincibilem aversionem erga sepulturam, v. gr., quia timent ne sepeliantur apparenter mortui vel ne ossa exhonorentur etc.

9. De beneficiis: Extendatur obligatio canonis 1473 « impendendi superfluos (fructus) pro pauperibus aut piis causis » etiam ad eos viros ecclesiasticos, qui v. gr. emolumenta acquirunt ex parte reipublicae, sed suum munus obtinuerunt per ecclesiasticam auctoritatem, scl. per « missionem canonicam », quae tribuitur catechetis pro scholis publicis. Talium magistrorum salarium saepe valde superat fructus beneficiatorum etiam in dignitate constitutorum.

10. Ius beneficiale accommodetur hodiernis modis administrationis.

11. Can. 1435. Petitur restrictio reservationum beneficialium, ita ut solummodo prima vice post collationem valeat neque in indefinitum extendatur, quod ultimum saepius impedimento est administrationi paroeciarum.

12. Ius poenale in simpliciorem formam redigatur et abbrevietur.

13. Statuatur obligatio parochorum, ut curam habeant de « actione catholica » in suis paroeciis.

14. Definiantur iura laicorum in « actione catholica ».

C) Relate ad *negotia maioris momenti*

1. Omni cum industria foveatur propagatio fidei in universo mundo (Missiones catholicae).

2. Edatur « Catechismus Romanus » similis ac a Concilio Tridentino editus est, adaptatus ad hodierna tempora.

Peto veniam, quia non respondi usque ad diem 1 septembris; ratio est, quia aliqui viri periti, quibuscum tractare volui, propter vacationes aestivas opiniones suas tardius mihi aperuerunt.

Omni cum reverentia deosculor purpuram

Eminentiae Vestrae ut dev.mus in Domino
✠ IOSEPH KÖSTNER
Episcopus Gurcensis

Klagenfurti, die 10 septembris 1959.

2

EXC.MI P. D. ANDREAE ROHRACHER
Archiepiscopi Salisburgensis (Salzburg)

Salisburgi, die 6 ianuarii 1960.

Eminentissime Princeps,

Diversis obstaculis impeditus nunc demum respondere possum aestimatissimis litteris diei 18 iunii 1959 sub numero I C/59-1173 mihi datis. Rogo, ut mihi indulgeatur responsionis mora.

Ad tractandas in proximo Concilio oecumenico materias, quae sequuntur, proponere mihi liceat:

1. Definitio iurium episcoporum residentialium comparate tum cum Curia Romana eiusque S. Congregationibus tum cum Nuntiis Apostolicis.

2. Nova circumscriptio exemptionis Religiosorum relate ad episcopos ita ut episcopi praesertim in iis, quae curam animarum attinent, magis incurrere possint in dispositiones Superiorum maiorum vel hi saltem teneantur audire episcoporum vota.

3. Modus procedendi in remotione parochorum inamovibilium laxetur, cum hodierna praxis nimis diuturna sit et curae animarum hac ex causa non raro noceat.

4. Normae de clausura novae in *C.I.C.* recipiantur.

5. In celebranda liturgia usus linguae vernaculae, praesertim in parte doctrinaria Missae (Oratio, lectiones) magis concedatur.

6. Poenae ecclesiasticae contra cremationem corporum statutae abrogentur, quia semper fere crematio stipuletur e rationibus fidei non infestis.

Certus sum iam alios episcopos et praelatos talia vota proposuisse sed obsecundans litteris invitatoribus de quibus supra ego ipse haec proponere audeo.

Interim s. purpuram humiliter deosculans persisto

Eminentiae Vestrae addictissimus famulus
✠ ANDREAS ROHRACHER
Archiepiscopus Salisburgensis

3

Exc.mi P. D. IOSEPHI SCHOISWOHL
Episcopi Secoviensis (Seckau)

Iosephus, episcopus Secoviensis ad Prot. Nr. I C/59-1248 haec refert:

1. *Hodierna tempora eorumque exigentiae*

Magnae nostrorum temporum quaestiones secundum varias regiones, saltem secundum varias mundi partes magnopere differunt. Concilio oecumenico incumbet munus haud facile magni momenti problemata tractare, quin periculo se exponat plus minusve praetereundi extensas mundi plagas. In Congressu mundiali pro laicorum apostolatu anno 1957 habito e. g. Asiae et Africae repraesentantes saepius querebantur praeprimis quaestiones Europaeas tractatas fuisse.

Ideo, salva tendentia uniendi totum mundum, curae animarum apostolatusque rationes instituendae potius navitati locorum ordinariorum vel singulorum episcoporum coetuum regionalium (conventibus episcoporum) committendae erunt.

Praecipua nota conditionis mentis christianorum in hac regione (i. e. Austria) est ingens indifferentismi incrementum, qui in superiore et media civium classi iam ex longis temporibus radicatus est. Operarii autem, post primum bellum mundiale acriter contra Ecclesiam religionemque certantes, post ultimum bellum etiam indifferentismum sectantur, qui eo periculosior est, cum Ecclesiam non aperta hostilitate aggrediatur, sed eam, veluti non existeret, praetergrediatur. Inde vel boni catholici saepe decipiuntur, hanc habitudinem mutationem in melius et proinde sufficientem existimantes. Haud dubio conamina exercendi religiosum influxum in operarios magni sunt aestimanda, quaedam initia tamen usque nunc non superant. Ultimis annis autem etiam populatio ruralis, mutationibus socialibus et oeconomicis subiecta, indifferentismo vehementer inficitur. Associationes iuventutis catholicae eo tendunt, ut iuventutem ruralem in religione confirment, quae opera tamen partim tantum bene succedit.

Huius indifferentiae et frigiditatis religiosae pericula patent: nutriunt enim communismum, qui est aperte atheisticus, cuius ideae autem omnibus mentis habitudinibus secreto atheisticis facilius recipiuntur et faventur.

Quid faciendum contra ista mala? Monita et intercessiones nihil proficiunt, quia non audiuntur. Etiam christianae doctrinae explanationes

non facile accipiuntur. Nostrorum temporum disputationes enim non in campo cogitationum sed actionum peraguntur. Sane cogitationes et doctrinae semper fundamenta motuum intellectualium cuiusdam temporis sunt, quibus fundamentis theologi philosophique renuntiare nequeunt et quae non desinent magnam partem habere in constituendo exemplari, ad quod omnes tendant.

Attamen maxima nostrorum contemporaneorum pars non movetur claris expositionibus, logicis deductionibus, exactis definitionibus, rationalibus argumentis, sed magis actionibus, quae ex vita profluunt et vitae serviunt. (E. g. operarius magni aestimat suae organizationis syndicatusve opera; egeni commoventur operibus socialibus societatis, rei publicae, quorundam magnorum institutorum ut sunt « assicurazioni » etc.; oppressi libenter et sine haesitatione liberationem a iugo tyrannidis, oppressoris, colonialismi a quocumque, qui eam promittit, accipiunt quamquam rationales considerationes adversum exitum praedicerent). Et in campo religioso res non se habet multum diversa. Ita e. g. post Concilium Tridentinum catechetica institutio in scholas elementares introducta est. Per longum tempus doctrina christiana culta est, quae in dioecesi Secoviensi adhuc in multis paroeciis ruralibus in forma sic dictorum coetuum catecheticorum (« Lehrscharen ») existit. Ideo multi sunt iuvenes et etiam adulti, qui catechismum ad verbum pronuntiare possunt. Praeterea 98% omnium catholicorum nostrae regionis per non minus quam octo annos bona catechetica institutione in scholis fruuntur.

Attamen efficacia eiusdem instructionis in vita est plus quam dubia. Forsitan adhuc 25% baptizatorum fidem, quam profitebantur, sequuntur, in aliorum vitam autem doctrina quam didicerunt, etsi accurate et quamplurimum paedagogice bene exposita, influxum vix ullum exercetur.

Ergo non tanti esse videtur, ut fidei articula complete et logice exponantur, sed ut authentice in vitam quotidianam transponantur. Ipse Christus Dominus hanc methodum praeferebat. Rationalem et logicam expositionem coram solis scribis et pharisaeis applicat (et quidem non exclusive). In populi et discipulorum vero institutione rectam actionem non satis laudibus potest efferre (*Mt.*, 7, 12; 7, 20; 10, 42; 18, 35; 21, 32; 23, 3; 25, 40, 45; *Io.*, 10, 57 s. etc.).

Certum est doctrinam numquam parvipendendam esse. Sed per longum tempus putabatur, eius solam cognitionem ad bonum et fidelem christianum formandum sufficere. Sermo, qui cor hominum XX saeculi efficaciter attingit, est autem alius ac ille XVI vel XVII saeculi. Sermonem tempori convenientem loqui est: cognoscere ambitum, in quo himines versantur, et inde cum iis de his omnibus agere, quibus reapse circumdantur et moventur. Qui secus, tamquam imperitus habetur et vel in iis

rebus, quas docere scientiam et competentiam habet, iam non auditur. Haec de fidei praedicatione quoque valent. Praedicatores multoties sine fructu laborant, quia homines docilitate carent vel quia praecones animae « locum », quo homines dociles sunt, non inveniunt. Quae in modernis cogitandi systematibus bona sunt, etiam theologicam rationem foecundare possunt ac debent.

Pauca sunt desideria hodiernorum hominum, quae Evangelio obveniunt et quibus pro eodem aperiuntur: unum ex iisdem est desiderium iustitiae, licet istud sit limitatum et contradictionibus obnoxium. Sane multi sensibiliter reagunt, quando suum ius verum aut putativum laedi sentiunt. Minus de aliorum iure laeso curant et adhuc minus de iustitia aliis tribuenda, quae rationem verae virtutis cardinalis habet. Nihilominus sitis iustitiae milia milium hominum toto orbe terrarum commovet. Fructuose Ecclesia hac siti utetur, ut animas aperiat pro christianis veritatibus iustificationis, poenitentiae, sacrificii. Etiam socialis iustitiae operam dare numquam desini debet, quae non solis theoricis inquisitionibus sit contenta sed serio tam operum locatoribus quam operariorum consociationibus occurrat. Maximi momenti vero iustitiae operatio intra Ecclesiam ipsam erit, quae cum timiditatem (ex timore, ne quem offendat) tum aliorum offensionem (ex quasi curta sententia) vitare debet. Heic quoque valet, quod gravissima scandala ex dissonantia inter doctrinam et vitam oriuntur; scandalum autem pharisaicum aequo animo ferendum est.

Secundum, quod ab omnibus intelligitur, est caritas, hodie saepissime sensu operosi auxilii proximi acceptum. Quamvis multis depravationibus deformata, vera caritas non deest, quae iterum atque iterum vinculum inter homines testificatur. Opinio, quod caritas omnium maior est, numquam cessavit, etsi homines certitudinem amiserunt, quod eius vera magnitudo nonnisi ex caritate Dei venit. Hanc veritatem hominibus persuadere maximum munus fidelium communitatis istorum temporum mihi esse videtur. Ecclesiam assidue contendere oportet, ut in omnibus suis operibus, ordinationibus, consiliis, decisionibus, in mutuo ecclesiasticorum officiorum et officialium commercio exemplum caritatis Christi praebeat, quia ex eo mundus cognoscere debet, quod eius discipuli sumus. Vanam gloriam, potentiae super alios cupiditatem, intolerantiam personalem, saeculi falsam prudentiam, astutiam, adulationem ita superare, ut a Romana Curia usque ad ultimam domum paroecialem omnes omnibus in caritate serviant — hoc, lumine naturali consideratum, supra humanas vires esse videtur. Attamen Dominus non ignoravit, cur praeceptum caritatis aliis praeceptis praeponebat.

Utrum etiam desiderium veritatis veram viam fidei ad hodiernum mundum aperiat, hac de re dubitare audeo. Scientia quidem hodie magis

sincera et prudentior est in suis sententiis pronuntiandis. Dictaturae modernae quoque suas informationes sub nomine « veritatis » (« Prawda », « Borba » etc.) divulgant, qua autem neque ipsi populi suppressi nec mundus « liber » nimium commoventur. Saepe enim ille mentis habitus invenitur, qui Pilati quaestione exprimitur: Quid est veritas? Hinc lamentabilis indifferentismus supra indicatus! Immo permulti hodie parati sunt, ut aeque ac libertatem etiam veritatem pretio alicuius temporalis securitatis vendant.

2. *Illustrationes dogmaticae*

Cum quocumque sermo fit de futuro Concilio exspectat continuationem, supplementum, necessariam absolutionem Concilii Vaticani.

Notio Ecclesiae, iam a Pio XII Pp. imm. mem. valde « interiorizata » et dilucidata, adhuc magis ex aspectu biblico aspici deberet. Postquam locus universalis, quem Romanus Pontifex intra Corpus Christi mysticum obtinet, declaratus est, nunc etiam statum dogmaticum singulorum episcoporum definiri oportet. Confortatio eorum propriae responsabilitatis, prout Sacrae Scripturae et primis christianitatis temporibus respondet, clara definitione structurae episcopalis Ecclesiae a Christo institutae et agnitione plenae potestatis iurisdictionis episcopalis sanciri debet. Correspondenter etiam « centralismus » Romanus iam nimis intensivus molliri deberet. Indoles propria regionum earumque diversae condicionis hoc exigit. Principium subsidiaritatis in Ecclesia prae aliis societatibus realizandum est. Ideo episcopis suam iurisdictionem et potestatem administrativam latissime exercere liceat, quatenus Ecclesiae unitati non repugnat. Omnium exspectationes hac in re maximae et plurimae sunt, quarum solum conspectum dare licet singulas quaestiones tantummodo tangens (cfr. etiam sequentia capita). Ecclesiae catholicitas non in sola unitate sed etiam in diversitate ex omni populo et lingua manifestari debet. Si quae pericula inde timentur, hic timor nonnisi ex mere humanis rationibus profluit et defectum fidei manifestat, cum divinus conditor Ecclesiae suis apostolis omne suum semper praesens auxilium promiserit.

Notio inspirationis, inde a Tridentina Synodo valde lata, in sua expositione veram « crucem exegeticam » se praebet. Cum notione Ecclesiae nunc clariore intime connexa videtur (notio inspirationis « mechanicae » iam derelicta est). Cum Ecclesia salutem in se ferens in sua substantia semper eadem maneat, suam fidem etiam post longius temporis spatium pronuntiare potest. Momentum decisivum tunc non esset inspiratio singulae personae sed definitio ab Ecclesia prolata.

Officium et charisma. Priorum saeculorum erat doctrinam de Ss. Trinitate, de Christo Domino, de Beata Maria Virgine, de gratia explanare. Hodie Ecclesia, signum elevatum in nationibus, exactius definienda est. Ipsa nexum culturae occidentalis relinquens, etiam de facto Ecclesia universalis evadere incipit. De necessitate illustrandi officium iam supra sermo erat. Sed etiam charisma, quod in Dei vocationi se offerentibus ex statu tam sacerdotali (e. g. sacerdotes operarii in Gallia) quam religioso, in institutis saecularibus et in laicorum coetibus (e. g. Legio Mariae, in cura animarum vario modo adiuvantes) operatur, suum locum convenientem et agnitum revindicare deberet. Non omnia institutionum limitibus circumdari possunt, ecclesiasticis quoque officiis non licet spiritum exstinguere, qui flat ubi vult integra tamen omnino manente iurisdictione ecclesiastica. Haec quaestio ex aspectu totali Ecclesiae solvi debet.

Dogmata de Beata Maria Virgine.

Decennia praeterita Beatae Mariae Virgini praeeminentem quendam locum in christianorum mente tribuerunt. Mariologiae statu in tuto collocato nunc tempus venisse videtur, ut Christus centrum vitae religiosae magis immediate retineatur. Hoc modo occurratur valorum religiosorum parum rectae aestimationi, quae praesertim in populi pietate ad deviationes perducere potest. Ut conatus ad uniendas christianas confessiones proficiantur nemo maiore gaudio munere ancillae Domini fungetur quam ipsa Virgo Maria. Sedulo ac sine praeiudicio examinari deberet, num ulteriores dogmatum definitiones in hac materia non sine necessitate opus unionis christianorum impedirent. Denique ne facile formulationes dogmaticae exoptentur. Dogmatum definitio tunc tantum pronuntiari deberet, si late diffusus error reprimendus et exstinguendus est.

3. *Unio christianorum*

De unione quaedam significationes in permultis tantas exspectationes oriri fecerunt, ut Concilium hanc quaestionem tractare debet, ne dempta hac spe opus reunionis ad longum tempus retardetur et fiducia in Ecclesiam graviter feriatur. Difficultates quidem, humano modo re considerata, de isto incepto fere desperare sinunt, omnes tamen, etiam Ecclesia catholica, parati esse debent ad horam, quam divina providentia destinavit.

Si Concilium quaedam obstacula psychologica unionis removere poterit, iam inaestimabilem successum habebit, etsi deerit messis mensurabilis.

Ideo quaestio non tam ex positione romana-italica poni, sed eius tractatio per veros contactus possibilis reddi debet. Christiani separati se offensos sentiunt, si Romanae Ecclesiae simpliciter se subicere debent.

Ipsi quoque tamquam fratres ac filii suscipi volunt, etsi per quoddam tempus « filii perditi » erant. Negare, eos hoc tempore etiam sincerum nisum religiosum habuisse, iis esset incredibilis conscientiae oneratio. Insuper putant se in suis formis religiosis valores invenisse, quos Roma non a limine repudiare deberet, ne ipsis fundamentum vitae religiosae repente eripiat. Immo omnes nisus religiosi sinceri nostram reverentiam merentur. Absit quod ne minimum quidem nostrae fidei prodamus, sed anathema non sit ultimum verbum de religiosis cogitationibus christianorum dissidentium, quae cum catholica fide non congruunt. Virtutes gentium non sunt splendida vitia et morales nisus vel infidelium ne passus extra viam vocentur. Caritas boni pastoris omnia superet et errantibus sit lux illuminans viam in domum patriam.

Multa testimonia confirmant scissuras inter christianos maximum impedimentum missionis internae et externae esse. Multi ex eo quod Ecclesia orationem Christi, ut unum sint, non plene realizavit, praetextum sumunt de eius divina fundatione dubitandi.

Patet aliarum confessionum repraesentantes non in qualitate Patrum Concilii participare posse, quod nemo exspectet. Attamen ipsis possibilitas concedi potest, tamquam « observatores » cum Concilii membris durante Concilio colloqui et suas cogitationes competentibus officiis patefacere. Etiam principibus et theologis christianorum dissidentium sua vota ad varias quaestiones unionem spectantes commissionibus Concilii proponere liceat. Mater Ecclesia vera mater se praebeat nec caritatem considerationibus iuridicis postponat.

Numerosa sunt proposita hanc materiam spectantia, quae autem hunc brevem conspectum transgrederentur.

4. *De disciplina ecclesiastica*

Respublica hodie non solum in dictaturis, sed etiam in multis democraticis Statibus quandam coactionem exercet, quae passim aegre fertur et ad *auctoritatis* discrimen perduxit. Ecclesia magis quam aliae institutiones adhuc vera auctoritate nititur. Sed ipsa quoque hac crisi tangitur, ipsa melioris societatis formae exemplum praebere debet. Sane universim diffusa idea aequalitatis omnium hominum primarie ex superbia oritur, quae aliis se subordinare nolit, sed haec idea etiam ex Dei paternitate deduci et puriori modo praedicari potest. Mundus ita cogitationi paritatis in relationibus socialibus assuetus est, ut vel Ecclesia huius facti rationem habere debet. Homines a praeceptis abhorrent, parati autem sunt, ut sibi exemplo praeeuntes sequantur, sicut et Christi verba indicare videntur: Qui vult meus discipulus esse, me sequatur.

Auctoritatem a Deo datam esse nullius argumenti indiget; sed quatenus efficaciter agnoscitur, multum a persona, quae eam tenet, dependet. Ideo quae magnae auctoritatis personae dicunt, falsae granditatis aura ne circumdentur. Nec quodcumque Romani Pontificis effatum infallibilitate gaudere asseritur. Pondera hac in re recte distribuantur. Auctoritati etiam sine illis falsis elationibus libenter aures praebentur et hoc eo magis, si auctoritatem habentes etiam aliorum argumenta audiunt et respiciunt. Nec nostro tempore auctoritas quorundam signorum externorum indiget, quae praeteritae nobilitatis tantum memoriam revocant. Quidam tituli ut « Excellentia » pro episcopo et ceremoniae aulicae res exactae sunt ac salutari modestiae locum dare deberent.

In *aliquibus Ordinibus et congregationibus religiosis,* quae haud dubio Dei gloriam suo modo prosequi student, universitatis (« catholicitatis » in sensu litterali) sensus desideratur. Individualismus individualis vel collectivus autem apostolatui christiano impedimentum est. Oportet spiritum oboedientiae Christi habere, ne votum oboedientiae infructuosus formalismus evadat. Imm. mem. Pius Pp. XII optaverat, ut religiosi in cura animarum suum operosum auxilium praestent. Episcopi ac parochi auctoritatem praecisiorem in hac materia exoptant, quae non solum benevolentia religiosorum ac mutua concordia innititur, sed in quadam obligatione continetur. Difficillime autem haec quaestio solvenda erit, quia exemptiones essentialiter mutari et exempti magis episcoporum auctoritati subici deberent. Eadem valent de optanda maiori dependentia in bonorum temporalium administratione. Singularum communitatum religiosarum, praesertim eiusdem finis, unio opportuna esset, ut superiorum et administratorum apparatus minuatur.

Hodierna *cura animarum* quaerit, quibus modis sacerdotes attentis difficilibus rerum adiunctis homines in eorum animorum diversitate appropinquent. Immediatus cum iisdem contactus laboriosus quidem et quodammodo periculosus est, sed maximum successum in reducendis indifferentibus promittit, praeter consueta curae animarum opera pastoribus obligatio imponi possit, ut aliquot horas per hebdomadam suas oves ostiatim visitent (secundum exemplum « Legionis Mariae », quae hoc a suis membris cum indubitato successu exigit).

5. *S. Liturgia*

Sicut primis Ecclesiae temporibus, fidelium introductio in sacra mysteria potiorem obtineat locum. Praesertim *S. Missae* exordium « schola dominicalis » populi christiani fiat, quia adhuc occasionem praebet maiorem fidelium partem frequenter instruendi. Si in Sacrae Scripturae ac

liturgiae verbis Christus quodam speciali modo praesens est (verbum Dei!), verbum Domini etiam ad aures fidelium pertingere posse oportet. Ipsa mysteriorum celebratio — inde ab Offertorio — in consueta liturgica lingua peragatur. Ne tamen verbi efficax praesentia lateat, in prioribus Missae partibus linguae vernaculae locus detur. Christus ubique terrarum homines propria lingua patria alloqueretur, si per se ipsum eos vellet docere.

Epistula et Evangelium ad fidei institutionem magis adhibeantur. Ad hunc finem maior pericoparum varietas requiritur, ut occasione sacrae liturgiae revera populus maiorem partem praesertim Novi Testamenti cognoscat. Sacerdos lectiones praelegens suum locum quatenus possibile in medio populi (versus populum) habeat, et non prius quam ad Offertorium ad altare se vertat (ut ritus Missae solemnis pontificalis id consulat).

In *sacramentorum* quoque administratione quoties fideles docendi vel directe alloquendi sunt, lingua vernacula adhibeatur. Liturgica lingua, sub quibusdam rerum adiunctis, ad materiam et formam restringi posset.

Pro *extrema unctione* a multis preces magis hodiernis circumstantiis convenientes optantur. Preces etiam pro statu infirmitatis diversae eligendae provideri possent (pro graviter aegroto, pro moribundo, pro sensibus destituto).

Ordinarius loci potestate gaudere deberet, in peculiaribus circumstantiis (ipsius infirmitas, nimius confirmandorum numerus) *confirmandi* facultatem dandi sacerdotibus in aliqua ecclesiastica dignitate constitutis.

Praxis sacramenti *poenitentiae* tam ex parte poenitentis quam confessarii valde problematica est. Rigorosa poenitentiae disciplina cessavit, vera animarum moderatio rarissima esse videtur. Hoc sacramentum etiam a nimia uniformitate administrationis liberari deberet, ut vera « metanoia » evadat.

Multi *diaconatus* ordinationem matrimonio iunctis ministrandam rem iam maturam putant et inde sacrorum ministrorum inopiae levamen sibi promittunt.

Facilius esset ordinibus minoribus eos, si bene praeparati sint, initiare, qui Ecclesiam quibusdam muneribus serviunt.

Textus ritus *sepulturae* et missae defunctorum difficile intelleguntur, cum in iis aliquae cogitationes praechristianae exprimuntur; in formam nostro tempori magis consentaneam redigantur.

Divinum officium vademecum spirituale clericorum fieri possit, si eius forma monastico mori accomodata soli usui chorali reservaretur, dum usui personali Scripturae lectionum delectus inserviat, quibuscum meditatio se coniungat. Utiliter secundum vitae modum hodiernorum clericorum

divinum officium in partem matutinam et partem serotinam disponeretur; homiliae omitti, sanctorum vita breviter ac historica fidelidate enarrari posset. Orationis sit schola, quae in sacerdotum aestimatione primum locum obtineat eiusque vitam spiritualem efficaciter formet.

6. *Codex Iuris Canonici*

Placet iuristis, omnes vitae ambitus et manifestationes paragraphis canonibusque ordinare. Communitas autem revera nonnisi interno ordine aedificari potest. In Ecclesia principium valere debet: quam paucissimae leges. Conscientia cuique dictet quomodo recte agat, plus quam praecepta valet conscientiae formatio. Secundum subsidiaritatis principium supra citatum propria responsabilitas excitanda est. Consuetudo omnia suis praeceptis praeordinata inveniendi lamentabili modo privata singulorum incepta ac actiones destruit.

Consulendum esset, Romae et in omnibus curiis episcopalibus collegium idoneorum virorum (egregiis laicis inclusis) habendi, quod omnes ordinationes legesque examinet, an vitae necessitatibus exigantur, caritatem serviant ac christianae communitati prosint.

Iurisdictionis episcopalis ambitus ampliari deberet. Ex sequenti tabula patet, quas facultates episcopus dioecesis statutis temporibus etiam atque etiam postulare debet, quaeque ipsi perdurantibus circumstantiis identidem conceduntur.

Conspectus earum facultatum, quarum concessio periodice a Romana Curia peti debet:

Divini officii anticipatio a hora 12, inde a 23-1-1894: omni quinquennio

Dispensatio vel commutatio officii divini pro saecerdotibus aegrotis, inde a 13-4-1940: omni quinquennio

Licentia legendi libros prohibitos ultra facultates quinquennales, inde a 10-5-1940: omni quinquennio

Dispensatio obligationis choralis et missarum reductio pro capitulo cathedrali, inde a 15-9-1925: omni quinquennio

Dispensatio ieiunii et abstinentiae (per tramitem conferentiae episcoporum Austriae), inde a 18-1-1927: omni triennio

Facultas confirmandi pro nosocomiorum capellanis, inde a 24-11-1950: omni biennio vel triennio

Purificatoria etc. abluenda a sororibus, inde a 24-3-1942: omni quinquennio

Iteratio missae diebus festis suppressis, inde a 3-2-1906: omni triennio

Missa in nocte Nativitatis in ecclesiis et sacellis ultra can. 821, inde a 19-12-1938: omni triennio

Missae in nosocomiis sine oratorio, inde a 13-5-1936: omni triennio
Applicatio pro populo, dispensatio, inde a 18-12-1900: omni quinquennio
Celebratio sine ministro, inde a 28-4-1941: omni biennio vel triennio
Missa votiva de Ss.mo Sacramento occasione adorationis Ss.mi, inde a 21-12-1932: omni quinquennio
Communio paschalis per totum annum occasione missionum etc., inde a 3-4-1919: omni quinquennio
Communio paschalis a feria IV Cinerum usque ad festum Ss. Trinitatis, inde a 7-2-1933: omni quinquennio
Subdelegatio benedictionis campanarum, inde a 9-11-1903: omni quinquennio
Benedictio candelarum et processio die dominica Purificationem B. M. V. sequente, inde a 9-10-1928: omni quinquennio.

Haec et similia toto orbe terrarum milies repetita inanis industriae speciem praebent, quae reformatione indiget. Cur tales facultates non iure ordinario episcopo competant? Hypertrophia administrativa postremo seipsam ad absurdum ducit.

Singula desiderata

1. Ordinario loci hae facultates praeter eas, quas iam iure communi vigente habet, tribuantur:

a) Generaliter delegandi ad matrimoniorum assistentiam sacerdotes cuidam paroeciae aliquo modo addictos, quin sint vicarii cooperatores (can. 1096, § 1).

b) Concedendi indultum oratorii privati cum licentia celebrandi missam et asservandi Ss.mum (can. 1995).

c) Reducendi, moderandi et commutandi ultimas voluntates ad normam can. 1517, abrogata reservatione S. Sedi.

2. Sepultura ecclesiastica non negetur catholicis, qui suum corpus cremationi tradi mandaverint, si probari possit ipsos cremationem mandantes, nullum actum Ecclesiae offensivum ponere voluisse (can. 1240, n. 5). Obiectiones dogmaticae huic opponi nequeunt.

3. Usus campanarum ecclesiarum, etsi benedictarum, permittatur occasione sepulturae christianorum acatholicorum, qui bona fide vitam integram duxerunt, si eorum secta in loco paroeciae sepulturae proprias campanas non habeat.

4. Professores et docentes facultatum theologicarum et seminariorum maiorum ipso facto facultatem habeant alumnis licentiam dandi libros prohibitos legendi, quatenus hoc studiis necessarium vel utile est (can. 1402). In summa librorum prohibitio reformatione indigere videtur. Ex una parte insufficiens est, quia sunt alia divulgationis media,

quae non respicit,* ex altera parte effectu caret, quia ex falsis praeiudiciis vel indifferentia praeteritur. Gradualis classificationis experimentum fieri posset, semper autem prohibitiones sufficientibus rationibus muniantur. Damnatio sine rationum indicatione offendit, quia caritate caret.

5. Modus procedendi in amotione inamovibilium parochorum secundum can. 2147 ss. simplificetur, praesertim possibilitas recursus parochi amovendi ad S. Sedem (can. 2146) abrogetur, ad summum recursus ad metropolitam concedatur.

6. Vicario generali dioecesis, praesertim absente episcopo, potestas poenas ferendi competat (derogatio can. 2220).

7. Generalis reductio censurarum et poenalium sanctionum optanda est (nova ordinatio partis III lib. V *C.I.C.*). Ius poenale et processuale simplificetur.

8. Iuramentum contra modernismum simplificari posset nec, ut plurumque fit, pluries repetatur, sed semel tantum praestetur. Aut iusiurandum semel praestitum semper valet aut repetitione in dubium vocatur, quod absit!

9. Summa ultra quam alienationes licentia Sanctae Sedis indigent, (can. 1532, § 1, n. 1) augeatur nec sit infra 30.000 francos aureos.

10. Ordinarius ius habeat de fructibus superfluis beneficiarii aliquo modo disponendi (can. 1473).

11. Beneficiorum minorum collatio (can. 1435, § 1, n. 1) semper ad episcopum spectet. Reservatio residuum obsoletum medii aevi est; praeterea Romanum dicasterium vix iudicare potest, quis ex candidatis nominatis magis idoneus est. Nemini insuper haec lex prodest, immo propter eam non semel provisio urgens per menses differtur.

12. Paroeciae parvae et remotae, in montanis sitae, non sint paroeciae inamovibiles (can. 454, § 3), quia ibi omni quadriennio nova provisio consulenda est, ne parochi solitudine tabescant.

13. Pro sacerdotibus lapsis, qui coelibatum (can. 132) non observant, remedium inveniendum est. Cum coelibatus non lege divina iubeatur, nimis durum videtur, quod tales per totam vitam in conscientiae angustiis versari et forsan etiam mori debent.

7. *Caritatis opus*

Toto orbe se uniente etiam commendandum esset, si singulae dioeceses vel terrae ditiores alicuius dioceseos vel terrae egentis (materia-

---

* Film, radiophonium, televisio.

liter vel spiritualiter) curam susciperent. Quod tamen non per tramitem impersonalem alicuius officii centralis fiat, sed directe. Officii centralis solummodo esset desiderata communicare et forsitan fundum administrare, ex quo in specialibus tantum casibus auxilium praestatur. Personalis contactus omnino praeferendus est ac bonum caritatis certe aleret. Simili modo etiam dioeceses vocationibus sacerdotalibus divites alterius dioecesis patronatum suscipere debent eidem sacerdotes ad aliquod tempus tradentes.

Conclusio

Pontificia commissio antepraeparatoria invitavit « omni cum libertate et sinceritate animadversiones, consilia et vota... communicare ». Quae facere studui, secundum posse et intelligere prae oculis habens bonum Ecclesiae, quam futurum Concilium adiuvet, ut optimo modo ad salutem mundi operetur.

Omni qua par est reverentia permaneo in dilectione Christi

Eminentiae Vestrae R.mae add.mus

✠ IOSEPHUS SCHOISWOHL
Episcopus Secoviensis in Austria

4

EM.MI P. D. FRANCISCI CARD. KÖNIG
Archiepiscopi Viennensis (Wien)

Una cum Archiepiscopo responsum dederunt:

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ZAUNER, *Ep.us Linciensis* (Linz)
Exc.mus P. D. MICHAËL MEMELAUER, *Ep.us S. Hippolyti* (Sankt Polten)
Exc.mus P. D. IOSEPH STREIDT, *Ep.us tit. Macrensis in Mauretania,* Auxiliaris Viennensis
Exc.mus P. D. FRANCISCUS JACHYM, *Ep.us Maroneus,* Coadiutor s. d. Viennensis
Exc.mus P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ, *Ep.us tit. Metellopolitanus, Administrator Apostol. pro Burgenland.*

Vindobonae, die 12 novembris 1959.

Eminentissime Princeps,

Hisce transmitto ea quae Episcopi provinciae Vindobonensis necnon Administrator Apostolicus vicinae ditionis Burgenland communiter deli-

beraverunt atque commissioni antepraeparatoriae Concilii futuri proponere intendunt.

Cum humillimo manuum osculo permaneo Eminentiae Vestrae Reverendissimae

humillimus et devotissimus servus verus

✠ F. Card. König
Archiepiscopus Viennensis

Eminentissime ac Reverendissime Domine,
Mi Observantissime

Episcopi provinciae Vindobonensis necnon Administrator Apostolicus vicinae ditionis Burgenland — causis in concilio oecumenico tractandis in gremio collegii disceptatis — desideria communiter concinnata hisce proponunt:

I. *De doctrina*

1. A Concilio Vaticano coepta constitutio dogmatica: *De Ecclesia Christi,* continuetur et perficiatur. Interim enim usque ad Pii Papae XII f.m. litteras encyclicas: *Mystici Corporis,* et ulterius usque ad hunc diem ecclesiae magistri et doctores de isto dogmate permultum investigabant, collegebant, adlaborabant, ut nunc conclusio quaedam ac definitio maturaverit.

2. Intra ambitum huius capitis certe agendum esset de potestate ecclesiastica reassumendumque esset illud etiam hodie actuale ac urgens schema: *de episcopis.* Non immerito enim Pius Papa XII r.m. praeteritis annis pluries arripuit occasionem opiniones varias non omnimodo consonas arcendo unumquemque episcopum declarandi in sua dioecesi summum magistrum, pastorem ac sacerdotem. Etiam experientia ex persecutione catholicae missionis in Oriente atque a communismo forte suadet, ut confortetur et firmetur munus episcopatus sicque promoveatur unitas inter praesulem et ceteros in vinea Domini operam navantes. Insuper benevoli episcopi schismatici, revera desiderantes unum Christi ovile hac sollemni declaratione facilius dimitterent suspiciones suas instantiusque invitarentur ad reditum in communem domum paternam.

3. Qua in constitutione consequenter etiam solvenda esset quaestio, *quis ad Ecclesiam Christi pertineat.* Non pauci enim sequentem sententiam claram putant nimis exclusivam et duram: « In Ecclesia autem membris reapse ii soli annumerandi sunt, qui regenerationis lavacrum receperunt veramque fidem profitentur, neque a Corporis compage semet ipsos misere separarunt, vel ob gravissima admissa a legitima aucto-

ritate seiuncti sunt. ... Quamobrem qui fide vel regimine invicem dividuntur, in uno eiusmodi Corpore, atque uno eius divino Spiritu vivere nequeunt » (*Mystici Corporis,* n. 21). Significativo modo hodie multo saepius ille locus citatur de iis, qui « etiamsi inscio quodam desiderio ac voto ad mysticum Redemptoris Corpus ordinentur » (*Mystici Corporis,* n. 101).

Immediate elucet, quantum talis declaratio moveret unitatem inter baptizatos.

4. Deinde hic distincte tractandum esset de fidelibus in sinu Ecclesiae eorumque officiis ac iuribus. Quomodo iam *laici* ut membra Corporis Christi, ut baptizati et confirmationis sacramento roborati evocantur immoque obligantur ad apostolatum aut ipsis episcopis ducibus in *actione cathολica* sensu stricto exercendum aut in aliis societatibus approbatis aut saltem oratione et exemplo in familia officiique munere.

5. Ultimo autem de iis disserendum esset, qui ignorantia invincibili de ecclesia Christi detenti — quamquam extra ecclesiam nulla salus — finem felicem arripere possunt, si secundum suam intelligentiam voluntatem Dei sincere adimplere satagunt (*baptismus in voto*).

6. Deducenda esset declaratio quoque contra sectas tempore nostro grassantes atque faciliorem tutioremque salutis viam promittentes (APPENDIX I).

7. His omnibus discussis appareret tandem vera doctrina de natura humana — anthropologia christiana — contra errores modernos: naturalismum, gnosim huius aetatis, qui libenter etiam arte hodierna abutuntur.

II. *De disciplina*

A) *Liturgia*:

1. Principia, quibus ordo hebdomadae sanctae instauratus fundatur, ad universam liturgiam applicentur: E. gr. lectiones et cantus Missae a sacris ministris vel a choro pronuntiati non amplius (nec antea nec postea) iterentur a celebrante similiterque, si sacerdos optabili Sedis Apostolicae indulto epistolam vel Evangelium ad populum conversus lingua vernacula recitare potuerit. Missa autem semper finiatur benedictione data etc.

2. Unanimiter praefati episcopi censent linguam latinam in sacra liturgia retinendam, sed fidelibus concedendam esse communiter linguam vernaculam ad pleniorem in missae sacrificio participationem ut speciali modo iam indulta est anno 1943 populis Germaniae necnon Austriae.

3. Episcopis liceat — in casu necessitatis — missam cantatam celebrare uno solo presbytero assistente.

4. Sacerdotibus — magno concursu occasione exercitiorum spiritualium vel congressuum convenientibus — facultas *concelebrandi* concedatur.

5. Sacrae Scripturae capita in Missali singulis anni dominicis attributa aliis pericopis ita amplificentur, ut eadem non quotannis, sed longiore spatio relegantur explicenturque.

6. Iam in concilio Vaticano actum fuit de officio divino reformando, quod a parte per S. Pium Pp. X factum est. Qua in re hodie quoque — novo psalterio Piano edito — studium in opus feliciter perficiendum ponatur. Desideria ad officium reformandum spectantia ab Ordinariis Austriacis iam anno 1953 in eorum congressu concinnata hisce adduntur (APPENDIX II).

7. Ordinarii subscripti revisionem libri pontificalis maxime desiderant reducendo ad formam simpliciorem ritus quosdam e. gr.: de benedictione et impositione primarii lapidis pro ecclesia aedificanda, de ecclesiae dedicatione seu consecratione, de altaris consecratione, de benedictione signi vel campanae.

B) *De personis*:

1. Normae de institutis saecularibus *C.I.C.* inserantur.

2. Augeatur limes valoris (can. 1532, § 1, 2°) attentis temporibus interim mutatis, quem Ordinarii absque licentia Sedis Apostolicae disponere queant.

3. Praescripta exemptionis necessitatibus et circumstantiis hodiernis accommodentur ita, ut regulares iuxta arbitrium et preces loci Ordinarii ultra exemptionis privilegium ad auxilium in cura animarum ordinaria praestandum obligari queant.

4. Licentia dispensandi quoad clausuram mulierum religiosarum Ordinariis locorum extendatur.

5. Explanatio fusior iurium laicorum *C.I.C.* inseratur ad can. 682.

6. Curia Romana in decretis edendis peculiares cuiusque nationis condiciones respiciat. Eadem occasione preces instantissimae repetuntur, ut tandem in actis Romam transmittendis admittatur et lingua germanica.

7. Parcius in futuro postulentur iuramenta emittenda, imprimis contra Modernismum (can. 1406).

C) *De rebus*:

1. Facultas conferendi aegrotis sacramentum confirmationis omnibus tribuatur sacerdotibus in nosocomiis operam navantibus.

2. Ordinariis amplificetur facultas licentiam binandi diebus ferialibus concedendi.

3. Novissima quoad ieiunium eucharisticum praescripta *C.I.C.* inserantur ad can. 858. Ordinario plenior concedatur facultas super hoc dispensandi in favorem aegrotantium eo sensu, ut illi usque ad unam horam ante sumptionem Ss.mae Eucharistiae etiam solidum sumere cibum possint, si medicus talem necessarium censeat.

4. Episcopis amplificetur iurisdictio ad excipiendas extra propriam dioecesim confessiones, itemque sacerdotibus iter facientibus, si in dioecesi propria facultate excipiendi confessiones sacramentales polleant (can. 883). Absolutio a reservatis ad formam simpliciorem reducatur (can. 2253).

5. Delegatio rite assistendi matrimoniis ad omnes sacerdotes iurisdictione praeditos extendatur (can. 1094).

6. Unum alterumve ex impedimentis matrimonium dirimentibus et impedientibus simplificetur.

7. Ius Sedi Apostolicae reservatum quaedam beneficia paroecialia conferendi tollatur (can. 1435).

8. Ordinariis augeantur facultates ad Ss.mam Eucharistiam asservandam spectantes (can. 1265).

9. Praescripta quoad loca sacra erigenda necnon Ss.mam Eucharistiam asservandam mitigentur (cann. 1164, 1271). Nam hodie in tam rapida evolutione tantoque civitatum nostrarum incremento persaepe — primo ad tempus — extruenda sunt oratoria, immo sub terris domorum novarum sita, praesertim cum episcopi in hoc opere a regimine civitatis raro adiuventur.

10. Hodiernae vitae determinatio accomodanda: operum servilium diebus festivis (dominicis) prohibitorum necnon legis de ieiunio et abstinentia (can. 1248).

11. Ordinariis ius reservetur invigilandi administratores bonorum ecclesiasticorum, quos in usus bona superflua insumant (can. 1273).

12. Inamovibilitas parochorum, de qua cann. 454 et 2162 ss., coarctetur. Non raro enim dispositio sacerdotum ob eorum penuriam rationabilis per inamovibilitatem parochorum impeditur. V. c. Ordinarius condere studet aliquam paroeciam centralem cum uno parocho et quattuor vel sex capellanis vitam gerentibus communem, qui et de vicinis paroeciis minoribus provideant. Tunc Ordinario fas fiat principali vel alia paroecia vacante unum vel alium ceterorum parochorum transferre etc.

13. Index librorum prohibitorum revisionem patiatur (cann. 1395 ss)..

14. Normae de processibus, praecipue de delictis et poenis (casus reservati), in formam simpliciorem reducantur.

III. *Actuositas*

1. Cooperatio ac collaboratio inter totius mundi episcopos ad quaestiones actuales solvendas valde desideratur, quae concilio oecumenico inauguretur foveaturque: Praeprimis singulae dioeceses non tantum unius terrae, sed intra totius Europae fines alia aliam adiuvent mittendo alumnos et sacerdotes e dioecesibus presbyteris uberioribus in dioeceses eorum egentes.

Studia sociologica et statistica etiam in rebus religionis et ecclesiae utilia se probasse, non indiget adhuc aliquo argumento. Ad augendum hoc emolumentum fundetur Romae aliquod centrum coordinationis, ita ut inter illa in diversis terris instituta evitetur dissipatio virium.

2. Sedulius consideretur, ut nuntii maioris momenti quam celerrime intra ecclesiam divulgentur.

3. Episcopi subscripti firmiter quidem censent coelibatum maximi esse momenti et remanere, sed desiderant, ut causae — a sacerdotibus in statum laicorum iam redactis frustra olim motae — in casu attentis uniuscuiusque circumstantiis peculiaribus reassumantur et dispensatio super coelibatu benigne concedatur, ut illi sacerdotes infelicissimi tranquillitatem animae tandem consequantur salusque mulierum ac infantium procuretur (can. 132).

4. Praescripta de crematione cadaverum prohibita examini subiciantur (cann. 1203, 1240, 5°).

5. Dioecesibus fas fiat: patrocinium de certo obiecto vel de quadam regione missionali suscipere.

✠ F. Card. König
Archiepiscopus Vindobonensis

✠ Franc. Jachym
tit. Archiepiscopus Maroneus et Coadiutor Vindobonensis

✠ Michael Memelauer
Episcopus S. Hippolyti

✠ Ios Streidt
tit. Episcopus Macrensis et Auxil. Vindobonensis

✠ Franciscus Sabrin
Episcopus Limiensis

✠ Stephanus László
Episcopus tit. Metellopolitanus Administr. Apostol. pro Burgenland.

Vindobonae, die 9 novembris 1959.

APPENDIX I

A) Ad Austriam resp. Viennam quod attinet:

1. Magna pericula imminent compluribus fidelibus — alicuius sectae occurrentibus — matri ecclesiae plus minusve abalienatis immo opponentibus, profundiore circa fidem scientia carentibus, obligationes religiosas aegre ex mera consuetudine implentibus, saepe scientiarum realium et technicarum expertis.

2. E parte ecclesiae talia pericula non minuuntur:

a) Multi sacerdotes — periculositatem sectarum negligentes — admonitiones fidelium periclitantium cohortationesque ad apostolatum praestandum omittunt.

b) Sectae addicti saepissime habentur utut psychice abnormes.

c) Ex inopia sacerdotum tempus ad discussiones fructuosas cum errantibus vel veritatem investigantibus habendas haud reliquum est.

d) Multos gnosi infectos esse haud observatur.

e) Laici lectionem scripturae sacrae omittentes facile doctrinam de spe eschatologica ignorant.

f) Caritas christiana in familiaritate cotidiana cum vicinis saepe negligitur.

g) Deficiente occasione cum probatis fidelibus catholicis conversandi multi ad circulum gnosticum vel quasi massonicum frequentandum inducuntur.

B) Ad sectas cum effectu impugnandas maximi momenti esse nobis videntur sequentia: impugnatio sectarum fundata esse debet in intellegentia in rebus fidei profunda e parte pugnantium necnon in prompto animo ad apostolatum in caritate fraterna praestandum. Ideo:

1. Scientia fidei confirmanda est: in contionibus necnon in circulis religiosis (quos maiore intellectu pollentes praecipue frequentant) veritates fidei tractandae erunt, in circulis vel cursibus sacra scriptura explanetur, praeprimis pro iis, qui cursus a dioecesi institutos ob nimiam occupationem frequentare nequeunt, diebus dominicis. Pro coetibus maioribus cum magno populi concursu eligantur themata magis actualia, e. gr., num novissimi successus diversarum scientiarum veritatibus fidei adversentur an non (confer themata in circulis sectarum persaepe tractata). (Homo hodiernus enim studiosior est scientiae hauriendae. Exerceatur in controversiis sustinendis. Edantur vilia folia de veritatibus fidei actualibus, e. gr., cur baptizentur infantes, cur celebremus diem dominicam christianam).

2. Fideles inducantur ad religiose vivendum:

a) Iterum in contionibus, animis moderandis, circulis paroecialibus: ibi doctrina de corpore Christi mystico tamquam fundamentum caritatis christianae explanetur.

b) Capiamus animum fideles ad vivum occursum cum Iesu Christo impellendi;

c) colamus gaudium eschatologicum in animis fidelium.

d) Fideles ad preces instantiores pro unione ecclesiae fundendas inducamus demonstrantes: in diversitate ecclesiarum opus diaboli cognoscendum esse.

3. Institutum laicorum auxilium parochis praestantium evolvatur:

a) Parochiani in eorum habitationibus frequentius visitentur (methodus membrorum legionis Mariae), conventus vicinorum foveantur.

b) Erigantur centra fidelium etiam eruditorum (Clubs) ad conventus instituendos.

c) Inclinationi nonnullorum ad exercendum JOGA et ad meditationem vel collectionem spiritualem occurrendum erit dando occasionem sese in domos spirituales ad tale exercitium referendi.

d) Doctrinis respectivis circulorum gnosticorum occurrendum erit reformatione catholica quoad rationabiliter et sane vivendum.

e) In quavis paroecia constituatur saltem unus de sectis satis instructus invigilandi et monendi gratia.

4. In concilio oecumenico demum disceptationes et eventualiter explanationes doctrinae fiant de

parapsychologia (ob sectas spiritismo addictas fere innumerabiles),
cosmologia (ob sectas gnosticas et astrologiam),
problemate: corporis - spiritus (ob Anthroposophiam et syncretismum buddhisticum);
eschatologia (iterum ob spiritismum et gnosim).

APPENDIX II

Copia

Vindobonae, die 4 februarii 1953.

Beatissime Pater,

Archiepiscopus Vindobonensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, nomine etiam aliorum Austriae loci Ordinariorum quoad desideria circa Officium Divinum recitandum quae sequuntur humiliter exponere audet.

Per complures iam annos voces sacerdotum quaedam audiuntur et in

foliis ad vitam spiritualem fovendam legi possunt necnon ab exercitiorum spiritualium magistris saepissime asseritur sacerdotes in cura animarum operam navantes rerum ac temporum adiunctis accommodandam formam horas canonicas recitandi iterum atque iterum petere. Quas observationes Ordinarii quoque propria ex experientia confirmare possunt. Ad tales petitiones pronunciandas sacerdotes adducti sunt quia cura animarum nimis onerati Officium Divinum in suo ambitu ac altitudine profunda plene penetrare nequeunt. Non est obliviscendum insuper quod horae canonicae, in monasteriis exortae ibique facile exsecutae, hodie clero non iam in communitate vitam ducenti quasi onus factae sunt. Quod autem maxime dolendum est quia Officium Divinum per se sacerdotibus una cum sacrosancto Missae sacrificio vitae spiritualis fons uberrimus esse necnon auxilium supernaturale quoddam praestare deberet ad sanctificandum interiorem hominem et labores in vinea Domini foecundandos. « Est igitur Divinum Officium... Mystici Iesu Christi Corporis precatio, quae christianorum omnium nomine eorumque in beneficium adhibetur Deo, cum a sacerdotibus aliisque Ecclesiae ministris et a religiosis sodalibus fiat, in hanc rem ipsius Ecclesiae instituto delegatis » (PIUS PP. XII in Litteris Encyclicis *Mediator Dei*).

De importantia Officii Divini pro sacerdotum vita et opere persuasi Episcopi Austriaci sequentia duo proposita de Officio Divino modificando ab Instituto Liturgico Austriaco exarata Sanctitatis Vestrae summo iudicio subiicere audent.

Quoad desideria generalia

1. Officium Divinum rerum ac temporum adiunctis accomodandum relate ad tempus ac formam uti pars totius liturgiae reformandae considerandum atque tractandum est.

2. Argumentum principale huius emendationis non solum est aliqua abbreviatio Officii Divini sed efformatio quaedam essentiam horarum canonicarum respiciens, quae et insimul sacerdotibus laboribus nimis occupatis aditum ad profundiorem orationum Ecclesiae intelligentiam et meditationem praebet.

3. Singulae horarum canonicarum partes de facto quoque temporibus a rubricis statutis recitentur. Quae postulatio ad effectum perduci posset, si

a) psalmi non per unam hebdomadam sed per quindecim dierum spatium distribuerentur,

b) Matutinum formaretur ad exemplum hebdomadae post Dominicam Resurrectionis,

tres psalmi, tres lectiones cum respectivis responsoriis.

Quoad desideria specialia duo proposita

Propositum primum:

Matutinum:

Pater noster; Credo; Domine, labia mea aperies...; Deus, in adiutorium meum intende; Invitatorium; Hymnus; prima Antiphona duplicata; primus Psalmus, Antiphona repetita etc.; Lectiones cum responsoriis respectivis.

Quoad lectiones: prima ex S. Scriptura; secunda ex sermonibus Patrum seu Vita Sanctorum; tertia homilia.

Laudes:

Deus, in adiutorium meum intende; tres psalmi cum tribus antiphonis duplicatis; Capitulum; Hymnus etc. secundum rubricas vigentes; precibus et suffragiis semper omissis.

Ad Primam:

Unicus psalmus cum antiphona duplicata, cetera secundum rubricas vigentes.

Ad Tertiam, Sextam, Nonam:

Unicus psalmus cum antiphona duplicata; quod psalmos desiderandum est, ut psalmi feriales etiam diebus festivis recitentur; cetera secundum rubricas vigentes.

Ad Vesperas:

Tres psalmi cum antiphonis duplicatis, cetera secundum rubricas vigentes.

Completorium:

Unicus psalmus. « Pater noster » ante confiteor omisso examen conscientiae; Preces semper omittendae sunt.

Propositum secundum:

Sed permulti sacerdotes in vinea Domini operantes tantummodo horis matutinis, meridianis et vespertinis precibus vacari possunt. Qua de causa proponitur etiam totum officium recitandum in partes tres tantum distributum, et quidem

I. *Officium Matutinum*:

Tres psalmi sine antiphonis; tres lectiones cum responsoriis; iterum tres psalmi; Antiphona, Canticum, Oratio, Consecratio laboris.

II. *Officium meridianum*:

Tres psalmi, unica lectio, oratio.

III. *Officium vespertinum*:

Vesperae cum Completorio coniunctae secundum propositum primum.

Et Deus, etc.

✠ Th. Card. Innitzer
Archiepiscopus Vindobonensis

5

Rev.mi P. D. HENRICI GRONER

Abbatis nullius *B. M. V. Maris Stellae* (Wettingen-Mehrerau)

I C/59-1571

Eminentissime et Reverendissime Pater,

Gratiam habeo Eminentiae Vestrae, quod me invitavit ad animadversiones aut argumenta pro futuro Concilio Oecumenico scribenda.

Tali invitatione fretus aliqua proferre audeo, salvo meliore iudicio virorum peritorum.

Hae animadversiones paginis sequentibus inveniuntur.

Omni qua par est Reverentia permaneo Eminentiae Vestrae Reverendissimae in Christo obsequentissimus

Fr. Henricus Groner, S. O. Cist.

Datum Augiae Maioris, die 21 augusti 1959.

I. Laicorum conditio iuridica determinanda

Determinandam esse mihi videtur conditionem iuridicam laicorum respectu habito collaborationis cum hierarchia ecclesiastica sicut desideratur ab ipsis Summis Pontificibus ope Actionis Catholicae.

Haud pauca a RR. PP. Pio XI et Pio XII f. m. et Iohanne XXIII f. r. de hac materia scripta et locuta erant.

Forsan *iura* et *munera* Actionis Catholicae secundum epistulas et sermones horum Summorum Pontificum succincte circumscribi possent: v. g.

I. Actionem Catholicam associationem ecclesiasticam a S. S. praeceptam esse;

II. Actionem Catholicam mandatariam Ecclesiae officialem esse, cui incumbere:

1) principia fidei catholicae disseminare, defendere, privatim et publice promovere;

2) efformare fideles, praesertim iuvenes, ut secundum christianae fidei principia vivant et institutiones ecclesiasticas, opera caritatis et similia foveant;

3) assistentem ecclesiasticum sacerdotem habere ad fideles dirigendos et consiliis modo spirituali adiuvandos.

III. Quibus normis *C.I.C.* Actionem Catholicam regendam esse, praesertim quos canones applicandos esse.

II. Applicatio Decreti de negotiatione vetita

Liceat mihi notare quaedam, ut melius intelligi possit praesertim a communitatibus religiosis Decretum S. C. Concilii a die 22 martii 1950 *De negotiatione vetita.*

Iam ad normam can. 142 « Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem ».

Ratio huius canonis 142 respicit clericos uti personas *physicas.* A fortiori haec ratio valet pro Religiosis ubi et votum paupertatis intrat.

Semper et in omni casu et ubique excluditur negotiatio pure argentaria et illa quae in « borsa » fit, quia talis negotiatio in omni casu apud clericos sive considerentur uti personae physicae sive uti personae morales notam turpis lucri habet. Sed ratio legis, in quantum attinet ad negotiationem quaestuosam et lucrativam non videtur adesse, ubi aliquod institutum religiosum exercet mercaturam etiam in sensu stricto i. e. vendendo res sub eadem forma carius quam emptae sunt ad lucrum sibi vindicandum inclusa quoque emptione *actionum* societatum mercatoriarum, semper tamen exclusa omni speculatione borsaria, ad finem instituti sustentandum, v. g. pro missionibus, pro orphanotrophiis etc. Talis negotiatio est v. g. negotium bibliopolae, ubi libri ab editore emuntur 30%-50% minori, ut postea cum hoc lucro nihilo mutato vendantur; vel negotium obiectorum devotioni religiosae inservientium.

Talis ergo negotiatio sine dubio ad normam huius Decreti non prohibetur.

III. De tabellis quaestionum conficiendis

Salva omni Reverentia erga Curiam Romanam quaedam animadvertere audeo:

Ultimis his annis saepe saepius a diversis S. Congregationibus emissae sunt tabellae quaestionum ad Relationes conficiendas et ad Romanam Curiam remittendas.

Nihil dicendum est contra tales res ad statisticam synthesim perfi-

ciendam, attamen non raro talia quemdam centralismum redolent et in periculum sic dicti « burocratismi » adducere videntur.

Salvo meliore iudicio, quaeritur num melius sit, ut maior ratio et responsio agendi conscientiae Ordinariorum locorum relinqui possit.

6

EXC.MI P. D. STEPHANI LÁSZLÓ

Episcopi tit. Metellopolitani
Administratoris Ap. Burgenland in Austria (Burgenland)

No. Sec. 264

Eminentissime Princeps,

Quia litteras aestimatissimae Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio oecumenico tantum mense augusto in manus recepi, peto reverenter, ut tempus pro transmissione Votorum usque ad finem huius mensis mihi prorogetur.

Quas preces non reprobatas fore praesumens me profiteor

Eminentiae Vestrae addictissimus famulus

Eisenstadt, die 7 septembris 1959.

✠ STEPHANUS LÁSZLÓ
Episcopus tit. Metellopolitanus
Administrator Apostolicus ad n. S. Sedis
regionis Burgenland

7

EXC.MI P. D. PAULI RUSCH

Episcopi tit. Meloensis in Isauria
Administratoris Ap. Oenipontani (Innsbruck-Feldkirch)

Ad 1/C/59-1905 Innsbruck, die 27 iulii 1959

Eminentissime Princeps,

Ad litteras de die 18 iunii 1959 honori mihi duco exponendi, quae sequuntur:

In re Liturgica

1. Calendarium deberet reddi simplicius, ita ut nonnulla festa secundaria exstinguantur, tria autem festa principalia, id est Nativitas, Pascha

et Pentecostes unumquodque cum plena octava celebrari possint, quod nunc temporis pro Nativitate non viget.

2. Inde sequitur Missale esse aliquomodo reformandum, sub respectu uti supra, sed etiam sub respectu lectionum dominicalium. Optandus scl. esset cursus lectionum (scl. lectionis et evangelii) pro triennio, ita ut lectiones dominicarum mutari possent, et quidem bis, quod pro homiliis magni momenti esset.

3. Simul, uti patet, Breviarium est reformandum, secundum principia quae in Congressu Assisiensi iam sunt prolata. Tempus persolvendi deberet reddi brevius.

4. Quoad ritus extra missam celebrandos magni momenti esset maiores concedendi facultates pro lingua vernacula.

In re canonica

1. Ius matrimoniale et poenitentiale deberet reddi simplicius, ex. gr. consanguinitates etc. et reservationes.

2. Facultates episcoporum essent augendae, v. gr. quoad peccata reservata etc.

3. Quoad indicem librorum optandum esset episcopos delegare posse etiam alios presbyteros.

In re hierarchica

1. Nunc temporis magni momenti esset ut in unaquaque natione constituatur Primas. Qui Primas uti patet, a Summo Pontifice ad nutum eiusdem Summi Pontificis nominetur cum certis iuribus et obligationibus. Inter alia unusquisque Primas obligationem haberet conveniendi unoquoque triennio Romae et quidem eodem tempore, ita ut Summus Pontifex de situatione in mundo informari et decreta saluberrima decernere posset.

2. Maior et melior cooperatio et condirectio optanda est inter clerum saecularem et regularem, in qua Primas aliqua iura habere deberet.

3. Centralismus, quem vocant, aliquo modo mitigandus est. Ex. gr. iura episcopi nimis restricta sunt in ratione dispensationum, in libertate collationum beneficiorum, si antecessor de familia papali erat et multa huiusmodi.

4. Idem valet quoad conferentias episcopales. Apud multos episcopos nullum gaudium movet si vel programma conferentiarum iam ante ad Secretariam Status mitti debet. Forsitan melius valeret, si conferentiae episcopales sui iuris essent, quo responsabilitas et vis initiandi episcoporum augeretur.

In re oecumenica

1. Praesertim, ne ullum novum dogma declaretur. Ultimum dogma in regionibus, quibus etiam protestantes vivunt, adhuc difficultates movet.

2. Dein gradatim esse procedendum:

a) Per conversationes informatio et confidentia est instituenda.

b) Opera communia caritativa ecclesiae catholicae et ceterarum ecclesiarum initianda sunt, ex. gr. ad mitigandas penurias in mundo, ad impediendum bellum etc.

c) Festa communia, in quantum possibilia sunt, sed simul concessio rituum propriorum commendanda est.

d) Denique unio dogmatica obtinenda, quod tamen brevi temporis intervallo effici vix poterit.

Haec sunt quae humili mea opinione respondenda esse putavi.

Omni qua par est reverentia et obsequio

me profiteor servum addictissimum

✠ PAULUS RUSCH

Episcopus tit. Meloensis in Isauria
et Administrator Ap. Oenipontanus

8

EXC.MI P. D. IOANNIS DELLEPIANE

Archiep. tit. Stauropolitani, Nuntii Ap. in Austria

I

N. 18802 Vienna, 30 ottobre 1959.

Eminenza Reverendissima,

Col pregiato Dispaccio Prot. I C/59-1652 del 10 luglio scorso, mi è pervenuta la Lettera-Circolare pari numero del 18 giugno, indirizzata ai Padri del futuro Concilio Ecumenico.

Dopo averla attentamente considerata e deferendo al desiderio di Vostra Eminenza Reverendissima, ho consegnato nei due appunti qui allegati: I. *Osservazioni*, II. *Suggerimenti*, alcuni pensieri, che mi permetto di sottomettere al savio e prudente giudizio di codesta Pontificia Commissione Antipreparatoria pro Concilio Oecumenico.

Mi sono limitato a osservazioni e suggerimenti di carattere generale, ispiratimi da una lunga esperienza di rappresentante pontificio. Chiedo venia di farlo con alquanto ritardo per cause veramente involontarie.

Inchinato al bacio della sacra porpora, mi onoro confermarmi col più profondo e devoto ossequio

di Vostra Eminenza Reverendissima
dev.mo obb.mo um.mo

✠ G. Dellepiane
Nunzio Apostolico

Allegato I

I . *Osservazioni*

1. Gesù Cristo ha annunziato il suo Vangelo ed ha fondato la sua Chiesa sulla roccia dell'Apostolo Pietro per la salvezza di tutti gli uomini, di tutte le stirpi, di tutte le regioni del mondo, di tutti i tempi, sino alla fine del mondo.

2. Per molti secoli la Chiesa, di fatto, è rimasta limitata a un certo numero di paesi, specie d'Europa; mentre oggi si estende a tutte le regioni del mondo e comprende popoli di tutte le stirpi, di tutte le civiltà, dai più evoluti ai primitivi.

3. Fino a poco tempo addietro le comunicazioni fra la Santa Sede e la Chiesa nei diversi paesi del mondo erano lente e talora difficili. Oggi la Santa Sede può comunicare in poche ore colla Chiesa in tutte le regioni anche le più remote. Nel momento stesso in cui le notizie sono divulgate, sono apprese in tutte le parti del globo; e da tutti i punti della terra si può udire la voce del Papa mentre parla alla Chiesa, e nell'istante medesimo si può vedere la sua augusta Persona.

4. Questo rapidissimo progresso nelle comunicazioni, unito a tante altre scoperte della Scienza, fanno sì che le condizioni in cui vivono, si muovono e operano gli uomini e i popoli si sono profondamente modificate, e perciò si son necessariamente modificate le condizioni in cui la Chiesa deve operare per la salvezza degli uomini.

5. Molti popoli fino a poco tempo addietro civilmente dipendenti da nazioni più evolute, sono presi ora da un movimento, sovente impetuoso, verso l'indipendenza e la propria sovranità. In tali condizioni la situazione per la Chiesa diviene sovente delicata, tanto più delicata in quelle regioni in cui sovente la Chiesa è guardata, a torto ben inteso, come legata a certe Nazioni.

ALLEGATO II

II. *Suggerimenti*

1. Sembra che il primo compito del prossimo Concilio Ecumenico dovrebbe essere quello di dare alla Chiesa, che è *de iure et de facto* universale, una legislazione — *Codice Iuris Canonici* — veramente universale, rispondente in tutte le sue parti alle esigenze dello « universale », che convenga cioè alla Chiesa in tutte le parti del mondo; e quindi possa e debba essere applicata in tutte le regioni della terra.

A tale scopo sembrerebbero opportuni specialmente due ordini di riforme:

a) togliere dal *Codice I. C.* attuale tutto quello che ha carattere particolare;

b) modificarlo in alcune parti, completarlo in altre, in maniera che in tutte le sue parti risponda alle esigenze e ai caratteri dello « universale ».

2. Sembra che un identico criterio dovrebbe essere seguito dalla Santa Sede nel preparare e nell'emanare nuove leggi, decreti, motu-proprio, istruzioni ecc. destinati a tutta la Chiesa. Bisognerebbe assicurarsi prima se veramente tali documenti hanno i requisiti dello « universale », cioè che convengano e debbano essere applicati ovunque.

3. Un mezzo pratico, rapido e sicuro per procurarsi questa certezza, potrebbe essere quello dei Rappresentanti Pontifici, Nunzi e Delegati Apostolici, che si trovano in loco e in contatto immediato coll'Episcopato delle varie regioni del mondo. Dalle informazioni che potranno fornire i Rappresentanti Pontifici, la Santa Sede potrà giudicare se un documento convenga a tutta la Chiesa o se invece non sia opportuno destinarlo ad una sola nazione o ad un continente.

4. Ferme restando tutte le verità e i principi riguardanti la teologia dogmatica, la teologia morale, le regole liturgiche del culto, la disciplina ecc. nella Chiesa, cioè tutto quello che forma la sostanza e l'ossatura della Religione e della Chiesa, rendere tutto il resto flessibile e adattabile a seconda dei paesi.

Così, ad esempio, per l'istruzione religiosa, limitarsi a fissare gli obbiettivi da raggiungere, lasciando agli Ordinari di ogni Nazione o regione di trovare i mezzi per raggiungerli: i programmi, le organizzazioni, i metodi, le formule ecc.

Così, ad esempio, per gli studi ecclesiastici, stabilire le materie da insegnare, ma lasciare l'ordinamento degli studi, i programmi, i metodi ecc. agli Ordinari di ogni Nazione o regione.

Nei due casi ora accennati, come in tutti gli altri analoghi, dalle re-

lazioni periodiche che gli Ordinari per legge dovranno inviare alla Santa Sede, essa potrà rendersi conto se gli obiettivi siano raggiunti o meno, e dare eventualmente ordini e direttive.

5. La Chiesa colle sue dottrine, colle sue leggi, col suo operare in tutte le forme dell'apostolato deve mostrarsi, come è di fatto, divina e universale, non legata a nessuna Nazione o continente, non legata ad alcuna corrente o costume particolare. Soprattutto i Missionari presentandosi in una regione devono apparire unicamente ambasciatori di Cristo e inviati del Papa; e nelle parole, negli atti, nelle opere di apostolato e in tutta la loro condotta devono essere sempre coerenti alla divisa di ambasciatori di Cristo e inviati del Papa.

II

N. 19152 Vienna, 29 gennaio 1960.

Eminenza Reverendissima,

Col mio rapporto N. 18802 del 30 ottobre s. a., avevo l'onore d'inviare alcune *Osservazioni* e *Suggerimenti* in vista della preparazione del futuro Concilio Ecumenico.

Ai *Suggerimenti,* che riguardavano specialmente la riforma del Diritto Canonico, mi permetto di aggiungerne uno che ha successivamente ritenuto la mia attenzione; ed è consegnato nel foglio qui unito.

Inchinato al bacio della sacra porpora, mi onoro confermarmi col più profondo e devoto ossequio

di Vostra Eminenza Reverendissima
dev.mo obb.mo um.mo
✠ G. DELLEPIANE
Nunzio Apostolico

II. *Suggerimenti*

(seguito dell'Allegato al Rapporto N. 18802 del 30-10-1959)

6. Secondo il Diritto Canonico attuale, all'ufficio di Parroco è unito generalmente, od almeno in molti casi, il concetto di stabilità, denominato « inamovibilità ».

Crederei opportuno ed utile che tale concetto venisse modificato per le seguenti ragioni:

a) Ho sempre inteso gli Ecc.mi Ordinari Diocesani esprimersi in modo negativo circa la « inamovibilità » dei parroci e in nessun caso in modo affermativo.

b) Il Parroco è nominato dal Vescovo per compiere il ministero

pastorale in una parrocchia, far progredire la vita cristiana e guidare le anime verso la salvezza eterna. Quando l'adempimento di questo compito incontra serie difficoltà ovvero risulta gravemente deficiente, il Vescovo dovrebbe poter trasferire altrove il Parroco e provvedere col nominarne un altro al suo posto.

Il « beneficio » è cosa secondaria e quindi dovrebbe essere sempre subordinato all'ufficio.

c) Un Parroco nuovo studia le necessità della parrocchia, vede le lacune del predecessore, fa un piano di lavoro e si mette animosamente all'opera, realizzando in una decina d'anni il suo piano per l'incremento della vita cristiana ecc. Dopo i 12 ovvero 15 anni comincia generalmente la stagnazione, che diviene più tardi facilmente una vera incrostazione, priva di vitalità e di progresso. Lo stesso Parroco, mutato di Parrocchia, a tempo giusto, potrebbe rendere nella nuova un servizio altrettanto prezioso che in quella che ha lasciato.

d) La permanenza dello stesso parroco in una parrocchia, specialmente fuori delle città e tanto più nei villaggi, se può giovare sotto certi aspetti, conoscenza dei fedeli, dei problemi ecc., può sovente non giovare alla cura d'anime alla direzione delle coscienze, all'atmosfera di libertà che le anime devono sentire nell'accostarsi ai Sacramenti, specie della Penitenza.

Per queste ed altre ovvie ragioni sembrerebbe più opportuno che venisse modificato il concetto di stabilità e comunque abolito od almeno assai indebolito l'ordinamento attuale della « inamovibilità ».

III

N. 19429 Vienna, 29 marzo 1960.

Eminenza Reverendissima,

Facendo seguito al mio rapporto N. 19152 del 29 gennaio scorso e suo allegato, mi permetto aggiungere una settima osservazione circa gli affari che saranno oggetto del futuro Concilio Ecumenico.

Ho riassunto in tale osservazione ciò che ho inteso sovente in questo paese e in altri e lo sottometto al savio e prudente giudizio della Commissione Antipreparatoria.

Inchinato al bacio della sacra porpora mi onoro confermarmi col più profondo e devoto ossequio.

di Vostra Eminenza Reverendissima
dev.mo obb.mo um.mo
✠ G. DELLEPIANE
Nunzio Apostolico

II. *Suggerimenti*

(seguito dell'Allegato al Rapporto N. 19152 del 29-1-1960)

7. Secondo la « praxis » in vigore quando un Parroco è insignito di un titolo romano, come « Prelato » o « Cameriere S. S. » o « Cameriere d'Onore in a. p. » e lascia il posto, la nomina del successore appartiene alla Santa Sede (Dataria Apostolica).

A riguardo di una tale « praxis » ho inteso sovente, da parte di Ecc.mi Ordinari e di Ordinariati Vescovili, osservazioni in senso negativo:

a) Si fa notare che il titolo romano è conferito ad un Parroco *per qualità e meriti personali* e non alla Parrocchia. E non si comprende perchè il suo successore, che può essere un giovane sacerdote di qualità ordinarie e senza meriti, debba essere nominato dalla Santa Sede; e sovente in una Parrocchia di nessun rilievo. Tanto meno la popolazione comprende questo.

b) Molti Ordinari, per evitare le conseguenze di simili nomine di Parroci da parte della Santa Sede, si astengono assolutamente dal chiedere per un Sacerdote-Parroco il titolo pontificio di « Prelato » o « Cameriere S. S. »; si astengono anche nei casi di Parroci di grandi qualità o molto benemeriti; ovvero si limitano a casi rarissimi.

E questo equivale di fatto a una menomazione dei loro migliori Sacerdoti, tanto dinanzi al Clero che al popolo; e si aggiunge che si fanno confronti poco simpatici fra Diocesi e Diocesi.

c) Atteso ciò, viene spontaneo di chiedere se non sembrasse opportuno rivedere questa « praxis », studiando la maniera di modificarla: o semplicemente abolendola — ovvero limitandola ad alcuni casi importanti di Parrocchie il cui titolare è abitualmente un « Monsignore » — ovvero con altra equa soluzione, come ad es. che sia riservata alla Santa Sede la nomina di 1/3 ovvero 1/4 dei titolari di Parrocchie che sono Decanati o Vicariati-Foranei, se proprio si vuole conservare questo privilegio per il Dicastero romano; o altra soluzione che il futuro Concilio saprà, nella sua saggezza, trovare.

Vienna, 29 marzo 1960.

9

EXC.MI P. D. FRANCISCI ZAK

Episcopi tit. Apolloniensis, Coad. c. s. Ep. S. Hippolyti

St. Polten, die 21 augusti 1959.

Eminentissime ac Reverendissime Domine!

In responsione Litterarum Prot. N. I C/59-2146 die 18 iunii 1959 ad me transmissarum « circa res et argumenta, quae in futuro Concilio tractari poterunt » omni cum reverentia sequentia proponere audeo:

Cum proxime instans Concilium Oecumenicum secundum mentem Summi Pontificis in hunc finem praesertim convocetur, ut Ecclesia Catholica renovetur investigando in ea, quae magis hodiernis exigentiis Apostolatus respondeant, et ita via pandatur omnibus, qui adhuc extra Ecclesiam in schismate, haeresi et infidelitate versantur, haec mihi in hoc Concilio praeprimis pertractanda videntur:

A) In *rebus fidei,* ut in doctrina de Ecclesia saltem id perficiatur, quod Concilium Vaticanum perficere non potuit, declarando et definiendo de munere ac *potestate Episcoporum* in Ecclesia tum circa regimen tum circa magisterium. Speciatim quaestio de necessitate Ecclesiae ad salutem aeternam pertractanda videtur, quemadmodum ac quibus praesuppositis ad salutem perveniant etiam acatholici ac non-baptizati, et qualis debeat esse ipsorum relatio ad Ecclesiam.

Etiam desideratur determinatio accuratior atque auctoritativa quaestionis de « tolerantia » Ecclesiae respectu eorum qui non ad Ecclesiam pertinent. Declaretur veritas dari gratiam etiam extra Ecclesiam.

Unitate ac vigore roborata in ipsa Ecclesia facilius progressus fiet, si via pandatur accedendi ad eos, qui foris sunt; ita speciatim:

1. Quoad *Orientales christianos,* ut aucta scientia, amore ac precibus infensa distantia in dies minuatur.

2. Nec oblivioni dentur *Protestantes* et ab Episcopis qui in hac re bene versati sunt, consilia proponantur, quid faciendum, ut consensio, amor et cooperatio fraterna in dies crescant; insuper Episcopis in his regionibus omnes facultates tribuantur, ut rem tam salutarem pro posse promovere possint.

B) Amplius vero intendatur et adlaboretur in omnibus, quae *vitam ecclesiasticam* foveant, promoveant ac amplificent et quidem imprimis:

I. Ut *unitas* caritatis et actionis in ecclesia catholica foveatur atque augeatur; speciatim:

1) in *missionibus* apud infideles magis adhuc evolvendis et iuvandis. Perpendatur, utrum in hunc finem unaquaeque dioecesis « patronatum » suscipere possit in determinatam dioecesim (vicariatum, praefecturam) in missionibus constitutam, ut eam amicali coniunctione, opere et suffragio specialiter adiuvet;

2) *omnes* insuper *nationes* magis magisque advocentur in cooperationem et adiumentum pro *regimine universalis ecclesiae,* speciatim in Curia Summi Pontificis Romana eiusque legationibus;

3) *laici* magis adhuc vocentur in curam et adiumentum laboris hierarchici v. g. constituendo ac regulariter consultando et audiendo concilio quodam laicorum tum pro universa ecclesia, tum pro unaquaque dioecesi.

Relate ad hoc coordinatio omnis activitatis apostolicae laicorum necnon receptio principiorum « actionis catholicae » in ipsum *Codicem Iuris Canonici* consideranda esset.

II. Ut vigor et fervor actionis apostolicae in ecclesia augeantur:

1) perpendendo, quid amplius fieri possit pro *vocationibus sacerdotalibus* fovendis; utrum et quomodo una regio (dioecesis) aliam iuvare possit mittendo ei sacerdotes; examini subiciatur et pro posse solvatur quaestio proprii diaconatus soluti a lege coelibatus et curae animarum exclusive addicti (res magni momenti uti videtur pro missionibus!);

2) *liturgia divina* magis adhuc ad id accomodetur, ut sit etiam medium efficax apostolatus et unionis pro universo populo; ideoque v. g.:

a) in viam rationemque inquiratur, ut populus *missam* saltem lectionum (praeparatoriam uti aiunt) audire et comitari possit lingua vernacula;

b) *breviarii* reformatio ulterius prosequatur praesertim in lectionibus historicis II Nocturni iuxta veritatem historicam reformandis;

c) ritus « de consecratione novae ecclesiae vel altaris » abbrevietur et reformetur.

3) Cura speciatim animarum promoveatur ac facilitetur concedendo ei facultates opportunas et accomodando eam ad necessitates ac difficultates huius temporis; itaque ex. gr.:

a) facultas detur omnibus sacerdotibus in propria dioecesi iurisdictione munitis (saltem tamen vicariis cooperatoribus) ut matrimoniis assistant iam ex potestate propria uti parochi vicem supplentes;

b) privilegium S. R. E. Cardinalium « audiendi ubique terrarum confessiones » (can. 239, § 1, 1°) omnibus episcopis concedatur;

c) omnibus sacerdotibus in propria dioecesi iurisdictione munitis

concedatur etiam facultas audiendi confessiones in itineribus; in hac re enim iterum atque iterum in peregrinationibus sacris sentiuntur difficultates;

d) potestas permittendi lectionem librorum prohibitorum large et sine notabili restrictione detur episcopis, immo etiam cum quadam restrictione et parochis ac confessariis; immo clero in ministerio ac magisterio generatim detur licentia legendi libros prohibitos, exceptis ex professo obscenis.

Prohibitio librorum scriptorum catholicorum qui S. Sedi directe denuntiantur, non fiat absque inquisitione praeparatoria ab ordinario loci facienda neque sine indicatione rationum gravium damnationis;

e) sanctione nullitatis plectatur *matrimonium* attentatum *per fraudem* crassam in rebus gravis momenti, ita ut terminus ponatur huiusmodi casibus vere tragicis;

f) facultates Ordinarii loci augeantur in sensu alicuius partialis et nostris temporibus accomodatae decentralisationis. Ut pauca tantum dicam Ordinario loci concedatur facultas v. g.:

1. conferendi beneficia « quae vacaverint per obitum... familiarium honoris tantum Summi Pontificis tempore vacationis beneficii » (cf. can. 1435, § 1, 1°);

2. dispensandi ab impedimento aetatis canonicae in conferendis ordinibus sacris maioribus (cf. can. 974/75 *C.I.C.*);

3. dandi licentiam pro « asservatione Sanctissimi », reservatam S. Apostolicae secundum can. 1265, § 2.

III. Ultimo loco quaedam animadversiones, quae « iusiurandum » respiciunt:

A sacerdotibus auditu dignis saepe exprimitur sollicitudo iusiurandum ob nimiam repetitionem in hodierna praxi ecclesiastica suum finem amittere et rem iuridicam mere « formalem » fieri:

a) sic ex. gr. candidatus ad subdiaconatum saltem 4 iuramenta simul praestare debet:

1) Professio fidei iurata;

2) iusiurandum antimodernisticum (Pius X);

3) iusiurandum pro titulo secundum can. 981, § 1;

4) declaratio... in singulis sacris ordinibus suscipiendis iuramento coram Ordinario praestito (*A.A.S.*, 1931, p. 127); dicta iuramenta ante Subdiaconatum certe iustificari possunt, cur tamen tanta repetitio postea?

b) In susceptione munerum ecclesiasticorum exigitur « professio fidei iurata », necnon iuramentum antimodernisticum.

c) Occasione promotionis ad lauream doctoralem in S. Theologia renovatio iuramenti antimodernistici iuste exigitur. Cur hoc iusiuran-

dum non valet pro tempore, quo munus quoddam doctrinale obeundum erit?

d) In processibus causarum matrimonialium iterum atque iterum displicet exigi iuramentum tum ante tum post examen. Nonne posset fieri simplificatio absque detrimento iuridico? Idem dicendum de medicis in causis iudicialibus iam iuratis qui secundum ordinem processionalem repetere debent iusiurandum pro singulis relationibus.

e) Sacerdotes testes agentes in foro ecclesiastico deberent eximi a iureiurando praestando, ita ut eis sufficiat appellatio ad « fidem sacerdotalem ». Haec fieri possent certe absque deminutione effectus desiderati.

Petitio nostra est, ut etiam hae animadversiones occasione reformationis Codicis in considerationem veniant.

Pontificiae commissioni antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico benedictionem atque adiutorium Dei adprecor.

Interim ad osculum sacrae purpurae reverenter me inclinans

Addictissimus in Domino
✠ FRANCISCUS ZAK
Episcopus Coadiut.

10

EXC.MI P. D. BRUNONIS WECHNER
Episcopi tit. Cartennitani

Eminentissime Princeps!

Veniam primo petens propter tardam hanc expeditionem variis obstaculis improvisis causatam nunc tandem respondens litteris diei 18 iunii 1959, Prot. N. I C/59-2324, quae versus finem mensis augusti 1959 in manus meas venerunt, sequentia proponere velim, quae in futuro Concilio inter alia aptae tractationi submitti possent.

I. *In re theologica*

1. De cooperatione B. M. Virginis in opere redemptionis declaratio desideranda esset.

2. Item de conditione et statu episcoporum.

3. De laicis eorumque muneribus et iuribus in Ecclesia clara et accurata enuntiatio exspectatur.

II. *In re liturgica*

1. Reformatio Breviarii acceleretur et ad bonum finem perducatur, non omissis quibusdam emendationibus in textu novi Psalterii, qui praesertim etiam quoad cantum adhuc quaedam desideranda relinquit.

2. Pro tempore Adventus idem statuatur, quod pro tempore Quadragesimae iam statutum est, ut Officium et Missa vel de Tempore vel de Sancto eligi possit, exceptis festis duplicibus primae et secundae classis.

3. Pro tempore Adventus propria Praefatio et pro ultimis feriis cum Antiphona « O » etiam Missa propria optanda essent.

4. Ut in Missis solemnibus Celebrans ea, quae a ministris cantantur, omitti posset, uti in Officiis Maioris hebdomadae iam statutum est.

5. Notabilis abbreviatio ritus consecrationis ecclesiae et altarium necessaria esse videtur.

6. Ut sacerdotes, qui feriis Rogationum processionibus cum fidelibus intersunt, si litaniae omnium sanctorum in lingua vernacula iam recitatae vel cantatae fuerunt, eas in Breviario post Laudes omittere possint.

III. *In iure canonico*

1. Quae episcopis facultatibus quinquennalibus conceduntur, in posterum ipsis per ius commune attribuantur.

2. Normae dentur, ut clerici regulares magis et facilius ad curam animarum vocari possint.

3. Lex sacri coelibatus confirmetur et eiusdem necessitas pro vita vere sacerdotali et praesertim etiam respectu habito bonae et fructuosae pastorationis edoceatur et serio inculcetur.

4. Omnes clerici in ordinibus maioribus sub peccato obligentur ad quotidianam meditationem per dimidiam saltem horam, praesertim si per reformationem Breviarii tempus pro recitatione horarum notabiliter diminuitur.

5. Apud sacras Congregationes et Tribunalia Curiae Romanae etiam lingua germanica admittatur, ut onerosa translatio actorum, praesertim in processibus canonicis, et cum hac coniuncta nimia iactura temporis itemque saepe etiam coniunctum damnum fidelium spirituale evitari possit.

6. Ut in materia processuali formalismus nimis exaggeratus moderetur et normae respectivae simplificentur.

7. Sufficere posset e. g., si personae in processibus canonicis examinatae (partes, testes, periti etc.) semel tantum, sive ante sive post

depositionem, iuramentum praestent, igitur aut de veritate dicenda vel dicta.

8. Etiam in iure poenali perpendatur, quomodo varia etiam ad formam simpliciorem restringi possent.

9. Attenta relaxatione in lege ieiunii tempore Quadragesimae variae concessa fideles in iis regionibus, ubi bene vivunt et rebus temporalibus ultra necessaria fruuntur, obligentur ad dandam quotannis accomodatam eleemosynam tempore Quadragesimae in favorem hominum in regionibus, ubi fame, infirmitatibus et maxima omnium ad vitam necessariorum egestate premuntur.

Cum devotissimo obsequio

Eminentiae Vestrae addictissimus

✠ Bruno Wechner
Episcopus tit. Cartennitanus
et Vicarius generalis

11

Exc.mi P. D. LEONIS PIETSCH
Episcopi tit. Naronensis

De materiis per Concilium oecumenicum tractandis, deque operibus ab eo perpetrandis interrogatus sequentia, non omittenda, propono:

1. De episcoporum munere, de laicis eorumque obligatione ecclesiam aedificandi et propagandi in quantum sunt membra ecclesiae; de cooperatione laicos inter et clerum.

2. De liturgia divina celebranda facultative in lingua vernacula, Sanctae Missae Canone excepto.

3. De componendo, ad modum Catechismi Romani, opere, quo totius doctrinae christianae capita veris nostrorum temporum quaestionibus, desideriis difficultatibusque applicentur.

4. De iure beneficiorum reformando, ut inaequalitas in remuneratione clericorum animarum cura occupatorum tollatur ipsaque beneficia melius administrentur, quod per communem ditiorum beneficiorum administrationem apte fieri posse videtur.

5. De iure poenali simplificando.

Graz, Austria, die 26 augusti 1959.

✠ Leo Pietsch
Episcopus Naronensis

BELGIUM

1

Exc.mi P. D. AEMILII IOSEPHI DE SMEDT

Episcopi Brugensis (Brugge, Bruges)

Prot. N. 1 C/59-261

Eminentissime Domine,

Ego infrascriptus Eminentiae tuae Reverendissimae praesentibus litteris humiliter varia varii momenti puncta expono, quae meo iudicio in Concilio Oecumenico examinari possint.

De personis

1. Iterum affirmetur clericos in maioribus ordinibus constitutos a nuptiis arceri et servandae castitatis obligatione teneri.

2. Clericis et religiosis qui recitandi officii obligatione tenentur, permittatur horas canonicas persolvere in propriis et probatis liturgicis libris sive latina sive alia lingua conscriptis.

3. In memoriam revocetur religiosos in suis inceptis apostolicis non posse agere contra leges et praescripta Ordinarii loci.

4. Religiosi iuris dioecesani, ad instar cleri dioecesani, considerentur tamquam adiutores directi Ordinarii loci, salvis tamen canonibus de statu religioso. Qua de causa tantummodo ob gravissimas rationes invitentur ad postulandum statum religionis iuris pontificii.

5. Post « declarationem iurium hominis » ab organismo internationali civili (O.N.U.) promulgatam, Concilium Oecumenicum promulget « declarationem iurium hominis christiani ».

6. § 1. Exponatur omnes et singulos fideles baptizatos et confirmatos teneri ad exercendum apostolatum laicorum apud proximos.

§ 2. Illustretur praeterea genuina doctrina Actionis Catholicae, ostendendo nempe in hodiernis Ecclesiae periculis christianos invitari ut partem habeant in organismis Actionis Catholicae, quibus Hierarchia mandatum commisit *a*) adiuvandi clerum in suis inceptis apostolicis *b*) ordinandi modo systematico laicorum apostolatum, eo fine ut consertis viribus et cum spirituali assistentia cleri exerceatur.

7. Ad catecheticam instructionem pueris et adultis dandam etiam laicorum piorum auxilium praesto sit.

8. Edoceantur fideles de modo quo instituendi sunt contactus cum non-catholicis in mundo in dies magis mixto.

De rebus

1. Examinetur problema de usu linguae vernaculae et de participatione activa fidelium in S. Missae Sacrificio.
2. Paramenta in missis pontificalibus adhibenda simplificentur et usus sandalium abrogetur.
3. Statuatur: ultima hora ante S. Communionem non licet uti nisi aqua et medicamentis.
4. Affirmetur episcopatum esse veri nominis sacramentum.
5. Indissolubilitas et usus christianus matrimonii iterum doceantur.

De locis et temporibus sacris

1. Ritus consecrationis ecclesiarum et altarium simplificetur.
2. Lex ecclesiastica abstinentiae et ieiunii denuo statuatur, hoc modo ut frequentes exceptiones et dispensationes vitari queant.

De magisterio

1. Principia genuina in studio et interpretatione Sacrae Scripturae statuantur.
2. Invigilantia Ecclesiae in libros hodiernis circumstantiis adaptetur et extendatur ad periodica, diaria, libellos necnon ad emissiones Radiophoniae et Televisionis.

De matrimonio

1. Abrogentur:

impedimentum consanguinitatis in linea collaterali 3° gradu;
impedimentum affinitatis in linea collaterali 2° gradu;
impedimentum cognationis spiritualis;
impedimentum criminis ex adulterio cum simplici promissione matrimonii; vel saltem non sit impedimentum dirimens matrimonium.

2. Restauretur textus can 1099, § 2 ut iacet in *Codice* (ad catholicam formam servandam non tenentur): « item ab acatholicis nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint ».
3. Facultates quinquennales inserantur in Codice, aliis verbis, hae facultates iure communi obveniant Ordinariis.

De alienatione bonorum ecclesiasticorum

Tota res sit de competentia Ordinariorum loci, vel saltem necessitas recurrendi ad S. Sedem limitetur ad alienationem « rei pretiosae » aut alienationem rerum quarum pretium aequivalet 2.000.000 Fr. B.

Quae dum ipsius curae committo, anulum pastoralem reverenter deosculans, me profiteor Eminentiae tuae Reverendissimae

humillimum et oboedientissimum servum in I. C.
✠ AEMILIUS IOSEPHUS DE SMEDT
Episcopus Brugensis

2

EXC.MI P. D. KAREL J. CALEWAERT
Episcopi Gandavensis (Gent)

Gandavi, 31 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Respondendo invitationi Eminentiae Vestrae, Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico sequentia vota quae pastoralis sollicitudo et status animarum in dioecesi mihi suggerunt, exponere officium meum duco.

1. Veritates Fidei fundamentales rursum in mentem revocentur.

a) Demonstrabilitas existentiae Dei personalis, argumentis ex rebus creatis deductis. In Professione Fidei quam clerici et sacerdotes iteratis vicibus emittere debent, haec clare et aperte affirmantur et ex altera parte non desunt professores philosophiae in seminariis et universitatibus qui contendunt hoc absque divinae revelationis divinaeque gratiae auxilio fieri non posse, aut ad minus hanc possibilitatem in dubium vocant.

b) Doctrina de peccato originali quam multi sacerdotes iam exponere non audent.

c) Doctrina catholica de Transubstantiatione et de praesentia reali Christi in Eucharistia.

2. Clare et aperte damnetur abusus sic dictae « Ethicae Situationis ». Haec doctrina funestissimum exercet influxum in doctrinam praesertim de castitate et circa usum matrimonii.

3. Definiatur doctrina catholica de natura episcopatus et de potestate episcoporum.

a) An nulla datur differentia ordinis inter episcopos et simplices sacerdotes ita ut simplices sacerdotes habeant radicaliter eamdem omnino potestatem Ordinis ac episcopi, potestas cuius exercitium in simplici sacerdote coarctatur ad nutum Summi Pontificis, sicut quidam religiosi contendunt?

b) Coarctanda est exemptio religiosorum qui in multis occasionibus nimis independenter ab Ordinario loci agunt.

4. Intacta retineatur « lex coelibatus », gloria et decus cleri ecclesiae occidentalis.

Ne admittantur diaconi uxorati. Haec licentia viam aperiret ad tollendam ipsam legem coelibatus et indirecte sed valde efficaciter duceret ad labefactandam aestimationem cleri saecularis tum apud populum tum apud religiosos.

Si in quibusdam regionibus desit copia sacerdotum melius est tribuere laicis facultatem ministrandi Sacram Communionem in casu necessitatis quam permittere ut diaconi uxorem ducant.

5. Optandum omnino est ut reintroducatur praxis severior ieiunii et abstinentiae ad excitandum spiritum poenitentiae christianae. Relaxatio nimis frequens obligationis abstinentiae ultimis temporibus in nostris regionibus mirationem populi et scandalum provocavit.

An non introduci posset exercitium poenitentiae quod tempore Quadragesimae non permitteret usus carnium nisi in refectione principali, quin minuatur quantitas ciborum in aliis refectionibus.

6. Maneat lingua latina lingua liturgica in celebratione Missae et in recitatione Breviarii. Ecclesia Catholica, id est universalis, indiget vinculo symbolico externo unitatis. Nihil aliud permittatur quam quod in sapientissima Instructione S.R.C. diei 3 septembris anni 1958 sancitum est.

7. Lugendum est quod in plerisque Seminariis Philosophia et Theologia iam non lingua latina doceantur cum periculo non parvo inaccuratae imo falsae expositionis doctrinae.

Ad minimum exigendum putamus ut alumni seminariorum libros manuales sermone latino exaratos prae manibus habeant.

8. Quoad habitum clericalem (can. 136) stricte prohibeatur ne clerici in publico incedant habitu omnino laicali induti — ita ut nemo eos ut sacerdotes agnoscere possit — nisi in casibus extraordinariis ab Ordinario loci probandis.

Quae dum Eminentiae Vestrae propono humiliter subscribo

obsequentissimus et devotissimus in Christo famulus

✠ CAROLUS IUSTINUS CALEWAERT
Episcopus Gandavensis

3

EXC.MI P. D. LUDOVICI J. KERKHOFS

Episcopi Leodiensis (Liegi)

qui responsum dedit una cum

EXC.MO P. D. GUILELMO M. VAN ZUYLEN

Episcopo tit. Druensi, Coadiutore c. s. Leodiensis

Leodii, die 20 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Litterae 1 C/59-747 bis, quas Eminentia Vestra, die 21 martii 1960, ad Excellentissimum ac Reverendissimum Dominum Ludovicum-Iosephum Kerkhofs, Episcopum Leodiensem, mittere dignata est, huic Curiae Episcopali bene pervenerunt. Ratione infirmae valetudinis Excellentissimi Domini Episcopi, fas sit mihi, Episcopo Coadiutori, eius nomine Eminentiae Vestrae responsum dare.

Quando Exc.mus ac Rev.mus Dñus Episcopus anno elapso litteras ab Eminentia Vestra die 18 iunii 1959 scriptas recepit, vires eius corporales iam valde imminuerant. In fine mensis iunii, ratione fluxus interni sanguinis, ipsi sacramentum Extremae Unctionis contuli. Status eius postea aliquantulum melior factus est. Cum ipso de futuro Concilio Oecumenico pluries locutus sum, sicque potui Eminentiae Vestrae, die 21 augusti 1959, litteras mittere in quibus, eo plene approbante, exposui puncta varia quae Commissioni antepraeparatoriae proponenda ambo censebamus. Textum harum litterarum adnecto huic epistolae.

In fine mensis novembris 1959 valetudo carissimi Episcopi adhuc deterior facta est. Crisis gravissima locum habuit die 27 novembris 59: denuo ipsi sacramentum Extremae Unctionis contuli. Per plures hebdomadas status periculosissimus remansit, quin tamen luciditatem mentis amitteret. Inde a mense februarii aliqua melioratio locum habuit quae nunc stabilis est: periculum grave iam non imminet, sed, eheu, vires corporales Excellentissimi Domini ita debiles sunt ut medici expresse prohibeant ne quodquam opus grave faciat.

Velit ergo Eminentia Vestra veneratissimum Pastorem nostrum excusatum habere: personaliter Eminentiae Vestrae rescribere nequit. Eius nomine rogo ut Eminentia Vestra litteras nostras diei 21 augusti 1959, quarum exemplar heic adnectitur, considerare velit ut exprimentes non

tantum meas cogitationes sed opinionem Excellentissimi ac Reverendissimi Episcopi Leodiensis.

Tam eius quam meo nomine sensus profundae reverentiae ac oboedientiae laeto corde Eminentiae Vestrae exhibeo, oram sacrae Purpurae humiliter deosculans,

✠ Guilelmus M. van Zuylen
Ep. tit. Druensis et Coad. Leodiensis

* * *

Leodii, die 21 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Magna cum reverentia accepi litteras (1 C/59-2677), quas Eminentia Vestra mihi dignata est mittere die 18 iunii. Approbante Excellentissimo ac Reverendissimo Domino Ludovico-Iosepho Kerkhofs, cuius Coadiutor sum et qui infirmae valetudinis causa personaliter rescribere nequit, humiliter propono Commissioni Pontificiae antepraeparatoriae ut puncta sequentia specialiter considerare dignetur:

1. Optamus valde ut Concilium Oecumenicum condemnet clare et definitive neomodernismum doctrinalem et moralem, qui, non obstante Encyclica « Humani Generis », adhuc viget et spargitur.

2. Optamus ut doctrina explanetur:

a) de episcopatu prout sacerdotio primi ordinis eiusque essentiali discrimine cum presbyteratu;

b) de Actione Catholica et de natura « mandatorum » quae laicis dantur ad apostolatum sub auctoritate Episcopi.

3. In materia disciplinari:

a) declaratio fiat de lingua latina in ecclesia omnino retinenda, in liturgia(saltem pro partibus non didacticis) et in formatione clericorum (in Philosophia et Theologia tradenda);

b) ieiunium eucharisticum simplicius fiat tum easdem regulas imponendo sacerdotibus celebrantibus et fidelibus communicantibus, tum reducendo ad duas horas abstinentiam a cibo solido. De his rebus tam magni momenti adhuc cogitabo et spero Eminentiae Vestrae speciale commentarium in decursu mensis septembris mittere posse.

Promittens orationem quotidianam pro praeparatione foecunda futuri Concilii Oecumenici, sensus profundae reverentiae et oboedientiae Eminentiae Vestrae exhibeo, oram sacrae purpurae deosculans,

✠ Guilelmus M. van Zuylen
Ep. tit. Druensis et Coad. Leodiensis

P. S. Huic textui adiungo exemplar litterae pastoralis quam Excellentissimus Dominus Episcopus Leodiensis anno 1951 scripsit et quae mihi videtur commentarium optimum puncti I.

Leodii die 20 aprilis 1960.

✠ GUILELMUS M. VAN ZUYLEN
Ep. tit. Druensis et Coad. Leodiensis

4

E.MI P. D. IOSEPHI E. CARD. VAN ROEY
Archiepiscopi Mechliniensis (Mechelen, Malines)

Mechliniae, die 19 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Ego infrascriptus Iosephus Ernestus Cardinalis van Roey, Archiepiscopus Mechliniensis, per praesentes litteras respondere intendo litteris quas Eminentia Tua, nomine Commissionis antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico, die 18 iunii 1959 dedit.

In folio adnexo referuntur res et argumenta quae in futuro Concilio examinanda videantur.

Hac occasione adnotare iuvat ea quae in *Codice Iuris Canonici* recognoscendo inserenda videantur.

In exponendis his rebus, meum quidem iudicium obsequor, consultis quoque viris peritis speciatim Belgii Episcopis.

Quae dum Eminentiae Tuae pro officio meo nota facio, cum altae venerationis obsequio manus Tuas osculatus, permaneo

Eminentiae Tuae Reverendissimae
humillimus devotissimus servus
✠ I. E. Card. VAN ROEY
Archiepiscopus Mechliniensis

QUOAD CONCILIUM OECUMENICUM

I. Inter praecipua Concilii intenta videtur hoc eminere: *episcopatus catholici efferre valorem* ordinique episcopali locum in Ecclesia assignandum accurate determinare.

Quod praesertim fiat sequendo praeclaram doctrinam quam SS. D.

Pius XII sanctae memoriae in sermonibus saepius delineavit, speciatim in allocutionibus suis 31 maii 1954 et 1 novembris 1954 ad Cardinales et episcopos habitis.

Itaque:

1) Ad dirimendas recentes controversias, in luce ponatur episcopatum esse a presbyteratu distinctum et veri nominis sacramentum atque consecratione episcopali conferri plenitudinem sacerdotii.

2) Praeterea definiatur episcopos iure divino esse successores Apostolorum, ipsosque cum Romano Pontifice et sub eius suprema auctoritate constituere collegium apostolicum, cui Christus Redemptor triplex commisit munus in Ecclesia, scilicet munus docendi seu magisterium, munus ministerii seu sacerdotii et munus regiminis.

3) Inde liquet episcopatum pertinere ad divinam Ecclesiae constitutionem seu structuram. Inde etiam concludi potest episcopos sub ductu Summi Pontificis quodam modo sollicitudinem gerere quoad universam Ecclesiam, speciatim promovendo missiones ubique terrarum.

4) Spectato episcoporum munere docendi regendique oves sibi commissas, delineari oportet eorum auctoritas et officium quoad apostolatum seu actionem catholicam, et quidem non solum fidelium laicorum, sed etiam religiosorum et religiosarum, qui in inceptis apostolicis episcoporum legibus et mandatis sese conformare debent, nedum contrarie.

II. A Concilio definiatur genuina *notio Actionis Catholicae* et speciatim natura iuridica mandatorum quae laicis auctoritate episcoporum dantur.

III. Omnino optandum est ut Conciilum emittat *solemnem Declarationem iurium hominis christiani,* quemadmodum organismus internationalis civilis O.N.U. publicavit « Declarationem iurium hominis ».

IV. An publico conatu zelandum sit ut *Ecclesiae separatae* occasione Concilii ad unicum Christi ovile redeant? Aestimo, experientia personali doctus qua olim particeps conventuum vulgo dictorum « Conversations de Malines », talem fructum Concilii nonnisi levi spe fulciri, datis variis et perantiquis earum praeiudiciis. At persuasum habeo omnia quae de episcopatu catholico in supradicto sensu statuentur ab Ecclesiis separatis magno cum favore recepta fore.

V. A Concilio iterum clare condamnentur errores *modernismi* tum doctrinalis, iuxta Encyclicam « Humani Generis », tum moralis, speciatim conceptus moderni de oboedientia.

VI. Concilium statuat *linguam latinam* omnino retinendam esse in liturgia et in formatione clericorum, in philosophia et theologia tradenda.

Quoad Codicis Iuris Canonici revisionem

Attendenda videntur inter alia sequentia puncta:

LIBER II. – De Personis.

Pars prima: *De Clericis.*

Tit. II ac III. Privilegia ac obligationes clericorum magis accommodentur hodiernis vitae adiunctis.

Tit. VII, cap. VII. Conciliis provincialibus addatur statutum iuridicum de coetibus Episcoporum apud Metropolitam.

Tit. VIII, cap. V. Excessivus numerus canonum ad Capitula canonicorum spectantia minuatur.

Tit. VIII, cap. VIII. Iura vicariorum foraneorum extendantur.

Pars secunda: *De Religiosis.*

Iurisdictio Episcoporum quoad religiosos et religiosas magis firmetur et extendatur, ita ut nimis frequens recursus ad Sedem Apostolicam vitari possit.

Pars tertia: *De Laicis.*

Introducendum est statutum iuridicum Actionis Catholicae et Operum Apostolatus.

LIBER III. – De Rebus.

Pars prima: *De Sacramentis.*

Tit. III. De Ss.ma Eucharistia. Distributio S. Communionis horis postmeridianis permittatur extra Missam vespertinam, saltem pro aegrotis.

Tit. V. De Extrema Unctione. Administrari posse deberet in omni periculo mortis, non tantum ob infirmitatem vel senectutem.

Tit. VI. De Ordine. Irregularitates et impedimenta simplificentur et temporibus praesentibus magis accommodentur.

Tit. VII. De Matrimonio. Omittantur impedimenta cognationis spiritualis et raptus. Impedimentum disparitatis cultus extendatur ad omnes baptizatos, etiam non catholicos. Affinitas in priore gradu lineae collateralis annumeretur inter impedimenta minora. Applicatio formae extraordinariae matrimonii, extra periculum mortis, accurate specificetur.

Instructio processus matrimonii rati non consummati definiatur per sententiam Episcopi et confirmetur per sententiam Metropolitae, ac dein duplex sententia favorabilis Summo Pontifici praesentetur ad dispensationem impetrandam.

PARS SECUNDA: *De Locis et Temporibus sacris.*

Tit. XII. Ius funerum simplificetur.

Tit. XIV. Lex abstinentiae et ieiunii, nova forma redacta, firmetur, ita ut sit clara nec locum det frequenti dispensationi aut mutationi.

PARS QUARTA: *De Magisterio ecclesiastico.*

Tit. XXIII. Legislatio de prohibitione librorum reformetur.

PARS QUINTA: *De Beneficiis.*

Legislatio de beneficiis simplificetur et potestas Ordinarii in hac materia firmetur.

LIBER IV. – DE PROCESSIBUS.

PARS TERTIA: *De modo procedendi in nonnullis negotiis.*

Remotio et translatio parochi ac modus procedendi contra clericos magis expedita fiant Ordinario.

LIBER V. – DE DELICTIS ET POENIS.

Tota materia, nimis implicata, pro praxi accommodetur.

5

EXC.MI P. D. ANDREAE M. CHARUE
Episcopi Namurcensis (Namur, Namen)

Eminentissime Domine,

Ego infrascriptus Eminentiae Vestrae Reverendissimae transmitto animadversiones quae, ad Concilium Oecumenicum ineundum mutationesque in *Codice Iuris Canonici* peragendas, a Sancta Sede postulantur.

I. *De Doctrina*

Etsi, ad unitatem Ecclesiarum fovendam, novae definitiones vitandae videantur, valde tamen optandum est ut quae in Concilio Vaticano

de Episcopatu adumbratae sint, nunc elaborentur, pro parte definiantur notionibusque de Primatu et Infallibilitate Summi Pontificis adnectantur.

A) Ad definitionem, meo iudicio, proponi possent:

1) Episcopi, iure divino, ut successores apostolorum habendi sunt;

2) consecratio episcopalis est sacramentum veri nominis.

B) Explanentur:

1) missio collegialis episcoporum ad mentem Encycl. *Fidei donum;*

2) notio Ecclesiae localis in qua episcopus iurisdictionem a Summo Pontifice immediate recipit, etsi, iure divino, eam regat ut pastor proprius;

3) quod attinet ad vitam dioecesis et praesertim labores apostolicos, notio ipsa exemptionis religiosorum, etsi evertenda non sit, reformanda tamen est ut ipsi oneribus pastoralibus, sub regimine episcopi, praesto sint et praescriptiones eiusdem adamussim servent.

II. *De sanctitate Cleri*

A) De lege coelibatus pro sacerdotibus ritus latini nihil innovetur; attamen eadem lex in favorem ministrorum in religione protestantica vel anglicana educatorum, minime urgenda esset, si ipsi, matrimonio iam inito, veram fidem amplectentes, omnes alias cautiones a iure requisitas praestantes, sacramentum ordinis expeterent.

B) Attenta allocutione diei 9 decembris 1957 a SS. Papa Pio XII coram 2° Congressu Statuum perfectionis habita, cum gratia reciperetur proclamatio « Status perfectionis individualis » in favorem sacerdotum cleri saecularis qui, vitae apostolicae causa, incorporationem institutis particularibus minime exoptant.

III. *De laicis et populo christiano*

1. Concilium Oecumenicum per declarationem iurium hominis christiani declarationem ab Organismo internationali factam perficiat.

2. In memoriam redigatur obligatio omni baptizato et confirmato incumbens ut membrum Corporis mystici semper agendi, adiutorium missionibus praestandi et auxilium variis nostrarum ditionum operibus ferendi.

3. Enucleetur doctrina authentica Actionis Catholicae, rationes eius necessitatis explanentur et obligatio eam exercendi in communione cum Ordinario loci a quo mandatum recipitur statuatur. Hortentur fideles ut in organismis Actionis Catholicae partem habeant:

a) sint adiutores cleri in apostolicis oneribus;

b) apostolatus eorum modo systematico et aptato proponatur ita ut doctrina christiana, praesertim in rebus educationis relationumque socialium, ubique exponatur et extollatur.

IV. *De Liturgia*

Proponatur participatio activa fidelium ad Sacram Liturgiam. Inter res examinandas, haec argumenta discutiantur:

1) definiatur usus linguae vernaculae in Sacra Liturgia;

2) expediantur quaedam caeremoniae, v. g. consecratio ecclesiarum et altarium;

3) concedatur favor concelebrationis, praesertim feria quinta Hebdomadae Sanctae et etiam quando Episcopus celebrat Sanctum Sacrificium Missae inter sacerdotes ad exercitia spiritualia peragenda aut sessiones studiorum exarandas coadunatos;

4) instauretur denuo Sacra Communio sub duabus speciebus, saltem pro sacerdotibus, in ritu Ordinationis et in Missa Feriae quintae Hebdomadae Sanctae ab Episcopo litanda;

5) computentur horae ieiunii eucharistici a momento ipsius communionis etiam in favorem celebrantis ita ut qui duas vel tres missas celebrat vel ad sacros ordines promovet aliquid ante meridiem sumere valeat;

6) emendetur Breviarium ut lectiones Scripturae Sacrae melius dispertiantur;

7) explicite nominetur episcopus residentialis, non tantum in canone Missae et in precibus ferialibus, sed etiam in orationibus Feriae Sextae Hebdomadae Sanctae et in Litaniis Sanctorum cum invocatione « Te rogamus audi nos ».

V. *De ieiunio et abstinentia*

Nova lex statuatur ut dispensationes rarissimae fiant.

VI. *De facultatibus Episcoporum*

1. Facultates Episcopis a Sede Apostolica ad quinquennium concessae eisdem pleno iure impertiantur.
2. Retractentur iura episcoporum quod attinet ad religiosas, etiam iuris pontificii.
3. Statuatur de Institutis Saecularibus ut Episcopi de eorum constitutione et industria rite edoceantur et sic provideatur ne quasi furto operam navent.

4. Quoad alienationes et mutua, ne imponatur recursus ad Sanctam Sedem, nisi de rebus pretiosis vel maioris pecuniae quam 2.000.000 Fr. belg.

5. Ne conclusiones diutius differantur, emendetur procedura in omnibus causis matrimonialibus modo administrativo ducendis et generatim in omnibus causis, inquisitione ab Ordinario loci, iure delegato, peracta, a Sancta Sede diiudicandis.

VII. *De unione Ecclesiarum*

1. Doctrina de episcopatu amplius exponatur et definiatur.

2. Ad discrepantias liturgicas reducendas, ne reiiciantur omnino concelebratio et communio sub duabus speciebus.

3. Quoad praeteritum, ne dedignetur fateri ambiguitates deflendas et errores, saltem psychologicos, a nobis contractos.

4. Scriptura Sacra et argumentum patristicum magis proponantur ut fundamentum rerum definitarum. Etsi ratio Angelici Doctoris et generatim scholasticorum reiicienda non sit, attamen doctrina et principia christiana ratione Sacrarum Scripturarum magis ac magis pertractentur et illustrentur.

5. Num vere aspernenda esset aliqua « communicatio in sacris », quando orthodoxae fidei cultores extra ecclesiam catholicam ad sacram liturgiam accedere nullo modo valent? Ex quo argumento multae difficultates forsan praevidentur, sed nihilominus quaestio ponderanda esset in favorem fratrum qui, haereditatis multisaecularis causa, omni bona fide extra Ecclesiam vitam ducunt.

Quae dum haec vota nota facio, Eminentiae Vestrae Reverendissimae me profiteor

humillimum et obsequentissimum in Christo famulum

✠ ANDREAS MARIA CHARUE
Episcopus Namurcensis

I

Très Saint Père,

L'évêque de Namur, prosterné aux pieds de Sa Sainteté, se permet filialement d'exprimer un vœu, à savoir que les prêtres séculiers puissent célébrer la Sainte Messe et réciter l'office, au moins privément, des prêtres canonisés, mais non inscrits dans le Calendrier universel de l'Eglise.

Ne pourrait-on espérer, du moins, qu'un évêque, qui en ferait la demande, obtienne un indult dans ce sens pour ses prêtres diocésains?

A notre époque, où l'on rappelle sans cesse aux prêtres séculiers le devoir de la sanctification, il serait bienfaisant de les faire vivre en communion spirituelle avec ceux des leurs qui, plus nombreux qu'on ne le pense souvent, sont déjà sur les Autels. Ne pourrait-on accorder cette édification à nos prêtres, comme on accorde aux sociétés religieuses de célébrer la Messe et l'Office de leurs Saints propres?

Actuellement, l'Ordinaire du lieu peut permettre, per modum actus, une Messe voitive chantée de n'importe quel Saint canonisé, à condition qu'il y ait une cause grave et publique, avec l'assurance d'un concours de peuple, et à condition qu'il ne s'agisse pas de jours où de telles messes votives sont interdites. On peut aussi dire ou chanter la Messe d'un Saint mentionné ce jour-là au Martyrologe si l'on ne célèbre pas à cette date une fête double ou une férie privilégiée.

Quant à l'Office, rien n'est prévu, sinon que des moralistes admettent qu'une fois ou l'autre dans l'année, on récite par dévotion personnelle un Office différent de celui qui est à l'Ordo du lieu.

Nous souhaiterions plus de latitude en faveur du clergé séculier par rapport aux fêtes de Saints de ce clergé qui ont été canonisés.

Ne pourrait-on même pas étendre cette faveur à des fêtes collectives de martyrs, comme celle des Martyrs de la Révolution française, le 2 septembre? L'exemple de ces martyrs est tellement important aujourd'hui.

Et que Dieu...

✠ André Marie, *év. de Namur*

II

Très Saint Père,

L'évêque de Namur, humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, se permet filialement d'exprimer un vœu, celui que soit introduite une prière pour l'évêque du lieu dans les grandes Oraisons du Vendredi-Saint et dans les invocations des Litanies des Saints, comme il en existe dans les Prières fériales du Bréviaire et dans l'Exultet du Samedi-Saint. Le Canon de la Messe joint d'ailleurs les noms du Pape et de l'évêque du lieu.

Voici les raisons de ce souhait.

Historiquement, les grandes Oraisons du Vendredi-Saint et les demandes des Litanies Majeures sont de la plus haute antiquité: les pre-

mières, notamment, viennent des plus anciens sacramentaires, remontant, au moins, au v[e] siècle. Il va de soi qu'à Rome, la prière pour le Pape suffisait, mais il semble que dans les autres diocèses, il conviendrait de faire prier aussi pour l'évêque du lieu. L'invocation générale pour les évêques, prêtres, diacres, etc., telle qu'on la trouve le Vendredi-Saint, ne considère pas la situation précise du Pasteur propre.

L'origine des grandes Oraisons du Vendredi-Saint et celle des Litanies Majeures est traitée en détail dans deux articles des « Questions liturgiques et paroissiales » de 1938: Dom. M. Cappuyns, « Les Oraisons solennelles du Vendredi-Saint », pp. 18-31; D. E. Moeller, « Litanies majeures et Rogations », pp. 75-91. Des renseignements supplémentaires se trouvent chez H. A. P. Schmidt, « Hebdomada Sacra », Herder, 1957, notamment dans le t. II.

Ne serait-il pas heureux qu'à la veille du Concile, le Saint-Siège manifeste une fois de plus combien il s'intéresse aux problèmes de l'Episcopat par l'acte important que nous nous permettons de suggérer? Il semble que les Eglises séparées en seraient fortement impressionnées. On a pu constater l'impression produite partout par les modifications apportées par Sa Sainteté dans le texte de la consécration au Sacré-Cœur. L'impression serait au moins aussi forte, notamment dans les Eglises orientales, si les prières souhaitées concernant l'évêque résidentiel étaient décidées par Sa Sainteté.

Et que Dieu...

✠ André Marie, *év. de Namur*

6

Exc.mi P. D. CAROLI M. HIMMER
Episcopi Tornacensis (Tournai)

Prot. N. 1 C/59-1369 Tornaci, die 26 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Dignetur primum Eminentia Tua excusatum me habere eo quod hoc meum responsum non citius Tibi pervenerit. Sed negotia permulta quae ultimis his mensibus adire debui, mihi usque adhuc tempus non reliquerunt ut hanc maximi momenti quaestionem satis perscrutare argumentorum in futuro concilio oecumenico utiliter pertractandorum. Spem ta-

men retineo hoc meum contributum, etsi valde modici sit valoris, Commissioni Antepraeparatoriae non sero perventurum esse.

Quoad *Doctrinae capita* utiliter in concilio consideranda haec sequentia proponere mihi concedatur.

I. *De sufficientia Sacrae Scripturae*

Tum ex una parte theologorum reflexio circa Protestantium haeresim et conditiones Ecclesiae unitatis resarciendae, tum ex alia parte studiorum profectus in exegesi et historia doctrinae christianae videntur hodie possibilem et optabilem reddere doctrinam melius enucleatam de modo quo Scriptura et Traditio mutuo complentur. Tridentina Synodus et Concilium Vaticanum de « verbo scripto vel non scripto » loquuntur sed valde optandum videtur magisterii ecclesiastici obtineri documentum circa relationes inter doctrinam scripturisticam et traditiones quae ab Apostolis « quasi per manus traditae ad nos pervenerunt ».

II. *Extra Ecclesiam nulla salus*

Quomodo hoc assertum « extra Ecclesiam nullam esse salutem » rite est intelligendum? Hanc quaestionem hodie indagandam esse requirunt tum theologia missionum tum relationes cum christianis dissidentibus.

III. *De munere ordinis episcoporum in Ecclesia*

Perutile videtur proponere episcopatus theologiam, ratione habita ex una parte Summi Pontificis in Ecclesia muneris et ex alia parte functionis sacerdotum secundi ordinis.

1. Ostendere episcoporum iurisdictionem universali potestate Summi Pontificis non absumi et quomodo haec Romani Antistitis auctoritas muneris episcoporum locum non teneat.

2. Perscrutari notionem « plenitudinis sacerdotii » quam Traditio episcopatui tribuit et modum quo sacerdos secundi ordinis (praesertim cleri dioecesani) sacerdotii episcopi particeps fiat.

Ad *rem* vero *moralem* quod attinet haec quaestio proponitur:

De notione genuina actus intrinsece mali

Quid est actus intrinsece malus? Quid est actus contra naturam? Qua ratione intentio subiecti necnon circumstantiae valorem « actus contra naturam » mutare possunt? Haec quaestio ponitur praesertim

ratione habita hodiernae theoriae moralis sic vocatae « ethicae situationis » (éthique de la situation), quae praesertim ad praxes onanisticas in casibus extremis legitimandas a quibusdam adhibetur.

Haec diversa ultima argumenta liceat etiam proponere:

I. *De cleri dioecesani sanctitate promovenda*

Optatur prius enucleatio alicuius doctrinae asceticae (spiritualité) clero dioecesano adaptatae, quae ex natura sacerdotii dioecesani, desumeretur, deinde formatio sacerdotalis (doctrinalis, pastoralis et praesertim spiritualis) quae tum in seminario tum durante toto vitae decursu inniteretur in hac doctrina.

II. *De usu linguae vernaculae in missa catechumenorum et de reformatione pericoparum sacrae scripturae missarum dominicalium in missali romano*

Expetitur ad fovendam participationem fidelium quod in missa catechumenorum vernacula lingua uti liceat.

Item quod pericopae sacrae scripturae in missis dominicalibus legendae cuidam recognitioni subiiciantur. Optatur vero quod in hac revisione textus lectionum sacrae scripturae ita multiplicentur ut celebrans unum alterumve legere possit quando in hebdomada officium dominicale resumit. In hac optione textuum seligantur pericopae ditiores et populo magis intelligibiliores.

III. *De notione actionis catholicae*

Rogatur ut conceptus actionis catholicae a Pio XI traditus elucidetur et servetur ad rite secernendam hanc apostolatus laicorum formam nostris temporibus maxime adaptatam ab aliis speciebus apostolatus in quibus laici sese devovent.

Interim, hanc occasionem nactus, impensos aestimationis meae sensus Tibi obtestor meque profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
humillimum servum

✠ CAROLUS MARIA HIMMER
Episcopus Tornacensis

7

EXC.MI P. D. EPHREM FORNI

Archiepiscopi tit. Darmitani, Nuntii Ap. in Belgio

Bruxellis, die 2 aprilis anno Domini 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteras accepi quibus meam rogabar aperire mentem animadversionesque et vota patefacere de quibusdam rebus et argumentis, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent.

Magna cum reverentia quaedam exponam in foliis annexis; attamen antea mihi liceat ad pedes Summi Pontificis Iohannis XIII provoluto, cum omnibus fidelibus ac praesertim cum clero catholico gratias Deo agere, qui Vicario Suo in terris Concilium Oecumenicum convocandum inspiravit.

« Profecto, sicut Ipse Summus Pontifex declaravit, Concilium Oecumenicum opus grande est, quod ingentem virium copiam expostulat ut nempe clarius innotescant diversae locorum necessitates; ut melius varia doctrinae disciplinaeque capita declarentur, utque christianae vitae christianique apostolatus incrementum efficacius promoveatur ».

Per hoc proximum Concilium magis apparebit fecunda vitalitas Catholicae Ecclesiae eiusque unitas et ita, ut est in Summi Pontificis votis, facilius ianua aperietur omnibus errantibus ut ad catholicam veritatis unitatem redeant et fiat unum ovile et unus Pastor.

Haec omnia enixe a Deo adprecor, dum omni quo par est obsequio Eminentiam Tuam Reverendissimam prosequor Eique impensos animi sensus ex corde profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
humillimus ac additissimus servus

✠ EPHREM FORNI
Archiepiscopus tit. Darmitanus
Nuntius Apostolicus

I. *De apostolicitate Ecclesiae et de munere Episcoporum*

Quamvis opportunum non videatur ut futurum Concilium Oecumenicum nova promulget Dogmata fide catholica tenenda, quorum definitio dogmatica non sit absolute necessaria Fidei integritati servandae,

nihilominus conveniens esse videtur ut enucleatius exponantur quaedam puncta seu articuli, maiorem lucem brevibus explanationibus afferentes veritatibus iam definitis aut solummodo propositis de Ecclesiae Apostolicitate. Haec ex. g. esse possunt:

a) Ecclesia Romana vere et authentice est quae a Christo et ab Apostolis fundata, integram doctrinam Christi eiusque institutiones a primaevis temporibus usque ad nostra tempora inviolatam servavit. Et sic magis magisque appareat omnibus Romanam Ecclesiam vere esse apostolicam quatenus et Sacras Scripturas et Apostolicas traditiones uti principales fontes fidei proclamat et tuetur; ab illis nunquam recessit nec recedat, atque ex illis — duce Spiritu Sancto iuxta Christi promissa — integram veritatem religiosam custodit et infallibiliter declarat.

b) Ecclesia Romana est vere Apostolica, quippe quae proclamat et defendit non solum Primatum Iurisdictionis et Magisterii Petri eiusque legitimorum successorum, sed etiam « Munus Episcoporum proprium ».

Quapropter, cum in Concilio Vaticano I, iam definita sint Romani Pontificis Primatus eiusque personalis infallibilitas, optandum esset ut in Concilio Vaticano II, resumendo quae in schematibus anterioris Concilii continentur et breviter in *Codice Iuris Canonici* iam declarantur, clarius explicetur: natura muneris episcopalis, determinando, contra aliquas modernas opiniones, sacramentalis consecrationis episcopalis indolem et naturam; practice insuper declarando extensionem exercitii potestatis ordinariae Episcoporum iure divino, quatenus legitimi successores apostolorum suas regunt dioeceses, easque una cum Summo Pontifice subque eius auctoritate gubernant et munus docendi ac sanctificandi exercent potestate ordinaria.

c) Item Episcopi in universali Ecclesia potestate gaudent quando una cum Summo Pontifice Ecclesiae Capite, et sub eius auctoritate coadunati Concilium Oecumenicum, quod suprema pollet in universalem Ecclesiam potestate (*C.I.C.* 228) constituunt. Itemque unicuique etiam Episcopo munus pastorale universale concreditur, quatenus « ex Dei Institutione apostolici muneris Ecclesiae una cum ceteris Episcopus sponsor » habendus est (Enc. *Fidei donum, A.A.S.*, 1957).

d) Munus quoque Episcoporum in curam animarum suae dioecesis practice describere opportunum videtur speciatim relate ad privilegia et exemptionem religiosorum, ita ut — salva vita religiosa propria — religiosi in exercitio ministeri in animarum cura non se subtrahant iurisdictioni episcopi in omnibus activitatibus ut ita dicam ad extra, tum in administrando paroecias, tum in directione associationum catholicarum et institutionum scholasticarum.

e) Tandem, quo aptius potestas ordinaria episcoporum in eorum respectivis dioecesibus determinetur ac celerior reddatur administratio, opportunum videtur ut episcopis tribuantur tanquam facultates ordinariae quaedam ex iis quae ipsis conceduntur ex delegatione, ad 5 vel 10 annos valiturae.

Commissio Canonistarum poterit enumerare facultates quae episcopis tribuerentur et eas quas S. Sedes sibi reservaret.

II. *De cultu Beatissimae Virginis Mariae*

Iuxta Decretum Concilii Tridentini de invocatione Sanctorum et de devotionum formis, optanda esset amplior elucidatio conceptuum de Maria Sanctissima Corredemptrice Humani Generis, et de ipsa Beata Virgine uti Omnium Gratiarum Mediatrice, quo cultus erga Dei Genitricem magis illuminatus sit et ut periculum removeatur falsarum interpretationum veritatis dogmaticae de Christo omnium Redemptore et unico apud Patrem Mediatore.

III. *De quarumdam veritatum explanatione*

Opportunum videtur ut quaedam veritates, quae nihilominus iam in Documentis Pontificalibus continentur, attentioni et meditationi fidelium denuo proponantur; uti ex. g.:

Damnatio communismi athei necnon eorum errorum qui libertati ac dignitati humanae contradicunt; iuribus conscientiae christianae opponuntur; iura Dei non solum in singula individua sed et in ipsam societatem qua talem negant vel coarctant; status laicismum propugnant; iura parentum et Ecclesiae de prolis recta educatione adversantur.

Item dicatur de erroribus recentioribus circa *limitationem prolis, inseminationem,* quam dicunt *artificialem.*

IV. *De Sacris Scripturis*

1. Ad mentem Documentorum Pontificalium Sacram Scripturam respicientibus, ac praesertim iuxta *Divino afflante Spiritu,* Concilium statuat primatum sensus litteralis Sacrae Scripturae.

2. Item, in memoriam revocatis normis ex praedictis documentis desumptis de scientifica et recta interpretatione SS. Scripturarum et de libertate qua gaudeant hac in re ii qui his studiis incumbunt, Concilium verum sensum conceptus « divinae inspirationis » declaret.

3. Attentis recentioribus progressibus in studiis biblicis, Concilium

examinare poterit possibilitatem Commissionis specialis instituendae ad correctionem versionis sive latinae sive graecae utriusque Testamenti hactenus in usum in Ecclesia, vel si videtur opportunum ad novam versionem praeparandam prae oculis habitis — uti evidens est, versionibus hucusque adhibitis in Ecclesia sive Latina sive Orientali.

V. *De usu linguarum vernacularum*

In celebrandis Sacrosancto Missae Sacrificio et Officiis stricte liturgicis, usus linguae latinae servetur pro iis omnibus textibus qui sunt proprii sacerdotis.

Concedi potest ut in Missis lectis post lectionem Epistolae et Evangelii ipsemet celebrans legat ad populum versionem lingua vulgari.

Item ut in iisdem Missis alter sacerdos vel clericus aut laicus vere peritus textum in lingua vulgari legat dum celebrans legit textum latinum.

In Missis cantatis ut Ministri post cantum Epistolae et Evangelii lingua latina legant textum vulgari sermone.

Item in Missis cantatis, sive partes mobiles, sive Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei, etsi cantatur a populo, lingua tamen latina cantentur.

E contra in Missis lectis populus vel cantores facultates habeant canendi aut recitandi lingua vulgari quosdam textus liturgicos, « Gloria, Credo, Sanctus et Agnus Dei » non exclusis, cum hoc in casu cantus aut recitatio partem integrantem liturgicae caeremoniae non constituant.

In Benedictione cum Ss.mo Sacramento « Tantum ergo » semper latine cantetur.

In Sacramentis administrandis, usus admittatur linguae vulgaris in illis partibus in quibus fidelis participatio directa per interrogationem praescribitur.

Qui tamen usus linguae vulgaris a Sancta Sede disciplinandus est, eique, ubi id videatur, modificandus relinquatur.

VI. *De re liturgica*

Ad res liturgicas quod attinet, optanda essent: *a*) revisio librorum liturgicorum; *b*) publicatio Codicis liturgici; *c*) Breviarii Romani reformatio.

Specialis Commissio ad hoc institui posset, cui Concilium tale munus committeret, simulque ei indicando quaedam puncta alicuius momenti, ex. gr. maior concinnitas singularum Horarum Canonicarum; distributio magis proportionalis psalterii per singulas partes et per diversa tempora anni liturgici; reformatio ac reductio, ubi opportunum id vi-

deatur, responsoriorum et antiphonarum, quo melius respondeant contextui; lectionum Matutini reductio, unam lectionem post singula Nocturna praescribendo in Officio 9 Lectionum ita ut in I Nocturno Lectio sumatur ex Vetere Testamento aut ex Epistolis Novi Testamenti; in II Nocturno vero Lectio historica ex vita Sancti desumpta adhibeatur regulis criticis sese melius conformando, in III Nocturno lectio sit breve commentarium textus evangelici.

In officio autem simplici sive feriali sive sanctorum unica lectio resumens hodiernas.

Quod attinet ad Ordines et Congregationes religiosas non clericales aut feminei sexus, quae Choro assistere et Horas Canonicas iuxta Breviarium Romanum aut Officium de Beata Virgine recitare tenentur, facultas iis tribuatur recitationis etiam choralis lingua vernacula. Quo in casu Sacra Rituum Congregatio determinabit versionem unice adhibendam ab omnibus qui eodem sermone utuntur.

N. B.: Etiam Missale Romanum reformari posset.

VII. *De diaconatus ordine*

Iuxta ea quae Pius XII f. r. in allocutione pro II Congressu Apostolatus Laicorum dixerat de eventuali separatione, in quibusdam casibus, Diaconatus a Presbyteratu ita ut non omnes Diaconi necessario ad sacerdotium promoveri debeant, haec possibilitas — ceterum conformis primaevae traditioni — examinari potest a Concilio.

Attentis penuria sacerdotum, praesertim in terris Missionum, utilis fortasse erit haec modificatio actualis disciplinae. Haec categoria diaconorum, qui, cum ad presbyteratum non ascenderent, eligi possent etiam ex viris coniugatis vitae christianae exemplaris, quique in disciplinis dogmaticis, Sacrae Scripturae, Sacrae Liturgiae et Iuris Canonici bene eruditi, sacerdotes iuvarent in re administrativa paroeciae, in quibusdam sacramentis conferendis, in variis activitatibus apostolatus Actionis Catholicae et Socialis, efficaciter ad bonum animarum promovendum collaborarent.

Quae disciplinae modificatio etiam bonam solutionem offerre posset iis, qui ex sectis acatholicis, ubi fortasse munus pastoris exercebant, ad Ecclesiam Catholicam redire velint.

VIII. *De Religiosis*

Optandum est ut Concilium exortet Ordines et Congregationes Religiosas sive virorum sive mulierum finem apostolicum prosequentes, ut

magis magisque cum Episcopis collaborent in animarum curae munere etiam paroeciali, necnon in diversis apostolatus activitatibus, ita tamen ut cum dioecesana auctoritate coordinatam actionem faveant. Hoc enim valde utile est ad bonum exemplum et ad progressum vitae christianae et ad disciplinam inter fideles promovendam.

Ad hunc finem, ad praxim ducantur quae a Pio XII f. r. proponebantur ad accommodandam vitam religiosam exigentiis modernis.

Utile forsitan esset proponere ut in domibus scholasticatus intendatur practica ac progressiva praeparatio religiosorum ac praesertim religiosarum ad munus apostolatus.

IX. *De laicis*

Uti luculenter Summi Pontifices hisce praesertim ultimis temporibus variis documentis exposuerunt, collaboratio laicorum magis activa in apostolatu Ecclesiae valde necessaria est: quapropter Concilium Oecumenicum, determinando denuo ad mentem Summorum Pontificum verum munus apostolatus laicorum a sacerdotali utique munere clare distinctum, practice statuere potest conceptum ac normas huius laicorum apostolatus sive in Consociationibus Actionis Catholicae propriae dictae secundum differentes earum formas, sive in aliis Consociationibus, quae magis directe ad activitates sociales catholicorum destinantur, itemque statuere earum submissionem Ecclesiasticae hierarchiae.

X. *De quibusdam rebus ad Ius Canonicum spectantibus*

Summisse opportunum videtur:

a) ut iure statuatur celebratio Nationalium Conciliorum saltem decimo quoque Anno;

b) ut in iure supprimantur ea impedimenta matrimonialia minora in quibus de facto semper, ad solam petitionem etiam nulla suffragante ratione alicuius obiectivi valoris, dispensatio conceditur;

c) ut causae matrimoniales speciatim super rato celerius tractentur atque rationes eventualis denegatae dispensationis oratoribus notae fiant;

d) ut reformetur atque praesertim magis simplex reddatur legislatio poenalis Ecclesiae;

d) ut reformetur legislatio canonica circa poenas ex informata conscientia;

e) ut regulae prohibitionis Librorum renoventur et simpliciores reddantur; atque, si videtur opportunum instituatur nova procedura, qua

ante censurae seu prohibitionis publicationem, auctor admoneatur et facultas ei detur corrigendi ac modificandi opus suum.

f) Ut etiam religiosae, praesertim illae quae ad educationem puellarum destinantur, saltem per aliquot annos in disciplinis theologicis instituantur.

8

Exc.mi P. D. PAULI C. SCHOENMAECKERS

Episcopi tit. Acarassensis, Auxiliaris Mechliniensis

Eminentissime Princeps,

Litteris respondendo quas Eminentia Tua Reverendissima mittere dignata est die 18 iunii 1959 sub Prot. N. 1 C/59-2115, quasdam animadversiones et vota sub hoc involucro transmittere liceat circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Cum sincero venerationis sensu Eminentiae Tuae Reverendissimae me profiteor

humillimum et devotissimum servum

✠ P. C. Schoenmaeckers
Episcopus titularis Acarassensis
Auxiliaris Em.mi Card. Archiepiscopi Mechliniensis

De recitatione Breviarii

Inter multiplices muneris pastoralis curas, uti sunt confessiones audiendae, conciones et instructiones catecheticae tradendae, scholae invisendae et alia huiusmodi, fructus spiritualis breviarii, in hodierna sua forma, pro clero saeculari penitus fere evanescit. Non sine nimio gravamine sacerdotes duplici pietatis onerum genere satisfacere valent tum scilicet officio divino recitando tum aliis a *Codice Iuris Canonici* praescriptis piis exercitiis peragendis. Plerumque peracto officio breviarii quod sub gravi eis incumbit, omnino negligunt meditationem et ceteras vitae spiritualis exercitationes.

Officium breviarii nimis prolixum apparet nec in forma sua hodierna clero dioecesano in re pastorali aut ascetica operam praestat.

Ad hoc videntur sequentia requiri:

1. Amplitudo officii divini valde coarctetur. Disponatur in hunc finem recitatio psalterii per plures hebdomadas; omittantur ad nutum

sacerdotis parvae horae ut Tertia, Sexta et Nona, quae vitae monasticae utique aptantur non autem vitae in saeculo; Matutinum ad formam breviorem reducatur et meditationi adiungatur una cum Laudibus; Completorio addatur examen conscientiae. Lectio divina inseratur in officio et generatim magis adunentur inter se exercitia pietatis privatae et oratio liturgica.

2. Officium ordinetur secundum normas simplices et logicas; abscindatur ab eo (salvis hymnis) quidquid supponit recitationem choralem ut magis aptetur recitationi individuali.

3. Lectiones sumantur e Sacra Scriptura quibus modo authentico lineamenta operis Salutis dilucidentur; praeprimis eligantur ex scriptis Apostolicis. Ut vitae asceticae ipsius sacerdotis simul ac ministerio eius pastorali operam praestare valeant, lectiones e Vetere Testamento necnon ex scriptis Patrum, praesertim S. Augustini et S. Gregorii, intuitu valoris didactici et ascetici eligantur.

4. Proprium de tempore primum obtineat locum; tempora liturgica in lucem ponantur; psalterium sit elementum fundamentale totius officii.

Eodem modo reformanda videntur tum Liber Missalis tum Kalendarium christianum. Pietatem ipsius sacerdotis ex fontibus Breviarii et Missalis magis enutriri necnon apud populum christianum pietatis sensus augeri ex tali renovatione sperare licet.

De sacrosancto sacrificio Missae

Ordo Missae lucidior sit et ad captum mentis rudioris ita ut coetus fidelium facile et modo magis activo eidem participare valeat.

In hunc finem reducendum videtur momentum Offertorio tribuendum, et arceantur nonnullae preces ex Offertorio, e Canone, ante S. Communionem. Ipsa oratio eucharistica, seu Canon Missae, ad formam suam pristinam restituatur.

In s. d. officio verbi pericopae praedicabiles (epistolae, evangelia) augeantur numero et ita eligantur ut tota doctrina fidei in lineis suis essentialibus comprehendatur et elucidetur historia humanae salutis.

Facilior exinde evaderet catechesis biblica et liturgica quae characterem vere propheticum indueret et « testimonium perhiberet veritati ». Insimul melius appareret nexus cum parte sacrificali et sacramentaria subsequenti: verba enim et opera Dei quae praedicantur in priore parte Missae et cum spiritu verae fidei recipiuntur optimum fructum obtinent in altera parte.

De vestitu clericali

Maior pars cleri, praesertim iuniores, in votis habet ut toga talaris fiat vestis mere liturgica et locum cedat, quoad usum civilem, vesti s. d. clergyman, utpote faciliori, magis moderno et simplici. Cum hic in vicinis regionibus scilicet Germania, Hollandia, Anglia etc. in usu sit, fere omnes sacerdotes nostri s. d. vestem clergyman propriam possident ad peragenda itinera in supradictis regionibus. Nec desunt aliae rationes in favorem vestis clergyman militantes ut v. g. usus rhedae automobilis vel « motorette », numerosa itinera peragenda, et praesertim quae ex ipso apostolatu sumitur: facilior accessus ad familias vel conventus sive intellectualium sive operariorum qui Ecclesiae infensissimi togam talarem sacerdotis abhorrent, vestem autem clergyman generatim admittunt.

Experientia constat vestem talarem valorem suum praeservativum pro moralitate sacerdotis magna ex parte amisisse nec habitum « clergyman » maiora sub hoc respectu prae se ferre pericula.

De ordine et munere diaconatus

Ordo diaconatus necnon forsan ordines minores tamquam functiones ordinariae in Ecclesia varias ob rationes instaurandi videntur. Inter quas numerus insufficiens sacerdotum tamquam magis obvia videtur. Sed minime habenda est ut principalior. Etenim, sicut tempore quo condebatur Actio Catholica penuria sacerdotum communiter dicebatur ratio primaria apostolatus a laicis in Ecclesia exercendi, dum decursu temporis fundamentum huiusmodi vocationis imprimis ipsi caracteri Baptismatis et Confirmationis inhaerere clarius apparuit, eodem modo nostris diebus restauratio diaconatus necnon ordinum minorum ex urgenti necessitate adiuvandi sacerdotes qui essentialibus muneris sui officiis sese devovere valeant originem videtur deducere, dum revera ex laicorum in Ecclesia crescentibus in dies apostolicis officiis nata est oriri ita ut rite ipsis trabuatur titulus qui eidem adnexo munere reapse perfunguntur.

Collatione rituali ab episcopo peragenda ipsum munus necnon varia eiusdem officia pleniorem acquirerent sensum tamquam participatio Summo Sacerdotio Christi Iesu; ipse autem minister, huiusmodi munere perfungens, locum obtineret conspicuum et stabiliorem in Ecclesia Dei.

Cum hoc modo latius quam antea sese extendat hierarchia ecclesiastica, antithesis nimis fortis clerum inter et laicos efficacius enervabitur et structura Ecclesiae tamquam societatis fidelium aptius stabilietur.

Incipiendum videtur ab ordine diaconatus cui competerent variae et momentosae functiones liturgicae cum labore indolis catecheticae, caritativae et administrationis. Ordines autem minores, si modo autonomo instaurandi videntur, quoad essentiam immutentur et renoventur; ex illis abrogentur v. g. exorcistatus, aut noviter erigantur v. g. munus cantoris, custodis, organistae, prout functiones revera exercentur vel non.

Clericis qui sacerdotio aspirant et ab Episcopo vocatis, signum distinctivum ipsa sacra tonsura remanet. Decursu annorum qui in Seminario degunt quatuor recipient ordines: lectoratum, acolythatum, subdiaconatum et diaconatum, cum debitis intervallis ad obeunda munera eisdem ordinibus afferentia.

Ceteri autem clerici, qui sacerdotium minime cupiunt aut illius recipiendi impares reperiuntur, nec onerentur lege celibatus nec peculiaris eis imponatur vestitus.

De ieiunio eucharistico

1. Ut uberiores fructus proferat laudata circa missas vespertinas, tum diebus dominicis tum per hebdomadam, nova ordinatio, reducendum esset ad unam vel saltem duas horas tempus ieiunii eucharistici. Crescit indesinenter numerus fidelium missis vespertinis participantium, minime autem numerus in iisdem ad Sacram Synaxim accedentium. Variae enumerantur rationes pro variis categoriis: hora tardior qua operarii domum redeunt, conditiones laboris pro agricolis, servitii pro militibus, etc.

2. Quoad sacerdotem celebrantem notetur difficile inveniri spatium unius horae uti requiritur a Constitutione Apostolica pro ieiunio a potu, inter missas quae sibi in ecclesiis paroecialibus a primo mane usque ad meridiem succedunt.

3. Enixe expostulant sacerdotes curam animarum habentes facultatem distribuendi Sacram Communionem infirmis domi decumbentibus, per horas postmeridianas. Mane enim sacerdotes variis incumbunt muneribus nempe in missa celebranda, in confessionibus audiendis, in lectione catechetica pueris tradenda, in scholis visitandis, sive exsequiarum aut nuptiarum ritibus, sive aliis coeremoniis perfungendis. Infirmis autem variae elargiendae curae mane occurrunt, dum alia ex parte familiares domum derelinquentes ad laborem vel ad scholam tendunt, aut domesticis rebus per horas antemeridianas vacant mulieres, dum horis pomeridianis sacerdos otio gaudet ad infirmos visitandos et ipsi infirmi melius dispositi et spiritu magis libero inveniuntur.

De Actione Catholica

In oratione inaugurali ad secundum congressum Apostolatus laicorum Romae habita Summus Pontifex Pius XII p. m. quasdam fecerat animadversiones et suggestiones quae in reformandis structuris et terminologia Actionis Catholicae retinendae sunt.

Verbo « Actionis Catholicae » restituatur sensus genericus et sic finis imponatur vanis « seminaristarum » discussionibus; sic etiam valor realis et verus status virium apostolicarum melius dignoscetur. Cum novae exortae sint species Actionis Catholicae, quarum valor et efficacia sufficienter probati sunt, quin categoriis existentibus comprehendantur, vanum esset servare statum anteriorem qui revera constitueret privilegium iniustum et monopolium indebitum. Dilatentur e contra institutiones et structurae ita ut laborem apostolicum efficacem et bene ordinatum promovere valeant.

Quodsi novus in Ecclesia, insufflante Spiritu Sancto nascatur spiritus missionarius et novas apostolatus formas evigilet sensus apostolicus universalior, de hoc certe gaudere licet. Mansiones multae sunt... admittantur ex corde in gremium Ecclesiae novae et numerosae vires apostolicae quae spem afferunt immensam et uberiorem messem oppignorantur.

9

Exc.mi P. D. IOANNIS B. MUSTY

Episcopi tit. Botrianensis

Namurci, die 3 septembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Receptis litteris Pontificiae Commissionis antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, sub numero 1 C/50-2196 datis, quibus animadversiones, consilia votaque Episcoporum exquiruntur, meo sensu, salvo tamen meliori iudicio, argumenta sequentia discutienda essent:

1. Maior libertas cuique religiosae largiatur ad confessarium ordinarium eligendum.

2. Tempus definitum a iure ad munus superiorissae minoris localis ultra sex annos protrahatur, saltem quod attinet ad domus religiosas non formatas.

3. De inamovibilitate parochorum aliquid mutetur ita ut, attenta

penuria sacerdotum, plures paroeciae uni sacerdoti committi valeant et rectores pro tempore earumdem paroeciarum ad alias paroecias ad nutum episcopi transferri possint.

4. Enucleetur doctrina Actionis Catholicae et in memoriam redigatur obligatio omnibus sacerdotibus incumbens eidem fovendi.

5. De re liturgica ita statuatur ut:

1) fideles S. Sacrificio Missae facilius partem habere valeant et instructionem doctrinalem ibidem inveniant;

2) pro sacerdotibus lectiones Breviarii denuo ordinentur et felicius dispertiantur, praesertim pro Scriptura Sacra et Homiliis.

6. Lex ieiunii eucharistici proponatur ut, etiam pro sacerdotibus Missam litantibus, ieiunium computetur a momento sacrae Communionis.

7. Ad mirationem fidelium vitandam et reverentiam erga Sacramenta fovendam, cautiones graviores requirantur ex eis qui Sacramenta v. g. baptismi, confirmationis et matrimonii exquirant, ne consuetudinis causa, proposito vitae vere christianae minime probato, ad eadem accedant.

Dum haec tibi scribo, anulum tuum pastorale deosculor et Eminentiae Tuae Reverendissimae permaneo

humillimus ac oboedientissimus in Christo servus

✠ IOHANNES BAPT. MUSTY
Episcopus tit. Botrianensis

10

EXC.MI P. D. CAMILLI P. A. STAPPERS
Episcopi tit. Ceramensis

Antverpiae, 18 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Maximo cum gaudio litteras accepi per quas Eminentia Tua me significare dignata est Summum Pontificem Ioannem XXIII, fel. regn., die 17 maii 1959, in Festo Pentecostes, instituisse, sub praesidentia Paternitatis Tuae, Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico.

Perspectis istius futuri Concilii Oecumenici insolita permagnaque

significatione atque etiam gravi pondere conclusionum posterius ab eo definiendarum, nihil mirum habetur Augustum Summum Pontificem diligenter velle cognoscere, in variis rebus ecclesiasticis, opiniones, consilia atque vota Excellentissimorum Episcoporum atque Praelatorum.

Isti enim, et in primis Episcopi ac Praelati residentiales qui, sub auctoritate et in nomine Summi Pontificis partes Ecclesiae regunt ac administrant, certe bene positi sunt ut, in multis, Commissioni Antepraeparatoriae praebere possint valde utilia argumenta quae quaedam doctrinae capita respiciunt, sive quoad disciplinam cleri et populi, sive quoad actuositatem apostolatus, sive quoad alia negotia maioris momenti quae, hodiernis temporibus, regimen Ecclesiae valde gravant.

Faxit Deus ut hi omnes eminentes ecclesiastici Pontifices, auditis prudentibus consiliis aliquorum suorum peritorum ecclesiasticorum adiutorum, multa utilia argumenta Commissioni Antepraeparatoriae praebere valeant, ita ut valde onerosum laborem Commissionis aliquo modo allevare queant.

Quod me attinet, non dubito quin, in mea praesenti conditione, non valeam proponere Commissioni Tuae vere utilia ac actualia argumenta sicut id efficere possunt Episcopi et Praelati residentiales ac etiam Vicarii Apostolici in functione muneris.

Ex eo quod iam a pluribus annis alienus fui a quacumque exercitatione effectivae actualisque territorialis iurisdictionis, existimo eam necessariam actualem experientiam mihi defuisse, quae omnino videtur requiri ut argumenta, ad Commissionem Antepraeparatoriam proponenda, revera actualia ac utilia esse possint.

Eminentiae Tuae manus reverenter deosculans et interim, ea qua par est devotione ac reverentia, subsignor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
humilis servus

✠ Cam. Val. Stappers
Episcopus titularis Ceramensis

11

Exc.mi P. D. IOANNIS CUVELIER
Episcopi tit. Circesiensis

Jette (Bruxellis), 24 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litteras accepi Eminentiae Tuae Reverendissimae portantes numerum 1 C/59-2357, quae invitant ad communicandum ea quae utilia iudicantur ad rem christianam in futuro Concilio promovendam.

Iussis Eminentiae Tuae Rev.mae obtemperans aliqua vota transmitto.

Deum enixe adprecor ut oecumenicum Concilium Ecclesiae quamplurimum incrementi afferat.

Sacram Purpuram deosculans, me profiteor Eminentiae Tuae Reverendissimae humillimum et devotissimum servum

✠ J. Cuvelier
Episcopus tit. Circesiensis

Vota et animadversiones

1. Postulatur ut sacerdotibus auxilio esse possint, ii qui illos receperunt sacros ordines qui matrimonium non prohibent.

2. Ubi clerici ac religiosi vestibus uti possunt saecularibus quando foras exeunt, hae vestes semper sint statui clericali vel religioso accommodatae.

3. Non facile admittantur novae congregationes qui finem specialissimum non habent. Invigiletur ut hunc finem retineant. Post aliquod tempus omnia instituta fere eadem faciunt.

4. Nonnulli videntur eamdem significationem tribuere verbis « adaptatio » et « accommodata renovatio » ac verbo « emancipatio » non advertentes quod Summus Pontifex Pius XII qui multoties locutus est de necessaria accommodatione novis temporibus, semper instabat necessitati redeundi ad spiritum Fundatorum et non introducendi modificationes circa essentialia.

5. Nonnulli reprobant mortificationes externas quas sancti divino instinctu ducti exercebant et eas tamquam nostris temporibus repugnantes reiiciunt.

6. Omnes ecclesiae in posterum aedificandae, curae paroeciali animarum incumbant et iam aedificatae hanc curam assumant.

7. Concilium Sinense anni 1924, cuius textus fuerunt approbati a Sancta Sede anno 1928, decrevit: « Institutio (catechumenatus) accommodanda est ad personas et circumstantias; brevior esse potest pro rudibus et senibus ». Huic ultimae sententiae non satis attenditur ab aliquibus missionariis. Iam anno 1650 missionario Congensi dubium proponenti circa baptismum rudibus conferendum Illustrissimus Fagnani ad hoc deputatus a Sacra Congregatione de Propaganda, sequens dedit responsum: « Quando habetur liber consensus, debent illos baptizare qui sunt valde stupidi (molto rozzi) et non possunt addiscere ea quae docentur, quia sicuti infantes et amentes qui non habent usum rationis baptizantur in fide Ecclesiae, ita isti rudes possunt baptizari qui habent intellectum impeditum stupiditate naturali (dalla rozzezza naturale) ».

8. Ecclesia voluntati divini sui Fundatoris obediens nullam admittit distinctionem inter stirpes et populos. Attamen advenit quod in aliquibus urbibus ubi variae stirpes sunt permixtae, missionarii stirpem aliquam etiam minus numerosam coeteris praeferunt, cuius linguam imponunt in catechismis et scholis non sine aliarum stirpium detrimento et offensione.

9. Ut devotius et efficacius recitetur officium divinum petitur simplificatio istius recitationis.

10. Petitur ut ordinariis concedatur facultas permittendi usum linguae vernaculae in missa, saltem pro prima parte i. e. usque ad Canonem, deinde etiam a « Pater noster » usque ad ultimum evangelium inclusive.

11. Petitur ut in Missis Solemnibus ea, quae ministri vi proprii officii cantant vel legunt omittantur a celebrante sicuti fit in officiis hebdomadae sanctae.

12. In Missis dictis dialogatis confessio et absolutio ante communionem fidelium omittatur.

13. Ieiunium eucharisticum ad duas horas reducatur.

14. Ut dogma fidei declaretur Mediatio universalis Beatae Mariae Virginis.

✠ J. Cuvelier
Episcopus titularis Circesiensis

12

Exc.mi P. D. LUDOVICI MOREL
Archiepiscopi tit. Aeniensis

Bruxelles, 5 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

En responsiones litteris 1 C/59-2541, die 3 augusti 59 acceptis, circa « animadversiones, consilia et vota » quae pastoralis mea sollicitudo mihi suggerit in ordine ad futurum Concilium.

Cum osculo purpurae Vestrae me humillimum servum dico

✠ L. Morel
Archiepiscopus tit. Aeniensis

Responsiones litteris 1 C/59-2541

1. Iterum atque iterum quaerimoniae audiuntur circa mores in Curia Romana habitas in pertractandis omne genus quaestionibus; item in dandis responsis. Exemplum sint litterae 1 C/59-2541, die 18 iunii 1959 scriptae, quarum sigillum postale Romae Città del Vaticano, die 31 iulii subsequentis tantum appositum est... circa unum mensem cum dimidio postea!

Attamen, responsiones rogantur « quam primum... si fieri potest, non ultra diem primam septembris currentis anni ». Diebus quadraginta quatuor opus est Romae ut litterae exaratae ad officium postale Città del Vaticano perveniant; sed dies viginti octo vix relinquuntur ad responsiones in rebus tanti momenti exarandis... tempore feriarum! Exemplum hoc sit inter mille et mille: simplex petitio aut dispensatio petitur; at responsum per menses et menses protrahitur, nedum totaliter omittitur!

Haec materia, quamvis fidem et mores non respiciat, posset tamen Patribus Concilii submitti ut opportuna disciplina in Curia Romana instauretur vel renovetur.

2. Experientia annorum non paucorum in missionibus edoctus, scio Missionarios sacerdotes saepe curis temporalibus distrahi ita ut vires, si supersunt, vix sufficientes sint ad curam animarum cum fructu gerendam. Hic rerum status, nostris in regionibus etiam, sat frequenter occurrit. Nonne opportunum esset quaestionem de *Diaconatu* secundum

mentem primitivae ecclesiae considerare? Hi diaconi possent « praedicare, baptizare... et ministrare mensis » (cf. *Act.* VI, 2). Mutatis mutandis, eadem quaestio pro subdiaconatu et ordinibus minoribus moveri posset. Ordines minores praesertim videntur finem ad quem spectant non attingere; satius sit dicere eos praeparare vel praeire sacerdotium. Nonne utilius adhiberi possent tamquam formae (les cadres) *Actionis Catholicae* omnis generis?

3. Episcopi non pauci et Archiepiscopi nonnulli violenter a sede sua in Sinis fuerunt distracti. Suntne digni necne honorabilis annui(seu pensionis)? Annua talia ipsis per unum alterumve annum praestita, postea ipsis omnino pernegata sunt.

In regimine civili, officiales qui aetatem congruam attigerunt, munere suo, velint nolintque, privantur, sed annuis pecuniariis congruis sustentantur. Mirari licet in Ecclesia catholica, dignitarios, etiam summi gradus, munus suum servare usque ad decrepitudinem ita ut bono communi plus videantur nocere quam prodesse; timent forsitan ne congruis emolumentis priventur, indeque victu caeterisque necessariis careant?! Fatendum est eos qui munus derelinquere compelluntur, ab Ecclesia benigne fovendos esse.

4. Cum Ecclesia magis ac magis in omnibus regionibus stabilitur, nonne congruum est officiale diversi generis, praesertim Nuntios, Delegatos, Legatos... etc. e diversis etiam regionibus eligere? Item quoad innumera officia, a maiore ad minus, in dicasteriis Curiae Romanae, ne sint quasi unice unius nationis civibus reservata.

5. Quoad variae denominationis « Dissidentes », praesertim eos qui inde a magna gallica perturbatione defecerunt et usque modo vitam religiosam sat arctam ducunt; optandum est ut viri ecclesiastici, praesertim rectores paroeciarum, consuetudinem frequentiorem cum istis habeant, eosque suavi modo ad unicum ovile alliciant. Patet enim istos frequenter in bona fide versari. Hac in re, ut in multis aliis causis, apostolatus laicus aptius dirigatur oportet.

13

Exc.mi P. D. PAULI MELETIJEW
Episcopi tit. Heracleopolitani

Prot. N. 1 C/59-2545 Bruxelles, die 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ex animo cupio Te laetari in Domino, viribus pollentem omnibusque facultatibus ingentem, cum honore plenaque felicitate adimplere opus rectoris et praesidis Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico, impositum Tibi a Sanctissimo Patre Nostro Pontifice Ioanne XXIII.

Ego, praecedente ardente oratione ad Donatorem sapientiae et rationis Dominum Nostrum Iesum Christum, invitationi mihi factae — exprimere mea vota et consilia de rebus tractandis in futuro Concilio — omni cum libertate et sinceritate declaro secundum meam opinionem quaestionem de unione omnium christianorum sub summa potestate Romani Pontificis, primum locum in his rebus tenere debere.

In nostro inquieto, periculis pleno et terribili pro animis fidelium tempore, animi et corda omnium — tam fide Christi sapientium et virtutibus excellentium, quam furentium Ecclesiae Dei inimicorum — ad futurum Concilium Oecumenicum conversi sunt, ut videant quomodo solvat situationem christifidelium divisorum in catholicos, orthodoxos, protestantes, quomodo Concilium explicabit mandatum et desiderium Domini Nostri Iesu Christi expressum in textu Evangelii Ioannis: « et fiet unum ovile, et unus pastor » (*Io.* 10, 16).

Ateistae, propagandistae sovietici omnes vires ad hoc applicabunt ut divisio adhuc profundior reddatur et inter Christifideles ubique malitiam, invidiam, inimicitiam seminabunt. Ex parte orthodoxorum manifestationes pretensionum infundatarum in quaestione summi principatus in Ecclesia Christi expectari possunt: sed argumenta alicuius momenti contra unionem christianorum et ecclesiarum sub summa potestate Romani Pontificis desunt. Veritas pro seipsa testatur et semper iustificata erit.

Tacere non possum circumstantiam, quae mea opinione maxime unionem christianorum orientalium cum Ecclesia occidentali impedit et offensionum realium atque diffidentiae erga signa caritatis catholicorum causa est. Nonnumquam homo orientalis veram caritatem atque sympathiam ex parte catholicorum, tamquam falsificationem sinceritatis,

fraudem considerat. Una ex causis huius status rei est non receptio usque ad hodiernam diem ex parte Sanctissimae Sedis Romanae sanctorum ecclesiae russicae, qui canonizati atque publice in Kalendarium sanctorum ecclesiae orientalis inscripti sunt post separationem. Ecce, ad exemplum, sanctus Seraphimus ex Sarovo, thaumaturgus, cuius reliquiae publico cultui expositae sunt (canonizatio) anno 1903 die 19 mensis iulii, ab Ecclesia orientali pro magno sancto habetur et eximia devotione atque immenso amore populi russici fruitur. Hic servus Dei et magnus thaumaturgus repraesentat pro populo russico tantam auctoritatem, ut ante eam secundum eundem populum omnia evanescunt. Gens russica ita opinatur: « Ubi Seraphim ibi semper iustitia et veritas, ibi caritas Dei, vita beata sempiternaque ». Si Concilium Oecumenicum vel Sanctissimus Pater Iohannes Papa XXIII declararet Ecclesiam occidentalem agnoscere confessorem Seraphimum ex Sarovo ut sanctum, hoc facto omnia impedimenta unionis christianorum occidentis et orientis plane destructa fuissent; omnes vituperationes, maledictiones, malevolentiae, inimicitia erga Romam praecipitatae fuissent.

Ex experientia personali dicere possum appellationem « schismaticus » homini russico orthodoxo maxime displicere eumque offendere. Eodem quasi modo terminus « re-unio » ab orthodoxis minime accipitur et sacerdos, qui hoc termino in sermonibus utitur, ad insuccessum suae activitatis condemnatus est. Verba sicut « re-unio » « schismaticus » tantum offensionem, discordiam, rixas, inimicitiam portant. Verba sicut « care frater in Christo » tantum bonos sensus animae, tantum caritatem provocant, et ubi caritas, ibi Deus. Haec dispositio (agnitio sanctorum Ecclesiae orientalis auctoritate Romana) posset bona sentimenta inter christianos portare et reficere; mutua confidentia, de qua nunc tantum loquitur, ut firmum fundamentum caritatis fraternae appareret. Talis mutatio optanda in relationibus inter christianos omni discordiae, certamini supervacaneo et nonnumquam maximum detrimentum saluti animarum causanti finem poneret.

Semper orando pro unione omnium christianorum, totam spem, totam fidem in Domino Deo Nostro pono.

Custodiat Dominus Eminentiam Tuam Reverendissimam!

Profiteor Eminentiae Tuae Reverendissimae

add.mus in Xto Dno Ntro

✠ PAULUS
Episcopus Heracleopolitanus

14

Exc.mi P. D. IOSEPHI GUFFENS

Episcopi tit. Germanicianensis

Prot. N. 1 C/59-2595 Bruxelles, 22 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteras Eminentissimae Vestrae Reverentiae, die 18 iunii ex Urbe missas, die 3 augusti Bruxellis acceperam. Cum debita observantia infra respondebitur, attentis praecipue Africae Centralis necessitatibus.

Ad hunc hodiernum quoque diem videtur missionariorum zelus augendum citissime neophytarum numerum potius quam eorum vitam christianam solidiorem profundioremque efficiendam intendere.

Ut enim vere christiana atque solida evadat talis vita, congruus optatur sacerdotum localium, necnon fratrum ac sororum numerus. Qui omnes in spiritali disciplina ac scientiis sacris diligentissime instituantur. Apti autem ad profanas scientias addiscendas, dent operam ut legalibus titulis seu diplomatibus muniantur. Iidem quoque sine mora initientur ad munus gubernandi, docendi, actionem catholicam ac socialem promovendi, res denique temporales accurate administrandi.

Quapropter ex illis mittantur alii ad metropolitanas academias, alii in Africa ipsa doceantur, sed maxime congruet ut a Reverendissimis Ordinariis atque Religiosis Superioribus academiae instituantur communes, sicut fit pro maioribus seminariis.

Afrorum iuvenum ac puellarum ingressus, sive in seminaria, sive in noviciatus, non modo non crescet, minuetur vero, si non exaudiantur supra dicta placita; quibus omnium mentes in dies magis imbuuntur. Enixe insuper commendetur oportet ut vera caritate debitaque reverentia informentur cotidianae relationes missionariorum et localium, inter quos adnumerantur Superiores indigenae quibus debetur sincera oboedientia ex parte inferiorum localium et extraneorum.

Consideretur quoque licet quaestio de fusione congregationum localium fratrum ac sororum, antequam res difficilis componi possit.

Ad confirmandam, ut supradictum est, vitam christianam in praedictis ditionibus, ad augendum etiam sacerdotum et religiosorum numerum, sequentia animadvertere velint:

1. Carent saepe extranei missionarii debita reverentia, tum alumnis in missionum scholis, tum parentibus, operariis, aegrotis in nosocomiis, quinimo indigenis laicis in potestate constitutis.

2. Promotionem autem Afrorum populorum ad politicam independentiam, ut dicunt, extraneis missionariis potius displicere apparet, cum enim de hac agitur quaestione, multum insistunt in publicandis indigenarum defectibus, erroribus et imperitiis.

3. Pauciores parantur catholici laici qui praeesse rebus civilibus possint, vel adlaborare queant rebus publicis, sive in gubernio, in magistratibus, in negotiis, industriis vel academiis.

4. Forsan plus quam par erat, tardavit in terris missionum collegiorum, scholarum superioris gradus ac universitatum erectio. Catholicae autem Universitates in metropoliis legitime quidem in accipiendis promovendisque alumnis ex longinquis missionum regionibus ortis suas servent regulas; an satis ob oculos habent, pericula quam gravissima quibus exponi poterit fides catholica et ipsa Ecclesia, si desint in his regionibus laici laureati evangelica doctrina imbuti, praesertim cum acatholicae universitates illos multipliciter alliciant et ad hunc finem suas accomodent leges? Unde valde optatur adaptatio quaedam, temporaria utique, legum singularum catholicarum universitatum beneficio alumnorum de quibus supra.

Intuitu semper illius vitae christianae confirmandae; valde commendari potest institutio unius vel plurium Commissionum ad quas pertineat adaptatio sacri cultus, necnon et musicae sacrae, et si fieri potest, popularis catechismi. Praesidentibus viris ecclesiasticis scientia et prudentia commendatis, indigenae apti, tum sacerdotes quam religiosi et laici, mature perficere valebunt opus maximi momenti quoad apostolatum Christi et Ecclesiae in Africa Centrali per saecula saeculorum.

Et Deus...

✠ J. Guffens
Episcopus tit. Germanicianensis

15

Exc.mi P. D. LEONIS IOSEPHI SUENENS
Episcopi tit. Isindensis, Auxiliaris Mechliniensis

Eminence,

En réponse à la très estimée lettre que votre Eminence a daigné m'adresser demandant de lui faire part des suggestions éventuelles en vue du prochain Concile Oecuménique, j'ai l'honneur de faire parvenir à Votre Eminence la note ci-jointe, en m'excusant vivement du retard involontaire avec lequel le travail demandé a pu être achevé.

Priant Dieu de bénir Votre Eminence dans ses lourdes tâches au service de l'Eglise et très spécialement durant ces mois de préparation du Concile, j'ai l'honneur de présenter à Votre Eminence mes très respectueux hommages et de me dire

10-11-1959.

de Votre Eminence
le très déférent serviteur

✠ L. J. SUENENS
Evêque tit. Isinda, Auxiliaire de Malines

De munere Episcopi

In votis est munus episcopi, ut iam in schemate Concilii Vaticani definiebatur, magis elucescere: quae reformatio apparet tamquam maximi momenti ad reconciliandos Orthodoxos qui Ecclesiam Catholicam minimi facere munus episcopale contendunt.

Munus hoc adamussim describere oportet speciatim quod attinet tum curam animarum tum exemptionem religiosorum. Quae exemptio spectat vitam religiosam « ad intra » nec potest religiosos subtrahere iurisdictioni Episcopi in omnibus quae sunt « ad extra ».

E contra consideranda sunt omnia quae curam animarum spectant ut, salva vita religiosa propria, religiosi locum suum redintegrent et partes assumant in cura animarum ex integro ordinanda.

Quae vi facultatum quinquennalium Episcopo tribuitur potestas, opportune in corpore *Iuris Canonici* inseratur tamquam potestas eius ordinaria.

In nonnullis casibus recurrendum est ad Sanctam Sedem; qui recursus videntur modo arbitrario potestatem restringere Episcopi et favent labori administrativo intricato.

Elenchus a Commissione canonistarum opportune conficiatur.

De conferendo sacramento confirmationis

In votis est ut sacramentum Confirmationis in pluribus casibus a quibusdam sacerdotibus infra Episcopum conferri valeat, uti sunt archipresbyteri et etiam parochi.

Notabilis pars dierum in decursu anni ab Episcopo nunc tribuenda est pueris confirmandis non sine praeiudicio bonae administrationis totius dioeceseos; de cetero parochi sacramentum confirmationis in ipsa vita paroeciali revalorisare exoptant, quod vix fieri potest in amplis

dioecesibus ubi Episcopus compluribus pueris ex variis paroeciis convenientibus sacramentum conferre debet.

Eo modo collatio confirmationis melius ordinari possit necnon in omnibus paroeciis eodem die vel festo liturgico magis convenienti ut v. g. in die Pentecostes.

De Breviario a Sacerdotibus recitando

Instituatur commissio de Breviario reformando.

Quot sacerdotes sine ulla affectione recitationem Breviarii complent!

Crescit in dies fastidium cum cibum ad pietatem et zelum animarum favendum inibi non inveniant.

Sacerdotibus concedatur insuper facultas recitandi Breviarium in lingua vernacula quando recitatio habetur privata.

De Seminariis

Institutiones in seminariis theologicis reexaminentur ut exigentiis apostolatus hodierni melius conformentur.

Sacerdotes fere omnes dolent formationem in Seminario receptam fuisse nimis abstractam et mere theoreticam, sine respectu ad vitam apostolicam futuram. Revera in Seminario formantur clerici ad vitam spiritualem, formantur ad laborem intellectualem, sed deest omnino vera efformatio sensus apostolici in praxi.

Commissio pontificia instituatur ad methodum ac media per ipsos annos formationis in Seminario in hunc finem adhibenda; optimos fructus exinde pro Ecclesia sperare fas est.

Quae disciplina sub ductu ipsorum professorum ac moderatorum Seminarii fiat, adiuvante clero et ministerio pastorali, nec tantum cura pastoralis apud pueros sed praesertim attendatur apostolatus apud ipsos adultos exercendus.

Brevis instituatur inquisitio apud clerum et statim appareret huiusmodi defectus in seminariis: suspirant clerici ad dignoscendum methodum et media quibus coaetanei nostri evangelizandi sunt, methodum et media quibus organisationes efformandi sunt laici qui, sub ductu cleri, missionem apostolicam sibi commissam, revera adimpleant. Clerici ut isti evangelizentur, quomodo laicos ad officium apostolicum implendum invitent, quomodo opera erigant, quomodo in paroeciis coordinatio operum concipienda sit etc.

De vestitu clericali

Vestimenta liturgica sacerdotalia vel pontificalia clare distinguantur oportet a vestitu eorum civili. Vestimenta liturgica reverentiae in cultu divino maxime favent; ex alia parte in vita quotidiana nostris temporibus vestitus clericalis et habitus exterior sit simplex et sobrius: a regibus et viris in potestate constitutis praebetur exemplum qui vestitum omnino simplicem induunt et apparatum servant pro coeremoniis publicis.

Vestitum « Clergyman » dictum universe introducatur. Usus tunicae talaris extra ecclesiam et locum cultus abrogetur. Apparet enim tamquam anachronismus et saepe detrimentum affert vitae apostolicae et conversationi in certis regionibus vel classibus societatis.

Nonnulli arguunt ex periculo pro castitate sacerdotali et inducunt togam talarem constituere eius tutelam. Argumentum nostris diebus penitus enervatur cum per usum rhedi automobilis vel aliis modis facilia sunt itinera. Maioris pretii quam vestis exterior est efformatio spiritus sacerdotalis. De cetero sacerdotes hodie dum utentes veste « clergyman » nullo modo reprehensibiles sunt sub hoc respectu. Per eorum vitae rationem enervatur argumentum supra allatum. Et ipsa « miratio populi » decrescit eo ipso quod vita mundi fit internationalis et modus vivendi tendit ad uniformitatem.

De diaconatus ordine

In oratione ad Secundum Congressum Apostolatus laicorum habita, S.S. Pius Pp. XII p. m. de diaconatu verbum iam movebat tamquam de quaestione tunc temporis nondum matura sed nihilominus omni attentione digna. Maximi momenti apparet, in praesenti Concilio oecumenico, hanc elucidare quaestionem diaconatum scilicet promovendo ad novi generis statum in Ecclesia, a sacerdotio adquirendo distinctum et sepositum, quem viri etiam matrimonio iuncti adquirere valeant. Etenim traditioni ecclesiasticae semper fuisse conforme videtur, varios infra presbyteratum distingui gradus quibus varia officia et munera adnectuntur ab electo ad normam decretorum Concilii Tridentini revera obeunda antequam accessus ei ad superiorem gradum pateat.

Eadem Ecclesiae traditio semper intimae cooperationi laicos inter et sacerdotes favere solebat: quae per institutionem diaconatus huius generis supremam acciperet consecrationem.

Praeterea a Domino mandatum accepit Ecclesia praedicandi Evan-

gelium omnibus gentibus et baptizandi omnes nationes. Talis apostolatus absque concursu omnium fidelium obtineri nequit, inter quos primum locum obtineant illi laici qui vitam quasi integram missioni evangelicae devovent.

In his omnibus mandatum Domini suprema lex esto.

Huiusmodi adiutorium pro ministerio sacerdotali praeprimis necessarium videtur tum in regionibus ubi penuria habetur sacerdotum ob immensum incrementum demographicum, tum in terris missionum ob crescentem numerum catechumenorum. Quod hic peculiari modo patet ubique tamen urget ob rationem fundamentalem scilicet missionis evangelicae a circumstantiis variis pro variis regionibus prorsus independentem.

Institutio diaconorum tum in re liturgica, tum in administratione sacramentorum et communionis eucharisticae, tum in apostolatu Ecclesiae nostris temporibus nata est habere influxum quam maximum.

Nihil de cetero praetermitti potest quo opus redemptionis plenius adimpleri valeat.

Munus praedicationis Evangelii, instructionis catecheticae, collationis baptismi et communionis eucharisticae, necnon officia quaedam liturgica et varia apostolatus vel caritatis opera animanda et dirigenda diaconi in certis et determinatis conditionibus assumere et adimplere possent.

Ad dignitatem diaconi eligantur laici pii et probati, in servitio Ecclesiae et in labore apostolico eminentes. Quae dignitas appareret tamquam corona et culmen vitae quae Deo et Ecclesiae consecrata apparet.

Nihil de cetero ex hoc videtur innovandum quod spectat clericos ad sacerdotium praeparandos. Attamen, ut experientia docet, opportunum videtur protrahere interstitium inter diaconatus et presbyteratus ordinem per aliquot annos ea lege ut ministerium diaconatus usque ad completum trigesimum aetatis annum exerceatur, et tunc tantum conferatur sacerdotium cum omnibus iuribus et obligationibus, maturiore scilicet aetate, cum iam superiores ecclesiastici iudicium magis perpensum circa indolem et aptitudinem candidati possideant.

De Religiosis

Quod spectat congregationes religiosas tam virorum quam mulierum finem apostolicum prosequentes, commissio instituatur pontificia, ut ad praxim ducantur quae a Pio XII, m. m., proponebantur ad accommodandam vitam religiosam exigentiis hodiernis.

Hac in re praeluceat semper idea ista fundamentalis: congregationes religiosae generis activi, apostolatui inservire debent et bonum animarum semper primum locum obtineat supra regulas vitae religiosae. Quamvis venerabiles, usus et constitutiones exigentiis hodiernis aptentur oportet.

Sequentia aptanda videntur:

1) in domo novitiatus et scholasticatus intendatur progressiva et practica praeparatio religiosorum ad munus eorum apostolicum scilicet efformandi et animandi laicos adultos ad apostolatum;

2) consuetudines, vestitus, usus locis temporibusque aptentur ut actioni apostolicae inserviant;

3) ex regulis et constitutionibus congregationum ea omnia quibus religiosae mulieres in statu quasi puerili coarctantur et a mundo reali videntur segregatae, abrogentur ne apostolatui detrimentum afferant aut iuvenes arceantur a vita regulari.

Haec enim renovando spiritum iuvenes allicere debet ad maius Ecclesiae adiuvamen.

De Actione Catholica reformanda

In allocutione in secundo coetu apostolatus laicorum a Pio XII p. m. habita, quaedam continentur suggestiones de reformanda ratione Actionis Catholicae tum quoad usum huius nominis, tum quoad ipsam structuram.

Quae suggestio videtur retinenda ut definitio vere catholica « Actionis Catholicae » in Universa Ecclesia admittatur.

Omnes rationes quae a S. Patre afferuntur ad unum prorsus caput reduci possunt: non oportet ut species quaedam nomine *generis* insigniatur. Secundum S. Pontificem ergo — et secundum longe maiorem partem peritorum — non una tantummodo forma Actionis Catholicae « officialis », sed plures formae Actionis Catholicae exsistunt, quae — ut Pius Papa XII saepe saepius declaravit — omnes simul ac eodem ordine pertinent ad *Apostolatum Laicorum officialem* (contradistinctum Apostolatui Laicorum libero). Omnes hae formae sunt diversae species unius generis, sc. Actionis Catholicae vel Apostolatus Laicorum officialis. Admisso hoc principio, liquet has diversas species diversis specificis nominibus esse dignoscendas ac nullam earum nomen generis sibi appropriare oportere, ne periculum confusionis aliarumque difficultatum inde exoriatur.

Ut exemplo res illustretur: exsistunt in Ecclesia plures formae Congregationis Religiosae (genus), quarum singulae suum nomen specifi-

cum habent (species). Nulla Congregatio Religiosa simpliciter vocatur « Congregatio Religiosa », quamquam pleno iure est Congregatio Religiosa.

Ut ergo sensus generalis Actioni Catholicae restituatur, primo et per se admittendum est:

1) exsistere in Ecclesia formas Actionis Catholicae diversas, tanquam diversas species unius generis;

2) nullam harum formarum aliqua principalitate prae ceteris frui.

Haec reformatio est — ut S. Pater in Allocutione dicit — corollarium restitutionis sensus generalis nominis.

Bene advertendum est praecipuum huius reformationis finem esse: obtinere maiorem unionem et cooperationem omnium associationum Apostolatus Laicorum in mutua caritate et benevolentia. Itaque proponitur, ut omnes Actionis Catholicae formae in Foederatione associationum autonomarum uniantur, et haec sola Foederatio nominetur « Actio Catholica ».

Haec « reformatio structurae » in multis nationibus nullam novitatem affert. Forma enim foederativa Actionis Catholicae iam in pluribus nationibus exsistit, e. g. in Insulis Philippinis et quodammodo in Germania, Statibus Unitis, Neerlandia, India, Indonesia, etc.

De matrimonio

Nupturientibus omnibus cuiusve generis imponatur a proximo Concilio solida praeparatio praevia ad sacramentum matrimonii recipiendum. Nonne requiritur praeparatio per sex annos protracta in ordine ad sacerdotium? Nonne praemittuntur instructiones catecheticae per duos annos antequam pueri recipiantur ad communionem solemnem aut Professionem fidei? Quid autem in ordine ad matrimonium? Nihil...

Ecclesia sponsos docet, iure quidem merito, matrimonium esse indissolubile, divortium numquam posse admitti, et cetera huiusmodi. Sed ex hoc praecise magis apparet discrepantia inter gravissima onera matrimonii ex una parte et defectum praeparationis ex altera parte. Normae edicantur pro Ecclesia universali ad instar eorum quae iam in quibusdam dioecesibus particularibus hac in re ordinantur.

Insimul Ritus universalis pro celebratione matrimonii instituatur in quo consensus matrimonialis a sponsis tradendus exprimatur verbis perspicuis et solemnibus tanti sacramenti minus indignis. Hodiernus textus videtur pauperrimus dum comparatur v. g. formulae pulcherrimae libri « Prayer Book » ecclesiae anglicanae.

Diffundatur opportuno modo doctrina catholica circa matrimonium;

moderatores religiosi utriusque sexus cum maiori diligentia collaborent in praeparandis iuvenibus adultis ad matrimonium.

Dolendum est laborem educativum religiosorum exclusivo fere modo attendere ad pueros et iuniores.

De servando ieiunio eucharistico

Disciplina de ieiunio eucharistico in praxi nimis intricata videtur in quibusdam regionibus et relata ad quasdam classes sociales.

Norma sit simplex et facile observanda, uti verbi gratia: « Abstineant fideles ab omni cibo et potu per unam horam antequam ad sacram synaxim accedant ».

Sacerdoti missam celebraturo applicetur eadem norma ac fidelibus et hora computetur non ab initio missae sed a momento Sacrae Communionis.

Quae norma omnino practica fit pro episcopo qui missam celebrat pro ordinandis clericis cum perlongae coeremoniae obveniunt ante offertorium.

De Curia Romana

Optatur Curiam Romanam constitui modo vere internationali; item in gremio vel saltem prope singulas Congregationes Romanas speciales erigi commissiones studio eorum omnium quae apostolatui favent addictas.

De re liturgica

Optantur quaedam immutationes in re liturgica ut coeremoniae in Libro Pontificali et speciatim in Missa Pontificali simpliciores evadant. Obsoletae redundantiae et duplicata, quae in hoc Libro saepius occurrunt, arceantur ne nimis protrahantur functiones liturgicae et insimul earum structura sensusque essentiales intellectui fidelium melius pateant.

Recogitentur symbola nonnulla in re liturgica ut melius aptentur menti hodiernae et vitentur quae obsonae sunt aut risum movent (v. g. incessans depositio et reassumptio mitrae pontificalis in decursu alicuius coeremoniae).

De prohibitione librorum

Quae spectant prohibitionem librorum in iure canonico hodierno penitus novo examini subiiciantur. Elenchus librorum prohibitorum prorsus renovetur et perficiatur.

Nova instituatur procedura in prohibitione librorum relinquendo

scilicet auctori libri, sicut reo stanti pro tribunali, facultatem instituendi defensionem suam, dignoscendi capita accusationis, elucidandi argumentum libri.

Insuper modo positivo favenda essent studia quarumdam quaestionum doctrinalium maioris momenti, per erectionem organismi officialis qui examen harum quaestionum arripiat non sine ope Sacrarum Facultatum Theologiae utendo consultationum omnis generis.

Sic modo positivo perficeretur hodierna censura librorum quae exclusive repressiva apparet.

In his omnibus dimensio internationalis esset servanda.

16

EXC.MI P. D. XAVERII GEERAERTS

Episcopi tit. Laganitani

Resp. ad N. 1 C/59-2618 Anvers, 21-8-59

Eminentissime Domine,

Quas Eminentia Tua, die 18 iunii 1959 mihi mittere litteras iussit spectantes ad Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico, optime et cum grato animo hisce diebus recepi.

Humiliter in re tam gravi opinionem et vota mea, quae rogare dignatus es, omni cum libertate et sinceritate Pontificiae Commissioni communicare audeo, quamvis conscius sim infimi valoris consilii mei.

Breviter et per capita diversas quaestiones indicabo quas in futuro Concilio tractandas specialiter desidero (v. folia adnexa).

Cum summa reverentia omnia bona Tuae Eminentiae a Domino adprecor.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimus
✠ XAV. GEERAERTS
Ep. tit. Laganitanus

Suggestiones et vota pro futuro Concilio Oecumenico

1. Ut continuetur et terminetur Concilium Vaticanum iam olim praeparatum — et ut principia reformationis in capite et in membris in Concilio Tridentino elaborata pressius urgeantur secundum modum no-

stris temporibus accommodatum — et nempe ut officium episcopale magis omnibus hominibus appareat ut pastorale et spirituale ad mentem Sancti Caroli Borromaei.

2. Ut Materialismus et Marxismus iterum sub omnibus suis formis condemnetur.

3. Ut condemnetur Totalitarismus seu Absolutismus necnon omnis doctrina gubernii quae legitimam libertatem humanam violat et ut pressius definiatur spiritus tolerantiae qui, in societate civili, praesidere debet libertati religionis et opinionis.

4. Ut detur et accurate definiatur doctrina circa inspirationem Scripturae Sacrae et interpretationem ipsius, ita ut evidens sit ea quae cum certitudine ex scientiis profanis cognoscimus contradicere non posse Scripturae Sacrae.

5. Ut in sua forma visibili, gubernium Ecclesiae appareat vere catholicum et internationale, eodem modo quo character internationalis plane elucet in variis instantiis Organisationis Nationum Unitarum (O.N.U.) et ut administratio ecclesiae temporibus hodiernis magis accommodetur.

6. Ut comprehensio mutua et caritas in Christo erga fratres separatos magis et expresse commendetur et omnia media et concessiones quas, salva integritate doctrinae catholicae, dare licebit ut unio ecclesiarum reddatur possibilis examinentur et clare proponantur.

7. Ut media quaerantur ad augendum vocationes sacerdotales et religiosas et ut ministerium sacerdotale magis appareat in sua spirituali puritate secundum normam evangelicam. Quodnam auxilium sacerdotibus in administratione paroeciarum a laicis praestare possit? Quaenam pars mulieribus, quae nostra aetate in re civili ubique optimum laborem praestant, tribui possit in re ecclesiastica?

8. Ut formatio clericorum in seminariis maioribus plane adaptetur eorum futuro muneri pastorali, ita ut theologia seminaristica non edoceatur ut mere compendium elucubrationum scientificarum quae in facultatibus theologicis a doctis pro doctis fiunt sed ut oeconomia salutis quae Kerygmatis ope hominibus omnibus proclamari debet per ministerium sacerdotale.

9. Ut catechistae in terris missionum promoveri possint ad diaconatum, nonobstante statu matrimoniali, ita ut melius provideatur bono animarum, bono communitatum christianorum et penuriae sacerdotum.

10. Ut in reformatione *Codicis Iuris Canonici* completa organisatio apostolatus laicorum exponatur et dentur normae directivae pro institutis laicalibus hodie tam numerosis et plures vocationes ad se trahentibus.

11. Ut quaerantur media et innovationes cuiusque generis quibus fideles ad praxim religionis reduci possint, nempe ut iisdem actuosa participatio ad sacram Liturgiam facilius evadat per usum linguae vernaculae in administratione Sacramentorum et Sacramentalium pariterque in cantibus Missae qui ad populum spectant, insuper ut omnes lectiones quae in sacra Liturgia occurrunt, directe et immediate in lingua vernacula proclamari possint, deinde ut integra prior pars Missae quae Missa Catechumenorum nuncupatur unice lingua vernacula celebretur in Missis cum populi assistentia, etc.

12. Ut causa gravissima defectionis multorum a receptione Sacramentorum et vita christiana, scilicet quaestiones circa vitam matrimonialem iterum caute examinentur et solutio quaeratur huius difficultatis. Examinentur etiam problemata medicalia quae cum doctrina catholica nexum habent et multas conscientias perturbant.

13. Ut caritas catholica non solum inter individuos sed etiam inter dioeceses, paroecias et congregationes religiosas melius exerceatur et determinetur aliqua norma mutuae assistentiae ita ut non maneat talis differentia inter « omnia possidentes » et « nihil habentes » — v. g. In reformatione *Iuris Canonici* valedicatur notioni « beneficii ut fundamentum officii ecclesiastici et praesertim paroecialis ». Determinetur etiam ut episcopus meliori modo repartire possit inter diversas paroecias et diversa opera reditus uniuscuiusque personae moralis ecclesiasticae.

14. Ut conferentiae Ordinariorum in variis regionibus et nationibus magis efficaces reddantur, ita ut omnia curae pastoralis problemata profundius investigentur, maior coordinatio nascatur inter episcopos et solutiones pastorales minus diversificentur in variis locis eiusdem regionis vel nationis. Ut iisdem conferentiis Episcoporum intersint etiam Superiores maiores religiosorum, ita ut maior coordinatio existat utriusque cleri, cum ambo clerus religiosus scilicet ac saecularis, sit plane addictus, modo tamen diverso, ad curam pastoralem in dioecesibus. Attamen vota deliberativa reserventur Ordinariis locorum.

15. Ut folia periodica (trimestralia) episcopis et suis auxiliaribus immediatis destinata Romae a S. Sede publicentur et omnibus Episcopis universae Ecclesiae expediantur et ut in his foliis omnia exponantur quae circa episcopale officium pro tempore dicenda sunt.

16. Ut nova editio Breviarii, Missalis, Ritualis et Pontificalis Romani castigata et hodiernis temporibus plane adaptata *quamprimum* publicetur:

a) in Breviario: adaptatio ad recitationem privatam (non in choro); adaptatio lectionum; absoluta prioritas officii Dominicae; simplificatio ordinis festorum; reductio officiorum Sanctorum; editio breviarii

bilinguis et facultas clericis facta utendi lingua vernacula ter vel quater in hebdomada, etc.:

b) in Missali: lingua vernacula pro Missa Catechumenorum; suppressio ultimi evangelii... et alia quae supra dicta fuerunt;

c) in Rituali: adaptatio ad hodierna tempora; benedictiones in lingua vernacula; suppressio reservationis multarum benedictionum; adaptatio ordinis commendationis animae; pro baptismo, confirmatione, S. Unctione et Matrimonio coeremonia adaptata in lingua vernacula; professio fidei fiat cum recipitur Sacramentum Confirmationis; confirmatio in aliquibus circumstantiis facilius a delegatis ab episcopo sacerdotibus administrari concedatur, etc.;

d) in Pontificali Romano: ea omnia quae supra dicuntur et ad Pontificale referuntur: adaptatio hodiernis temporibus, simplificatio, lingua vernacula in certis partibus etc.

17. Ut habitus publicus clericorum, religiosorum et religiosarum hodiernis temporibus plane adaptetur, simplificetur et unificetur (« clergyman » pro viris, vestibus ad modum « infirmière » pro mulieribus). Intra domum, in ecclesia et in exercitatione functionis ecclesiasticae servent praescriptiones liturgicas et canonicas vel regulam.

18. Ut unificetur pro tota ecclesia lex ieiunii et abstinentiae, numerus festorum sub praecepto, ieiunium eucharisticum (2 horae ante communionem) et ut genuina notio quietis dominicae redintegretur.

19. Ut Delegatus Apostolicus in regionibus S. C. de Propaganda Fide subiectis non se immisceat (nisi in casibus vere extraordinariis et ex mandato Summi Pontificis) quaestionibus spectantibus ad curam pastoralem episcoporum: iis enim satis providetur per curiam episcopalem et per conferentiam episcoporum. Munus Delegati Apostolici in regionibus S. C. de Prop. Fide subiectis theoretice et practice idem sit ac munus Nuntii vel Delegati Apostolici in regionibus S. C. Consistoriali subiectis.

20. Ut novus *Codex Iuris Canonici* aliquam decentralisationem dicasteriorum Romanorum provideat, aliqua dicasteria regionalia in mundo condendo pro causis ordinariis.

21. Ut in iure *communi* Ecclesiae ordo catechumenorum plane recognoscatur pro adultis ad baptismum competentibus, et ut catechumenatus definiatur non solum ut tempus aptum ad doctrinam christianam addiscendam et ad vitam moralem probandam sed etiam ut tempus « initiationis christianae » ope rituum et sacramentalium.

22. Ut Sanctum Officium nullum condemnet auctorem catholicum nisi audito illo.

23. Ut finito Concilio iterum publicetur opusculum novis tempori-

bus adaptatum, totam doctrinam et disciplinam Catholicam succincte et simpliciter exponens, sicut fecit suo tempore Catechismus Concilii Tridentini.

Antverpiae, 21 augusti 1959.

✠ SAV. GEERAERTS
Episcopus tit. Laganitanus

17

EXC.MI P. D. GEORGII DE JONGHE D'ARDOYE
Episcopi tit. Misthiensis

Bruxellis, die 15 mensis augusti anni 1959

Eminentissime Domine,

Litteras diei 18 mensis iunii anni 1959, Prot. 1 C/59-2237 gratissime accepi ac reverenter perlegi. Desiderio a Commissione Antepraeparatoria pro futuro Concilio Oecumenico expresso respondeo uti sequitur:

1. Ut Clerici etiam religiosi extra Ecclesiam vel Claustrum habitum deferant, qui vulgo « Clergyman » appellatur, semper utique adhibito « collare romano » (can. 136). Ratio: nostris quidem temporibus toga longa non videtur conveniens sacerdotibus seu clericis itinerantibus ac magis amovere quam attrahere populum ad clericos aestimatur.

2. Ut episcopi etiam titulares confessiones audire possint toto orbe terrarum, sicut et Cardinales (can. 239). Ratio: quando episcopi sunt in itinere non possunt semper iurisdictionem petere et eorum recusatio admirationem gignere fidelibus postulantibus saepe potest.

3. Ut episcopi necnon superiores maiores, provecti aetate, suo officio renuntient (mise à la retraite d'office). Sed in omnibus dioecesibus pensio conveniens pro episcopis saecularibus praevideatur, sicuti viget ab anno 1938 pro Legatis Summi Pontificis. Multi enim non renuntiant quia necessaria ad vitam sustinendam non habent.

4. Ut Officiales Curiae Romanae necnon Legati Summi Pontificis eligantur ex clericis diversarum nationum, ut etiam non catholicis magis appareat universalitas Ecclesiae, sicut ceterum iam fieri coeptum est Pio XI et Pio XII regnantibus.

Ratio: multi, praesertim inter Legatos exterarum nationum, modo speciali tempore belli, mecum de hac re locuti sunt. Hoc multum etiam

iuvabit ad attrahendos ad veram Christi Ecclesiam fratres nostros separatos.

5. Ut recitatio Divini Officii et privata Missae celebratio ad maiorem simplicitatem reducantur, uti iam inceptum fuit. Ut lingua vernacula tam pro privata Divini Officii recitatione quam pro privata Missae celebratione, sicut viget apud Orientales, adhiberi possit.

Ratio: usus linguae vernaculae fratres separatos magis attrahere et pietatem sacerdotum, eorum praesertim quorum lingua ex latina non derivatur, magis fovere videtur.

6. Calendarium uniuscuiusque dioeceseos et familae religiosae quam maxime simplificetur, ad modum ipsius Calendarii Ecclesiae Universalis. Solemnitas Paschae dominicam fixam habeat, ex. gr. medio mense aprili.

7. Ut Legati Summi Pontificis semper caractere episcopali ornentur: hoc mihi necessarium videtur ubique terrarum, sed praesertim in regionibus sub S. Congregatione pro Ecclesia Orientali constitutis.

Ratio: Patriarchae Orientales aegre admittunt canonem 269 etiamsi Legati ornati sunt charactere episcopali.

8. Cum auctoritas civilis in multis regionibus tendentiam manifestet de die in diem firmius monopolium scholasticum instaurandi, providendum est omnibus viribus ut Ecclesia per sacerdotes aut laicos vere peritos non tantum in scientiis ecclesiasticis sed etiam in profanis in publicas scholas penetrare nitatur.

Quapropter animarum pastores ad munus in his scholis scientiam religiosam docendi optimos quosque eligant, ita ut tale munus non ad sustentationem cleri pauperioris sed ad iuvenum christianam educationem concessum revera appareat.

9. In locis Missionum Ordinarii ad Congregationes Religiosas pertinentes considerandi sunt ut unice subiecti auctoritati Sacrarum Congregationum Romanarum, ad normam iuris, quin Superiores Provinciales aut simpliciter locales in gubernio ecclesiastico sese immisceant. De facto enim accidit in multis locis ut « Ordinarius regnet sed Superior religiosus revera gubernet ».

Haec humiliter proponens Commissioni supra dictae, Eminentiae Tuae qua par est reverentia me profiteor

devotissimum ac addictissimum servum in Christo

✠ Georgius de Jonghe d'Ardoye
Archiepiscopus Misthiensis

18

EXC.MI P. D. HECTORIS CATRY

Episcopi tit. Semtensis

1 C/59-2400 Iseghemii, die 14 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Post maturam deliberationem, accepto quoque consilio virorum ecclesiasticorum peritorum, en quaedam vota quae Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico suggerere velimus:

1. Ritus celebrationis Missae necnon administrationis Sacramentorum uniformis sit in Missionibus.

2. Caeremoniae tum in collatione Ordinum minorum ac maiorum, tum in consecratione episcopali, tum in consecratione ecclesiae simplificentur et conditionibus hodiernis adaptentur.

3. Normae uniformes dentur pro tota Ecclesia quoad ieiunium et abstinentiam.

4. Desiderantur directivae pro praedicatione relate ad sortem infantium, qui absque baptismate moriuntur.

5. Desiderantur quoque directivae concretae de onanismo tractando tum in confessionali tum extra confessionale.

6. Cum sacerdotis sit praedicare, praeesse et baptizare, perutile foret annum theologiae pastoralis, uti a Constitutione *Sedes Sapientiae* pro religiosis urgetur, etiam ad clerum saecularem extendere.

7. Opportunitatis causa melius nobis videtur quaestionem de Mediatione B.M.V. non tractare in Concilio Oecumenico, ne maior scissio fiat inter Ecclesiam Catholicam et ecclesias dissidentes.

Precamur interim Spiritum Sanctum ut Ecclesiam secure dirigat in animarum bonum.

Eminentiae Suae fausta quaeque a Domino adprecor,

Eminentiae Suae Reverendissimae
addictissimus

✠ H. CATRY
Episcopus tit. Semtensis

19

EXC.MI P. D. FRIDERICI M. BLESSING
Episcopi tit. Thoitani

Achel, die 22 octobris 1959

Eminentissime Princeps,

Infirmitatis causa infrascriptus impediebatur, quominus prius votum proponeret. Ut Eminentia Vestra, quaeso, me excusatum habeas.

Eminentiae Vestrae humillimus servus
✠ F. M. BLESSING, O.S.C.

Votum i.o.a. Concilium Oecumenicum

In missione Congolensi Belgica, Deo favente, plures iam indigeni sacerdotes saeculares ministerio addicti inveniuntur, educati in seminario Vicariatus proprio vel communi plurium vicariatuum. Qui tamen quandoque propter certas causas difficulter in propria regione opera praestare possunt, unde utilitas oritur eos transferendi in alios Vicariatus. Quo melius hic finis assequi possit, optandum videtur stimulare unionem seu familiaritatem quandam inter illos sacerdotes.

Item quod ad congregationes religiosarum indigenarum, quippe quae ob exiguitatem personam aptam ad diversa onera subeunda facile invenire nequeant, optatur ut inter diversas illas congregationes quaedam cognatio prosequatur. Quae cognatio tamen inter congregationes fratrum laicorum, utpote vix nascentes, nondum necessaria videtur.

Tandem vita religiosa ex animo promoveatur, ita ut monasteria fiant tam pro clero quam pro populo foci christianae vitae.

✠ F. M. BLESSING, O.S.C.

20

Exc.mi P. D. ROBERTI C. LAGAE
Episcopi tit. Triccaei

Het Zoute, 17 augusti 1959

Eminentisisme Domine,

Gratias ago pro litteris in quibus Eminentia Tua rogat ut animadversiones, consilia et Vota communicem quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt.

Eminentia, precor, velit me excusatum habere, nam non habeo consilia aut vota quae utiliter proponere possim.

Cum omni reverentia Eminentiae Tuae et maxima devotione Sanctae Sedi Apostolicae.

✠ R. C. Lagae, O.P.
Episcopus tit. Triccaeus

DANIA

1

Exc.mi P. D. IOANNIS T. SUHR

Episcopi Hafniae (Köbenhavn, Copenhagen)

Responsum Episcopi Hafniensis ad Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam pro concilio Oecumenico circa eas res, quae in futuro Concilio utiliter tractari poterunt.

I. De essentia Ecclesiae, ut suppleatur doctrina a Conc. Vaticano proposita.

De munere episcopali.

Lutherani Scandinaviam inhabitantes notionem Ecclesiae definire se vix posse concedunt. Quare non pauci cum admiratione respiciunt in Ecclesiam catholicam. Sed timent in Ecclesia catholica:

1) centralisationem semper crescentem et consequentem diminutionem auctoritatis episcopalis;

2) Mariologiam cuius connexionem cum Christologia et Ecclesiologia concipere non possunt.

II. Quaestio de laicis in Ecclesia.

III. Reorganisatio Missionum, ita ut omnes vires, de quibus disponi possit, cum maiore effectu in earum finem dirigantur.

IV. Reformatio S. Liturgiae, reformatio Breviarii. Optanda est nova editio psalterii latini, editioni Vulgatae propinquior. Ut in Missis Epistola et Evangelium sola lingua vulgari recitentur.

Ut in Pontificali Romano quaedam mutentur, maxime ritus consecrandi S. Oleum in Cena Domini.

V. Reformatio Indicis librorum prohibitorum.

✠ Theodor Suhr
Episcopus Hafniae

FINNIA

1

Exc.mi P. D. GULIELMI COBBEN

Episcopi Helsinkiensis (Helsinki)

N.o 71/59 Helsinki, die 29 mensis augusti 1959.

Responsum Episcopi Helsinkiensis ad Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico circa eas res, quae in futuro Concilio utiliter tractari poterunt.

I. De essentia Ecclesiae, ut suppleatur doctrina a Concilio Vaticano proposita.

De munere episcopali.

Finlandiae lutherani notionem Ecclesiae definire se vix posse concedunt. Quare non pauci cum admiratione respiciunt in Ecclesiam catholicam, sed timent in ea:

1) nimiam centralisationem et consequentem diminutionem auctoritatis episcopalis;

2) Mariologiam cuius connectionem cum Christologia et Ecclesiologia concipere non possunt.

II. Reformatio S. Liturgiae, reformatio Breviarii. Optanda est nova editio psalterii latini, editioni Vulgatae propinquior. Ut in Missis cantatis ea omnia, quae diaconus vel subdiaconus aut lector, vi proprii officii cantant vel legunt, a celebrante omitti possint.

Ut in Pontificali Romano quaedam mutentur v. g. ritus consecrandi S. Olea in Cena Domini.

III. Reformatio Indicis librorum prohibitorum.

Abrogatio censurarum latae sententiae.

✠ Gulielmus P. B. Cobben
Episcopus Helsinkiensis

GALLIA

1

EXC.MI P. D. ROGERII JOHAN

Episcopi Agennensis (Agen)

Agen, le 23 septembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Imprimis scriptor enixe postulat ut faveat Eminentia Vestra illum habere excusatum pro praesentis responsionis nimia mora.

Hanc tamen ad Venerabilem Commissionem antepraeparatoriam confidenter mittit, Dominum Deum adprecans ut felicissimos fructus proximo Concilio largiri dignetur, qualiter in votis Beatissimus Pater habet.

Ac toto corde Eminentiae Vestrae Reverendissimae religiosam et humillimam exprimit venerationem.

✠ ROGERIUS JOHAN
Episcopus Agennensis

Desiderata pro Concilio Oecumenico

I. Prosequatur determinatio dogmatica doctrinae Ecclesiae de Episcopatu, iam in Vaticano ex professo incoepta.

II. Dogmatice atque canonice enuncietur quaenam debeat intervenire relatio (subordinationis) inter Religiosos et hierarchiam ecclesiasticam infra Summum Pontificem, cum magis magisque Religiosi in Clericos dioecesanos influant, etiam in re liturgica atque pastorali.

III. Dogmatice explanetur subordinatio Theologorum respectu Magisterii Ecclesiae, praesertim ad Ecclesiae praxim quod attinet.

IV. Accuratius explicitentur respectus naturae humanae ad gratiam Christi, imprimis huiusdem naturae peccato vulneratae ad gratiam Christi sanantem, ultra quae contra Baium apologetice iam definita sunt.

V. Fusius de Laicatu catholico dogmatice atque canonice tractetur.

VI. Status stabiliatur evangelizationis in favorem communitatum nationalium in « emigratione » degentium.

✠ ROGERIUS JOHAN
Episcopus Agennensis

2

Exc.mi P. D. CLEMENTIS MATHIEU

Episcopi Aturensis (Aire)

Votum I

Definiatur dogma Dei Genitricis Mariae omnium gratiarum Mediatricis.

Cardinalis Mercier optaverat ut Concilium hanc veritatem tanquam a Deo revelatam proponeret.

Votum II

Reformentur Lectiones secundi Nocturni.

1. Iam tempore Benedicti XIV suppressio quarumdam lectionum proponebatur. « Quae in Breviario exstant historiam exhiment quae criticis pene omnibus non probatur ».

2. Idem dicendum de lectionibus Sanctae Mariae ad Nives. « Mirandum tam stupendum prodigium spatio annorum fere mille et amplius profundo sepultum silentio iacuerit ». Dedicatio S. Mariae ad Nives facta est Sixto III regnante (432-440) et legenda nivis apparuit xiv saeculo.

3. Item lectiones S. Nicolai « suspectae admodum fidei ».

4. Item lectiones S. Agathae « cuius acta a recentioribus inter apocrypha recensentur ».

5. Lectiones S. Luciae et S. Venantii extraordinaria accumulatione miraculorum veri similitudine et, probabiliter, omni historica veritate carent.

6. Die 9 martii 1742 Congregatio cui Benedictus XIV curam commiserat emendandi Breviarium, unanimiter iudicaverat festum S. Michaëlis die 29 septembris esse celebrandum, sed unanimiter reiecerat festum apparitionis eiusdem S. Michaëlis in monte Gargano. Nulla adest ratio nova custodiendi in Breviario lectionem unanimiter reiectam.

7. In Correctorio a Baronio proposito agitur de lectione S. Catharinae. De qua lectione Baronius ait: « Multa eius historia habet quae veritati repugnant ».

Tales lectiones placent iis qui legendis poeticis delectantur.

Quidlibet audiendi semper fuit aequa potestas:
... pictoribus atque poetis

At Breviarium non tendit ad imaginationem excitandam, sed ad pietatem fovendam. Cavendum est ab irrisione infidelium qui methodis criticis historiae imbuuntur. Nullam aedificationem afferre possunt tales fabulae sacerdotibus attente, pie ac devote Breviarium solventibus.

Licetne evocare hanc sententiam, occasione reformationis Clementis VIII allatam: « Innocentius disertis verbis affirmat nullum Apostolorum in Hispania praedicasse »? Ne Iacobus quidem Apostolus! Huic praedicationi favet traditio hispanica, quae dici nequit traditio historica. Agnoscimus impossibilitatem corrigendi lectionem quae asserit: « Mox in Hispaniam profectus ibi aliquos ad Christum convertit ». Quae emendatio multum displiceret Hispanis.

Fatendum est Gallis aeque displicere posse hanc eiusdem Pontificis sententiam: « Dicitur Dionysius Areopagita Parisiorum episcopus: quod valde dubium est ». Quod dubium aegre ferrent praesertim Parisii.

VOTUM III

Ad alendam et augendam pietatem multae conferrent feriae ad modum quadragesimarum vel octavarum Paschae et Pentecostes compositae, ubi lectiones de Scriptura Sacra (praesertim ex Novo Testamento) sive ex Patribus desumptae multiplicarentur.

Ius canonicum sacerdotibus praescribit ut lectioni spirituali incumbant. Haec lectio exstitit in Breviario.

Profectus spiritualis sacerdotum exigit ut illiusmodi lectionum partes augeantur. Sic obligatio lectionis spiritualis incorporaretur recitationi Breviarii.

VQTUM IV

Annus legalis, in nostris saltem regionibus, incipit a die primo mensis ianuarii.

Practice tamen annus scholaris substituitur anno legali. Annus scholaris incipit primis diebus mensis octobris et desinit primis diebus mensis iulii. Hic annus constat tribus trimestriis: october-november-december; ianuarius-februarius-martius; aprilis-maius-iunius. Mobilitas diei Resurrectionis Christi assignata perturbat disciplinam scholarem et dignae celebrationi obesse potest solemnitatis paschalis necnon feriis quae eam praecedunt et praeparant.

Quamobrem optabile videtur ut festum Paschae non amplius sit festum mobile, sed fixum v. gr. primis diebus mensis aprilis celebrandum, ita ut disciplina scholaris perturbare nequeat disciplinam ecclesiasticam quam Ordo Sabbati Sancti tam opportune renovavit.

VOTUM V

Propagatio Actionis Catholicae, et praxis Apostolatus in genere, exigit ut notio officii praevaleat notioni beneficii, ita ut in praxi, et non tantum theoretice, appareat effective beneficium exsistere propter officium, et non e converso officium propter beneficium. Praeteritis saeculis Ecclesia saepe periculoso morbo laboravit ratione Praelatorum beneficio fruentium, quin personaliter ullum exercerent officium.

Beneficium comportat inamovibilitatem. Suppressio inamovibilitatis multum conferret ad restitutionem verae beneficii notionis. Praelati facilius decernere possent amotiones et promotiones ad efficaciam apostolatus necessarias.

Quoad amotiones, rectae administrationi paroeciarum, praesertim illarum quae constant numerosioribus fidelibus, multum interesset ut parochi officium sibi commissum exercere non valerent ultra certam aetatem a lege canonica fixam, nisi coadiutorem accipere consentirent. Sic amotioni resistere foret incapacibus impossibile.

Logice admittendum est hanc regulam ipsis episcopis et archiepiscopis esse applicandam.

VOTUM VI

Caritas, saeculo nostro, parvipenditur et eius notio pervertitur. Libenter increduli exaltant solidaritatem, altruismum, beneficientiam. Quae omnia, non solum nomine, sed etiam re, differunt a genuina notione caritatis. Unde necessitas melius explanandi excellentiam talis virtutis. Laicismus restringit significationem huius vocabuli ad exprimendam solam caritatem eleemosynariam.

Quam restrictam caritatem multi respuunt ut egenis iniuriosam. Quare exaltant iustitiam quam vocant socialem. Illam ita instaurare nituntur ut nullus indigeat eleemosyna sublevari.

Item legitime plurimi abhorrent ab adulterata notione et praxi caritatis eorum qui actibus caritatis compensare praetendunt peccata iustitiae contraria, quae ipsi committunt insufficientem mercedem solvendo opificibus.

Caritas ita concepta non imperat iustitiam. Non obligat ad exercendam veram iustitiam, sed ab eius exercitio divertere conatur.

Iustitia socialis ne in regionibus quidem socialiter promotis ad omnes miserias et infirmitates sublevandas sese extendit.

Haec impotentia evidentius apparet, si attendimus verbi gratia hoc factum: duae ex tribus partes hominum (2/3) insufficienter aluntur et carent eo quod « minimum vitale » vocatur.

Quare « hodie cooperantur Institutiones Internationales ad expellendas paupertatem in genere et summopere miseriam populorum ex patria exulum; promovenda sunt " Opera catholica caritatis " quorum antea integratio in vita Ecclesiae plane ac clare determinata fuerit ».

Multum interest ut ista integratio determinetur, ut caritas, sicut Ecclesia ipsa, sit in operibus suis universalis. Quod postulatur ipsa catholicitate seu universalitate Ecclesiae Christi.

Sequitur Votum VII, nonnulla complectens quoad reformationem *Codicis Iuris Canonici* desideranda.

Votum VII

Ad leges ecclesiasticas quod attinet, eorumque opportunam emendationem dum nova paratur *Codicis Iuris Canonici* editio, haec speciatim, nostra humili opinione, videntur exoptanda:

Circa ius matrimoniale

1. *Ut restringantur,* in quantum prudenter fieri possit, *causae ex solo iure ecclesiastico irritantes matrimonium,* imprimis impedimenta dirimentia minoris ordinis, ea scilicet a quibus Ecclesia facilius iam dispensat et quorum utilitas sufficienter servari posset, si ex dirimentibus fierent simpliciter impedientia: v. gr. consanguinitas in tertio gradu collaterali, affinitas in secundo, crimen primae figurae, i. e. ex aduletrio cum fide data vel cum attentatione actus civilis... etc.

2. *Ut facilior reddatur convalidatio matrimoniorum meticulosorum,* ita ut vim sanativam habeat, sicut et olim in iure Decretalium, *pacifica et voluntaria cohabitatio* per tempus a lege determinandum, quin necesse sit in casibus publicis consensum in forma tridentina renovare.

Rationes utriusque voti eaedem sunt. Omisso quod sic frequentia processum matrimonialium notabiliter minueretur, omnes eiusmodi nullitates non raro cedunt *sive in detrimentum coniugum bonae fidei* qui, ignorantes matrimonium suum esse nullum, vitam communem degunt filiosque educant sine auxilio gratiae sacramentalis, *sive in scandalum populi,* quando post longam et quietam conviventiam etiam prole recreata, detecto impedimento a solerti advocato, isti matrimonium in foro accusant, gaudentes de praetensa nullitate quia ad alios deverterunt amores. Crescit vero scandalum, quando agitur de muliere forsan primum coacta, quae tamen mox, cessato metu, sorti suae acquievit, virum indubitantem adamavit, plures filios genuit... et post decem aut viginti annos sese coram Iudice sistit tamquam victimam metus!

Circa opera diebus dominicis ac festivis prohibita

3. *Ut clare definiatur quaenam sint nostris temporibus ista opera « servilia »*, de quibus loquitur can. 1248.

Sane « omnis definitio in iure periculosa est », et haec est forsan ratio cur Codex quaestionem remittere videatur ad auctores probatos vel ad locorum consuetudines. Attamen in hac materia veteres consuetudines minus prosunt ad interpretationem legis, cum hodie, post tantas rerum in mundo mutationes, labor humanus novis subiiciatur conditionibus oeconomicis et socialibus, imo et inauditas species prae se ferat.

Nec magis iuvant sententiae apud theologos receptae, quae neque inter se neque cum factis quadrant, multisque sunt obnoxiae exceptionibus, sive prohibeant opera quae praecipue viribus corporis peraguntur, sive omnia opera quae fiunt lucri gratia, sive ea sola quae ad exercitium « professionis » pertinent.

Melius, sensu nostro, diceretur lex lata esse in favorem omnium opificum cuiusve temporis, sive manualium, sive intellectualium, qui in conditione servili vel quasi servili versantur: eorum scilicet qui in laborando non sunt sui iuris, sel voluntati alienae sive hominum sive elementorum subiiciuntur, et ideo sine interdicto vel potius protectione legis divinae et ecclesiasticae (imo quandoque et legis civilis) difficillime invenirent tempus conveniens ad vacandum cultui divino, officia domestica vel civica rite adimplenda, viresque mentis et corporis reficiendas. Sed haec theoria nondum est plene elaborata, neque sufficienter auctoritate Ecclesiae fulcitur.

Restat ergo desiderandum ut, dum theologi adhuc certant, Ecclesia mater nobis tradat regulas practicas, quibus opera prohibita a permissis facile secernantur, et hoc ad instructionem fidelium (ut vitentur peccata mere « formalia »), necnon ad levamen pastorum et confessariorum.

Circa legem ieiunii (can. 1251)

4. In eodem sensu, *ut disciplina ieiunii poenitentialis melius adaptetur circumstantiis saeculi nostri,* sicuti recenter provisum est quoad disciplinam ieiunii eucharistici.

Revera tanta fuit liberalitas Ecclesiae in minuendis obligationibus illius praecepti, tantaque facilitas moralistarum ad multiplicandas causas excusantes, ut oculis fere omnium ipsum praeceptum nunc videatur obsoletum et quasi abrogatum. Pauci sunt catholici qui de facto ieiunent, pauci qui de ieiuniis omissis sese in sacro tribunali accusent. Non desunt tamen fideles qui de adimpletione praecepti curant, sed isti saepe

dubitant an propter debilitatem, officia, aliasve causas legitime excusentur, vel scrupulis agitantur circa quantitatem aut qualitatem ciborum extra prandium principale permissas. De his Codex explicite remittit ad consuetudines locorum, quas vidimus esse incertissimas. Quia tamen Ecclesiae mens certe non est ut plene valedicatur huic praxi tam venerabili et tam salutari virtutis poenitentiae, hic quoque desiderantur regulae in eodem spiritu liberalitatis statuentes (sicut et pro ieiunio eucharistico) non solum quinam legi subiiciantur, sed quinam ab ea eximantur, ac insuper quid cadat sub praecepto, quid tantum sit de consilio.

Cum fere ubique dies ieiunii iam cadant sub lege abstinentiae, forsan satis esset determinare aliquam modicam restrictionem (sive quoad quantitatem, sive potius quoad ciborum qualitatem) ex praecepto praxi abstinentiae addendam ab his qui utrique legi adstringuntur.

Circa casus reservatos et censuras

In hac materia tam complexa et intricata nostrum non est doctioribus indicare quae forsan in melium instaurari liceret. Fas sit tamen communi voto nos accedere:

5. *Ut illa complexitas et intricatio iuris poenalis ecclesiastici, pro quanto res sinat, simplificetur et clarificetur.*

Sic v. gr. aboleri possent peccata reservata ratione sui (Codex, qui huiusmodi reservationi non favet, unicum tamen reservavit peccatum); item opportunum esset catalogum censurarum abbreviari, extensionem cuiusque poenae sive quoad subiectum sive quoad effectus rigorosius determinari, plures excommunicationes latae sententiae ad ceteras ferendae sententiae transferri, reservationes fieri pauciores, facultatem absolvendi a reservatis liberalius concedi, urgentiorem casum (de quo can. 2254) melius definiri... etc.

Certe expedit ut clerici examina Iuris Canonici subeuntes tractatum de censuris reformidare cessent, sed multo magis interest ut ipsi Confessarii ex eodem tractatu intelligentia ac memoria retineant quidquid ad rectum exercitium ministerii sui necessarium sit.

Aquis Tarbellicis, die 30 ianuarii 1960.

✠ CLEMENS, *Ep. Aturensis et Aquae Augustae*

3

Exc.mi P. D. CAROLI DE PROVENCHERES
Archiepiscopi Aquensis (Aix)

Aix, le 1er septembre 1959.

Eminence Révérendissime,

En réponse à votre lettre du 18 juin 1959 (Prot. N. I C/59-84), j'ai l'honneur de vous transmettre quelques remarques au sujet des questions qui pourraient être soumises au prochain Concilie, ou qui, à l'occasion de la révision du *Code de Droit Canonique,* pourraient être étudiées par les Congrégations Romaines.

Je m'excuse d'envoyer ma réponse avec un léger retard; j'ai été particulièrement chargé ces derniers jours.

Daigne Votre Eminence Révérendissime agréer l'hommage de mon profond respect et l'assurance de mon religieux dévouement.

✠ Charles
Archevêque d'Aix

Animadversiones praeviae

Concilium, propter amplitudinem suam et participationem stirpium omnigenarum, propter ambientem orationem et caritatem, testimonium necesse est ut ferat Christo Domino mortuo et redivivo, Christo Regi, cuius Regnum est « regnum veritatis et vitae, sanctitatis et gratiae, iustitiae, amoris et pacis ».

Propterea quod vigor eius spiritualis redundet in promissiones ordinis temporalis pro necessitatibus humani generis, necesse est ut transcendentaliter emineat concilium in conspectu cuiusvis coetus in mundo exsistentis.

Operi Concilii ut consocientur fideles optandum, per simultaneam in Orbe celebrationem certarum festivitatum, in communione cum celebrationibus Romae habendis.

I

De quaestionibus doctrinalibus

I. Momentum praecipuum Tractatus « De Ecclesia » efferre oportebit; circa eius materiam moventur enim quaestiones hodie maxime agitatae.

1. Speciatim labores circa *Episcopos* resumendi, prout in Vaticano Concilio provisum.

De *Sacerdotio* fieret etiam sermo, ita tamen ut praeparatio et sanctificatio cleri in aliud caput reserventur.

Opportunum esset de gradu et munere *laicorum* in Ecclesia, praesertim de eorum apostolatu, tractare.

2. In illustratione quam praebet Tractatus « De Ecclesia » exponantur quaecumque attingunt quaestiones de *Evangelizatione* mundi hodierni; potissimum vero de *Officio Missionario,* secundum quod definitum est in recentioribus Litteris Encyclicis, et prout nostris temporibus se praebet.

3. Ad mentem Summi Pontificis, Concilii scopus inter alia respicit Christianorum redintegrationem in unitatem.

Sollemnis praefatio ad Decreta et Constitutiones Concilii opportune invitaret Christianos omnes ad enixe orandum, paenitentiam agendam, caritatem humiliter exercendam, in eundem scopum.

Ut huic unitati faveamus, eamque paremus, forsan possibile esset:

Orthodoxos Orientales, saltem ad Praeparatorias Commissiones, invitare;

Providere ut quaedam Concilii declarationes, verbi gratia circa christianos mores, aut personae humanae iura, aliis ecclesiis christianis communicentur, rogando etiam ut in spiritu unitatis, nobiscum in iis consocientur.

Salvis doctrinalibus exigentiis impraescriptibilis veritatis, possibile esset:

Ostendere qua ratione modus quo Ecclesia Catholica se gerit in respectu Unitatis non ex superbia vel arrogantia provenit, sed ex desiderio humilis fidelitatis erga Christum necnon erga fratres separatos, qui sicut et nos in unico ovili locum obtinent;

Ad evacuandas praeiudicatas opiniones, indagare in opportunitatem, in possibilitatem explanandi et temperandi quasdam theologicas locutiones, necnon ritus quosdam in cultu adhibitos;

Aspectus complementares efferre quorumdam dogmatum; v. g., unicae mediationis Christi in respectu devotionis erga Beatam Virginem et Sanctos; potestatis Episcoporum et populi christiani in respectu potestatis S. Pontificis, etc.;

Dum periculosae contaminationes sedulo praecaverentur, simul considerare apta media ad

promovendam caritatem inter Christianos separatos,

commune testimonium in nomine Christi perhibendum per firmam asseverationem iurium Dei et dominationis Christi, per caritatem ad miserias per orbem sublevandas, etc.

II. Variae declarationes, in forma sollemni studiose paratae, affir-

mare deberent doctrinam Ecclesiae circa quosdam errores aut quaedam problemata hodie saepius proposita:

de Materialismo; de rerum supernaturalium primatu asseverando;

de Laicismo;

de Rationalismo, in sua forma recentiori quae provenit de influxu culturae technicae magis elaboratae;

de Communismo atheistico; de « Progressismo »;

de quibusdam formis capitalismi ad materialismum vergentis;

de inculcatione principiorum iuris naturalis circa iura personae humanae et familiae.

II

De quaestionibus circa curam pastoralem et disciplinam

Inter problemata mox proponenda, quaedam opportunius solverentur per revisionem *Codicis Iuris Canonici,* quin necesse sit aut utile de his in Concilio tractare.

I. *De cooptatione et sanctificatione Cleri*

1. Nonne opportunum esset proponere attentioni fidelium urgentiam promovendi vocationes ad clericaturam et Congregationes religiosas, necnon Ecclesiae doctrinam circa Vocationem sacerdotalem magis definire?

2. In praeparatione iuvenum ad Sacerdotium multa veniunt consideranda. In alumnis minoris vel maioris Seminarii deligendis, maiores virtutes quaerendae sunt: fides vivida, acumen ingenii.

E diffusione culturae modernae seu technicae novae difficultates promanant. Districte urgere, exempli gratia, applicationem recentis Instructionis S. C. de Seminariis, praeparationem ad Examinationes Statales excludentis, vix non arceret multos iuvenes a Seminario minori ingrediendo. Aliunde apparet ut necessaria apud Sacerdotes plurimos cultura quaedam technica, ut mentem multorum fidelium perspectam habere valeant.

3. Inculcetur formationis mentis necessitas ope Thomisticae Philosophiae, necnon summum momentum studiorum theologicorum. Optimum est studiis biblicis magis favere, et pariter pastoralem biblicam promovere. Haec tamen sine periculo fieri nequeunt, neglecta solidiori theologica formatione.

4. Iunioribus sacerdotibus praebeatur efficacius adiutorium durantibus primis vitae sacerdotalis annis. Invitentur Episcopi ad solutiones quaerendas variis locorum circumstantiis aptatas. Utile esset providere ses-

sionem cum secessu, cuius duratio ad mensem aut etiam ad plures (decem) menses protraheretur, post quinque aut decem annos vitae sacerdotalis. Tunc peragerentur secessus decem (aut etiam triginta) dierum, studia theologica, ascetica, pastoralia.

Sollemniter invitandi essent sacerdotes ad fidelitatem in piis exercitiis frequentandis, necnon ecclesiasticis studiis prosequendis.

Inconveniens esset nimium differre promulgationem reformationis Breviarii, prout iam praenuntiata est. Quod si imminuta fuerit recitationis duratio, bonum esset hortari sacerdotes ut semihoram saltem mentali orationi impendant.

Invitandi sunt Episcopi ut secessus sacerdotales ita componant, ut recollectioni et orationi maxime faveatur.

II. *In re pastorali*

1. Instructionis religiosae, momentum prematur, quoad iuvenes speciatim et quidem toto formationis tempore, sed etiam quoad adultos. Inter fidei pericula maxima annumeranda est, apud christianos plurimos, inaequalitas inter culturam profanam et religiosam culturam.

2. Elaborare problema evangelizationis apud quosdam homines a Christo alienatos aut in alienationis discrimine positos — prout in Galliis accidit praesertim apud operarios permultos; specialiter grave est periculum apud technicos. Invenire est homines plurimos quos aegre collocares in aliquam ex categoriis in Iure Canonico aut pastorali theologia usitatis. Proprie loquendo, nec de pagano, nec de formali apostata, nec de christiano peccatore fidem in Ecclesiam retinente agitur. Sunt baptizati quidem homines, ter quaterve dumtaxat in vita sua religiosos actus ponentes, verum nec in Christi divinitatem, nec in Ecclesiam, immo nec in exsistentiam Dei Providi et Remuneratoris aut in immortalem animam de facto credentes.

Apud huiusmodi homines presbyteri apostolatum habitualiter exercent, et saepius sacramenta baptismi, matrimonii, Communionis sic dictae « sollemnis » in dubiis conditionibus administrant; idem de christiana sepultura dicendum; unde optant a Hierarchia monita generalia accipere, tali hominum generi accomodata, ad solvendum problema in Galliis minus accurate « de apostolatu missionario » nuncupatum.

3. Permittere Episcopis ut simpliciores reddant ritus quosdam minoris momenti (v. g., ad domum defuncti, in delatione ad coemeterium, etc.), ut liberius vacare valeant sacerdotes aliis ministeriis praestantioribus, necnon orationi et studio. Hodierna praxis pastoralis non paucas apostolatus formas prioribus addidit. Aliunde, pluribus in locis, imminutus

est sacerdotum numerus. Unde nimis gravantur sacerdotes, cum nocumento vitae spiritualis, efficaciae apostolatus, valetudinis quoque.

Hortentur Episcopi ut sacerdotum operositas ministeriis proprie sacerdotalibus reservetur, alia munera laicis committendo.

4. In votis est apud quosdam ut consideretur quaestio de Ordine Diaconali, qui gradus ad Sacerdotium non sit.

5. Optandum ut assistentia spiritualis laicis apostolis praebenda, tanquam essentiale munus pastoralis sacerdotis luculenter praefiniatur.

6. Sollemniter in mentem omnium revocanda decreta S. Pii X circa frequentem Communionem et Communionem mox ab incepto usu rationis accipiendam: quae decreta a multis haud observantur.

7. Prosequenda elaboratio Pastoralis Liturgicae, iam ab aliquot annis incepta. Permittatur proclamatio directa in lingua vulgari Scripturae Sacrae in liturgicis caeremoniis (quoad Epistolam, Evangelium, Passionem durante Hebdomada Maiori). Extendatur usus linguae vernaculae in sacramentorum administratione.

8. In Galliis speciatim, principia quibus innititur legislatio de Beneficiis Ecclesiasticis, vix factis exsistentibus respondent. Ex alia parte, ars medicinalis moderna vitam humanam diutius servat, quin notabiliter retardetur senilitatis initium. Exinde nascuntur problemata circa seniores Parochos et Episcopos in munere retinendos. Nonne facta huiusmodi legislationis canonicae accomodationem iuxta varias conditiones variis in locis vigentes suadent?

9. Exigentiae apostolatus hodierni provocant ad maiorem collaborationem in re pastorali: ut essent:

mutatio sacerdotum inter dioeceses intra aut extra fines nationales, speciatim, auxilium locis missionum praebendum;

perfectior collaboratio utriusque cleri saecularis et regularis;

constitutio coetuum professorum aut sacerdotum pro investigatione scientifica sacra et pastorali.

Possit Concilium:

Rogare Episcopos et Superiores religiosos ut examinare velint quid in propriis peculiaritatibus et privilegiis attente denuo considerari possit in augmentum radiantis influxus Ecclesiae:

Providere speciali Corporis Ecclesiae compositioni, ad intimiorem partium connexionem obtinendam;

Providere faciliori collaborationi aptando legislationem canonicam in hunc scopum.

III. *Circa Ius Canonicum*

1. *Simplicius reddatur negotium recurrendi ad S. Sedem* in rebus secundariis, v. g., Facultates quinquennales Episcopis concedi solitae eisdem tribuantur tamquam ordinariae, quaedam indulta, quibusvis petentibus concedi solita (v. gr., ut exire valeant moniales clausurae adstrictae; ut binare aut trinare valeant celebrantes, etc.) generali modo concedi possent.

Tribuere Episcopis facultatem permittendi pecuniae mutuationem saltem ad 30.000 francos aurei valoris.

Extendere ad plures casus (Festi nationalis, etc.) facultatem dispensandi a lege ieiunii et abstinentiae;

2. Gestatio *tonsurae* apud gentes permultas in desuetudinem abiit. Talis lex estne retinenda?

3. Quoad ecclesiastici habitus delationem extra functiones sacras, notus est S. Sedem indagationes prosecutam esse apud Episcopos Galliae. Determinatio in hac re opportune intercederet.

Simplicior habitus in Ordinibus religiosis nonne commendandus esset?

4. *De vestibus liturgicis in simpliciorem formam redigendis.*

Quaedam uniformitas in vestibus Canonicorum nonne obtinenda, saltem ubi earum delatio extra dioecesim permittitur?

Ad simpliciorem formam reducenda paramenta episcopalia (chirothecae, tibialia, sandalia, pileolus...). Vestis talaris violacei coloris ad libitum adhibenda extra pontificales functiones.

Cappa nonnisi in sollemnioribus functionibus gerenda.

5. *De laicis communitatibus religiosis.*

Duratio Novitiatus ad duos annos protrahatur.

Efficacior formatio perdurantibus votis temporalibus procuretur.

Praestantior doctrinalis formatio procuretur.

Nonne melius esset exigere votum deliberativum Consilii ante vota perpetua?

Hortari ad quosdam habitus simplificandos.

6. *De Processibus matrimonialibus* (declaratio nullitatis; dispensationes super rato et non consummato).

Optandum ut citius absolvantur.

8. De Censuris et Poenis leges in simpliciorem formam redigantur.

4

Exc.mi P. D. IOANNIS BAPTISTAE LLOSA
Episcopi Adiacensis (Ajaccio)

Ajaccio, le 19 septembre 1959.

Eminentissime Seigneur,

Votre Eminence a bien voulu me demander si j'estimais qu'il y aurait lieu de ma part de soumettre aux Consulteurs qui ont à mettre au point les questions qui feront l'objet des travaux conciliaires, quelques suggestions préalables susceptibles d'être prises utilement en considération.

Pour répondre aux désirs de Votre Eminence, je me permets de lui soumettre les quelques réflexions suivantes.

1. Il semble important, dans la crise actuelle de l'Autorité en général et de la soumission due à la Hiérarchie Catholique, de préciser la nature et l'importance de la dite Hiérarchie, et spécialement des pouvoirs de l'Episcopat.

2. La question du laïcat dans l'Eglise me parait demander des précisions doctrinales et canoniques. Cette question devrait certainement entrainer des précisions analogues en ce qui concerne l'Action Catholique.

3. Il serait très souhaitable qu'un jugement autorisé soit porté sur les grands courants scientifiques et philosophiques qui ont une influence considérable sur les esprits, et qui posent d'une façon apparemment nouvelle et dangereuse le problème de la Foi.

4. En ce qui concerne la Pastorale de très importantes questions méritent de retenir l'attention du Concile.

Et d'abord l'évangélisation du monde ouvrier, séparé de l'Eglise par une tournure d'esprit, des tendances et des préjugés qui rendent les travailleurs difficilement accessibles à l'enseignement de l'Evangile et au dogme chrétien. La vie sacramentaire ne leur apparait que comme un ensemble de gestes coutumiers qui restent à la surface de la vie réelle. Les sacrements ne représentent presque plus pour eux un engagement vital, et le mariage-contrat fait pour eux la seule importance objective du mariage-sacrement.

Les enseignements de S. S. Pie XII sur la morale chrétienne dans ses applications actuelles pourrait donner matière à des directives conciliaires très actuelles.

5. Il parait bien nécessaire que le Concile s'intéresse spécialement à la grave question de la vocation sacerdotale et religieuse, sous un angle

essentiellement pastoral. Certaines régions sont abondamment favorisées à cet égard. D'autres le sont insuffisamment et ne peuvent par leurs propres moyens remédier à cette situation. Ne serait-il pas opportun d'envisager la question sur un plan plus vaste que le diocèse? La Mission de France a été chez nous une excellente initiative. A ce point de vue, et sur d'autres points de la pastorale, ne serait-il pas opportun de voir si une revision des échelons hiérarchiques: diocèses, provinces, nations, ne favoriserait pas l'action pastorale de l'Eglise.

6. La discipline écclésiastique gagnerait à une étude approfondie et à quelques décisions pratiques sur des questions importantes, v. g.:

A) L'introduction de la langue vulgaire dans la liturgie ne favoriserait-elle pas l'instruction des fidèles, plus efficacement qu'un catéchisme spécial pour adultes, qu'il est difficile d'imposer à l'ensemble des paroissiens? Une refonte du Missel dans ce sens ne pourrait-elle pas être envisagée?

B) La refonte du Bréviaire est partout désirée. Le Concile ne pourrait-il pas donner les directives précises qui dirigeraient les travaux à entreprendre dans ce sens? Pour le clergé séculier il semble bien qu'il faudrait rappeler que la récitation du Bréviaire est le principal moyen de s'associer à la grande prière publique de l'Eglise.

C) Il parait urgent de remettre en valeur la loi de la pénitence et la pratique de la mortification, en l'incorporant davantage dans le cycle liturgique. Les modifications apportées au jeûne eucharistique sont très heureuses, car elles facilitent la communion, surtout la communion pendant la messe paroissiale. Mais la disparition presque complète de la Loi du jeûne écclésiastique, surtout pendant le Carême, dénature le caractère pénitentiel du cycle quadragésimal et de la Pâques chrétienne, notre résurrection avec le Christ tant corrélative de notre ensevelissement avec lui dans le mystère de sa mort.

Daigne Votre Eminence agréer, avec ces modestes remarques et désirs en vue de la très heureuse préparation de ce prochain concile, le très humble hommage de ma filiale vénération en N. S.

✠ JEAN B. LLOSA
Evêq. d'Ajaccio

6

Exc.mi P. D. IOANNI EMMANUELIS MARQUES
Archiepiscopi Albiensis (Albi)

Albiae, die 1 septembris 1959.

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Dignetur Eminentia Vestra Reverendissima hic adnexa vota accipere, quae Litteris 18 iunii 1959 ad Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico mittenda postulata sunt.

Indulgentiam Vestram pro mora interposita imploro ac, quo par est obsequio, sacram purpuram reverenter deosculans, me profiteor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimum famulum in Domino
✠ Ioannes Emmanuel Marquès
Archiepiscopus Albiensis

I. *Circa aliquos modernos errores vel abusus*

1. Ut, ad usurpationes civilis potestatis vitandas aut, si casus ferat, reformandas, iterum ac firmiter definiantur gemina iura *personae* et *familiae,* praesertim quae ad puerorum christianam educationem, iuxta normas ab Ecclesia statutas, in scholis procurandam attinent ac officia civilis potestatis in ordine ad huiusmodi iurium usum fovendum.

2. Ut praecise declaretur quid moraliter existimandum sit de conceptibus contrahendis (v. d. contrôle des naissances), de artificiali fecundatione, de euthanasia.

3. Ut proclametur hominum omnium *radicalis aequalitas* ex qua oriuntur omnium iura ad bona tam animae quam corporis, pro suis quisque necessitatibus et conditione, fruenda, adiuvantibus illis, maxime populis, quibus magis favet natura vel fortuna.

II. *De Ecclesia*

4. In praesentibus rerum adiunctis, infestante materialistica pestilentia, summe ac urgenter desiderantur maximi conatus omnium ad « pauperes evangelizandos ».

Quapropter votum exprimitur:

5. Ut dogmatica synthesi, sicut in Concilio Vaticano pro Romano Pontifice, definiantur:

a) Quae pertineant ad munus *Episcopi* tam in Ecclesia universali quam in propria dioecesi;

b) Quae pertineant ad munus *Presbyteri,* potissimum in ordine ad cooperationem pastorum cuiusque Dioecesis tam cum Episcopo quam inter se coarctandam;

c) Quae pertineant ad *Religiosos* et *Religiosas,* praesertim in ordine ad adiumentum pastorali ministerio, servatis religiosi status obligationibus, praestandum.

d) Quae pertineant, ratione Christi Sacerdotii aliquo modo participati, ad *laicos,* in ordine tam ad cultum divinum procurandum quam ad christianam religionem, maxime per *Actionem Catholica,* propagandam.

III. *De Liturgia*

6. Ut, ad mentem votorum, rogante, die 17 maii 1956, Sacra Congregatione Rituum, ab Archiepiscopis prolatorum, *Breviarium Romanum* ad usum saecularium clericorum emendetur.

7. Ut *Missae Celebratio* ab Introitu incipiat et celebrantis Benedictione finem habeat, ceteris precibus vel suppressis, praesertim precibus post Missam praescriptis, vel privatim, saltem a celebrante, recitandis.

8. Ut in *Missa Catechumenorum* ad fidelium instructionem ordinata, saltem proclamatio Epistolae et Evangelii, necnon Lectionum, si casus ferat, unica et authentica versione omnibus imposita, *lingua vernacula* ab ipso celebrante fieri liceat.

9. Ut episcopi, servatis pro solemnioribus ceremoniis pontificalibus, Missam solemnem *simpliciori ritu,* celebrare possint.

10. Ut curante Sacra Congregatione Rituum, *unicum Caeremoniale,* tam pro religioso habitu induendo quam pro religiosa Professione emittenda, ab omnibus Congregationibus mulierum, etiam dioecesanis, utendum, in quantum fieri possit, habeatur.

IV. *Circa Disciplinam*

11. Ut emendetur *ius beneficiale* adhuc vigens, ita ut Episcopus, praehabito bono animarum, Parochos, nisi absque ullo canonico processu, saltem facilius, amovere vel transferre possit.

12. Item, ut, urgentibus praesentibus adiunctis, Episcopo competat, absque ullo recursu ad Sanctam Sedem, *paroecias* exstinctive unire, supprimere vel dismembrare.

13. Ut reformentur *Capitula canonicorum,* ita ut ad Capitulum Cathedrale, in quantum Episcopi consilium se habeat, presbyteros, absque residentiae et chori obligatione, aggregare fas sit.

14. Ut renovetur *sanctificatio diei Dominicae ac dierum festorum de praecepto,* praesertim quoad abstinentiam ab operibus servilibus, iuxta can. 1348 *C.I.C.*

15. Ut *Missam celebrare* quacumque hora, absque ulla restrictione, servatis ieiunii eucharistici legibus liceat.

16. Ut pro *sacerdotibus plures Missas* die Dominica vel festo, celebrantibus lex ieiunii eucharistici, absque Indulto a Sancta Sede implorando, opportune emendetur.

17. Ut Causae matrimoniales *super rato et non consummato* ad pontificiam dispensationem implorandam, a dioecesanis Tribunalibus non solum instruantur, sed etiam iudicentur.

18. Ut censurae inutiliter in praxi multiplicatae reducantur.

Albiae, die 31 augusti 1959.

✠ Ioannes Emmanuel Marquès
Archiepiscopus Albiensis

6

Exc.mi P. D. RENATI STOURM

Episcopi Ambianensis (Amiens)

le 29 août 1959.

Eminence Révérendissime,

Veuillez trouver ci-joint la réponse à votre lettre du mois de juin concernant la préparation du futur Concile Œcuménique.

Daignez agréer, Eminence Révérendissime, l'hommage de mon profond respect et de mon filial attachement.

✠ René Stourm
Evêque d'Amiens

I. *Ad doctrinae capita quod attinet*

Optanda videtur progrediens enucleatio de natura Ecclesiae ut ad plenum exitum deducatur opus inceptum a Concilio Vaticano.

A) In primis proferenda essent schemata in Concilio Vaticano parata « *De Episcopatu* », ut in luce ponatur ecclesiastica Hierarchia.

Cum Episcopi, mutua fide obligati, sub auctoritate Summi Pontificis intersint partem missionis Apostolicae Ecclesiae, optandum videatur meliore modo ponere curam collectivam Episcopatus coram contemptione praesente Religionis Christianae et invasione nimiae curae materiae et opes quarum fruitur ad implendam eam curam.

Item eo tempore, quo commotus Actionis catholicae iuvenum et adultorum magnopere compulerunt socias ad cognocendum vincula coniungentia cum Episcopo et officium partem capiendi apostolatus, optandum videatur ostendere Episcopum centrum esse totius apostolatus in sua dioecesi, vinculum, testem et apostolum unitatis in propria ecclesia. Aeque ostendendum sit eum esse mediatorem, per quem totus populus introducitur in unitatem Ecclesiae universae, patefecit mentem catholicam, fidem Ecclesiae Romanae apostolicae et sanctae.

B) Evolvenda foret deinde *Ecclesiae* cum Laicatu consuetudo. Duplici de causa huiusmodi enucleatio utilis apparet. Ita *positive* fovebitur voluntas membrorum Ecclesiae in aciem Actionis catholicae militare quod eo magis necessarium apparet quo laicorum cum clero in dies requiritur ad opus apostolicum actuosior conspiratio. Ita *positive* dissidentes forsan ad reditum invitabuntur quia maximi momenti et ponderis est pro eis pars laicis reservata in Ecclesia. Ita *negative* arcebuntur opiniones quae minus caute in hac parte, nostris temporibus, profiteri potuerunt, verbi gratia gravis confusio inter sacerdotium laicorum et sacramentale sacerdotium. Ut pressius loquamur, optanda foret declaratio Magisterii circa laicorum ordinem et partem in Ecclesia.

C) Evolvenda foret denique *Ecclesiae cum mundo novo* consuetudo. Opportunum videatur definire quam positiva sit conditio Ecclesiae adversus mundum novum artis recentis, memorando eam incarnare res spirituales constantes quarum hic mundus nequiret carere, nam solae servant corpora inviolata et digna.

II. *Ad disciplinam et ad Iuris revisionem quod spectat*

Alia sunt quae pertinent ad quasdam, ut aiunt: « reformationes structurae », alia quae potius singula minute intuentur.

A) Quoad prima, quae sunt generaliora, non uni tantum apparet Ecclesiam, dum magis ac magis apostolicae expansioni incumbit, iure concepto pro societate plene stabilita et plene christiana regi. Pro societate plene stabilita — res exemplo plana fiet — cura animarum seu officium parochi a Codice praecipue consideratur ut beneficium, a iure tali modo munitur ut integra maneat conditio beneficiarii cuius inamovibilitati potius consulitur. Nonne magis animarum emolumenti solli-

citudo habenda esset, ut praesules expeditius et flexibilitate maiore providere possint populi necessitatibus pro societate plene Christiana? In mundo tamen vivimus de die in diem magis pagano ita ut in nullius rebus necessitatibus nostris ius minime respondet.
Ita v. g. condiciones requisitae in sacramentorum administratione.

Optandum ergo videtur ius ad hodiernam societatem magis aptatum. Item aucta libertas in administratione Ecclesiae universalis, ut aiunt: « une décentralisation », pariter optatur.

Verbi gratia, episcopi possent amplioribus facultatibus gaudere ad dispensandum super lege ecclesiastica ita ut maior velocitas impendenda sit ab unoquoque praesule quando agitur de negotiis ordinariis expediendis. Equidem aliquibus ordinariis facultates libenter concedentur, sed cur non inscriberentur in ipsa lege quae nunc mere de gratia elargiuntur?

B) Secundo: de his quae singula respiciunt.

1) *Pro disciplina Monialium.* Consulendum esset saniori statui psychologico plurium, v. g. per domos ad feriandum, per tempora relaxationis modo generali instituta. Non semel auditur moniales quasdam vita nimis tensa laborare, non sine gravi damno etiam spiritus.

Optandum aeque videatur adiuvare Superiores maiores ad magis cognoscendum mentem progredientem et animum adolescentulae recentis, suetae cuidam libertati et multis propriis auctoritatibus. Quae non rationem huius rei habuerunt, carent discipulis.

Tandem inter exteriores, commutationes et commodationes optabiles sint: mutationes quorundam vestium ad simpliciores, apparatus nimis severus claustrorum et salutatorium, compositiones ad corporis curationes minus simplices.

2) Super conditiones *laboris investigationis* quae in animo versantur in Ecclesia. Saepe evenit ut theologus, cuius opinio reiecta aut damnata sit ab Ecclesia super unam rem certam, habeatur suspectus et prohibitus sit ab omni labore investigationis. Maior latitudo optanda sit in eis rebus.

3) *De Diaconatu.* Optabile videatur in eo redire ad usum priscae Ecclesiae.

Datum, Ambiani, ex Aedibus episcopalibus, die 26 augusti 1959.

✠ RENÉ STOURM
Evêque d'Amiens

7

Exc.mi P. D. PETRI VEUILLOT
Episcopi Andegavensis (Angers)

Angers, le 22 septembre 1959.

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Mihi honorificum fuit accipere litteras (I C/59-126) quas Eminentia Tua Rev.ma die 18 iuni 1959 nomine Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico ad me misit. Quibus litteris me rogasti ut, omni cum libertate et sinceritate, exponerem res et argumenta quae in futuro Concilio utiliter tractari posse crederem. Consultis igitur quibusdam prudentibus peritisque dioecesis meae sacerdotibus, ad Eminentiam Tuam, si fas est, referam paucas has quaestiones quae temporibus nostris cum universalis Ecclesiae necessitatibus congruere mihi videntur.

1. In nationibus communistarum imperio subactis, quin et, disparibus quidem gradibus, in ceteris mundi regionibus, marxismus Ecclesiam graviter et perniciose impugnat, atque adeo quosdam catholicorum circulos, sub progressismi specie, permovet. Quod nempe fieri perget etiamsi mutetur politicus nationum status. Opportunum ergo videatur Concilium repetere ac pressius significare illa quae novissimi Summi Pontifices de socialibus rebus docuerunt: quae sint reapse proprietas, capitalismus, etc., et in quibus reapse errant socialistae marxisti, progressistae, etc.

2. Homines temporum nostrorum haud facile fatentur absoluta esse moralia praecepta quae naturali legi et divinae revelationi innituntur. Summus Pontifex Pius XII fel. record. denuntiaverat illos errare qui docent ea quae gallice vocant « morales de situation ». Insuper, cum hominum numerus in orbe terrarum cresceret, quaestiones quae pertinent ad hoc quod dicitur « birth-control » acerrime motae sunt; qua propter opportunissimum videatur catholicam doctrinam asseverare de praecipuis rebus moralibus quae nunc disputantur, praesertim de re coniugali.

Constat quoque minus facile credi aeternas esse inferni poenas.

3. De sacerdotio, multae quaestiones hodie in catholicorum circulis moventur; quarum quaedam graves sunt et ad veram notionem sacramenti Ordinis pertinent.

De episcopatu, necessarium sit ad Concilium referri de episcopalis consecrationis sacramentalitate.

De presbyteratu autem, pressius significanda aut iterum confirmanda

sint quaedam a catholicis docta de rebus sequentibus: de sacerdotio et ministerio sacramentali — de sacerdotio et apostolatu — de sacerdotio et caelibatu. Quibus quaestionibus iungi possunt illae quae ad divini officii recitationem et habitum clericalem attinent. Praeterea apostolatus apud multos homines, praesertim apud opifices, magis magisque in dies fit difficilis: de quo evenerunt dolendae ambiguitates et angustiae de sacerdotum manuali labore.

Denique, diaconorum, sive caelibes sive coniugati futuri sint, status paulatim melius, ut opinor, cognoscitur et a Patribus Concilii, sive ob ipsam rem sive ob presbyterorum penuriam, perpendi possit.

4. Inter gravissimas difficultates quae apostolicum Ecclesiae laborem in mundo impediunt hoc reperitur quod clerici inaequaliter dispertiti sunt, sive inter eiusdem nationis dioeceses, sive inter orbis terrarum dioeceses; tamen ratio maiorum necessitatum regionum christianiorum et ferventiorum semper habenda erit. Viae autem quas *Codex Iuris Canonici* enumerat idoneae non videntur ut sacerdotum numerus augeatur in urbibus et in suburbanis locis (v. g. in Gallia), ubi Evangelium non satis praedicatur, vel in vastis continentibus (v. g. in America Meridionali et in Africa). Atqui, ut huiusmodi mutatio incipiatur, oportet accurate definiatur theologia de Episcopo et locali Ecclesia, et in illis ipsis et pro illorum laboris universalis Ecclesiae consortio.

Item utile sit novas de religiosorum exemptione leges condere, ut omnes apostoli sub Romani Pontificis et Episcoporum potestate arctius iungantur.

5. Actio Catholica magis necessaria et instans est hodie quam fuit umquam. Quia novissimi Papae eam vehementer propulerunt, laici melius senserunt multum sibi in Ecclesia laborandum esse. Insuper, laicorum apostolatus omnibus fere locis nationali et internationali ratione compositus est. Atqui, et in doctrina et in disciplina, illa laicorum cum Ecclesiae hierarchia cooperatio quaestiones movit quas Concilii Patres attente considerare deberent.

Pariter accuratius definiri possit quae sint Institutorum saecularium ad laicorum clericorumque sanctificationem et apostolatum propriae partes.

6. Animadversum est antiquam beneficii notionem cum socialibus et oeconomicis condicionibus temporum nostrorum ut videtur, iam non congruere. Alioquin, praesentium de parochorum inamovibilitate legum usus saepe impedit ne dioeceses apte regantur; causae quae illas olim utiles effecerant iam non hodie tam necessario valere videntur.

7. Cum Sanctissimus Dominus ipse affirmaverit Concilium sibi christianorum seiunctorum, praesertim illorum qui se « orthodoxos » vocant,

ad unitatem reditum, inter alia, propositurum, omnes una optamus ut Patres argumentum illud adeant. Nonne imprimis operandum est ut Ecclesia Catholica seiunctis fratribus desiderabilis comisque appareat, tam vere certeque interpretando doctrinae res ab acatholicis disceptatas, quam iterum asseverando quandam varietatem in legibus et liturgiis legitimam esse? De quo bene notum est quantum intersit catholicam doctrinam verbis significari quae fratres seiuncti sine ulla ambiguitate et offensa intelligere possint.

8. Saepe quaesitum est de quibusdam Romanae Curiae mutationibus, ut efficacius qui Romae toti Ecclesiae praesunt cum Episcopis agere possint. Hac in re, optabile videatur ut omnes catholicae nationes in Romanae Curiae consortium magis intrent.

9. Regnante Pio XII fel. record., sicut et tempore Sancti Pii X, cultorum animi in liturgiae emendationis et pulchritudinis desiderium impulsi sunt. Sic evenit ut multi christiani plura quam ante expostularent et sacerdotes sentirent quam necessarium esse actionem liturgicam et pastoralem plus valere, praesertim apud eos qui longe ab Ecclesia manent. Valde sit opportunum Concilium decreta ferre, praecipue de sacramentorum re pastorali, missarum privatarum valore sanctique Sacrificii celebratione (v. g. de vernaculae linguae usu et de concelabratione, ut fit in Orientalibus ritibus aliquibus), ut errores vitentur et pastores quibus grex ducendus ipsi dilucide ducantur.

10. Audivi vitam eremiticam aliquot iam annos diversis modis, in Ecclesia renasci. Quoniam illa religiosae vitae forma perantiqua est, optabile videatur ut ei detur iterum status canonicus, quem Codex nunc non continet.

Cum illa omnia ad Eminentiam Tuam refero, eius iudicio iam nunc sto de habenda eorum quae suggero ratione.

Liceat mihi, Eminentissime Domine, cum maxima veneratione, me profiteri Eminentiae Tuae humillimum et addictissimum servum.

✠ PETRUS VEUILLOT
Episcopus Andegavensis

8

EXC.MI P. D. IOANNI BAPTISTAE MEGNIN
Episcopi Engolismensis (Angoulême)

Prot. N. I C/59-128

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Mihi honori est ad Eminentiam Vestram votum mittere quod petebat in Litteris suis, die 18 iunii datis et die 6 iulii 1959 acceptis, nomine Pontificiae Commissionis antepraeparatoriae pro Concilio oecumenico.

Eminentiam Vestram humiliter rogo ut excusatum habere benigne velit quod in exspectata responsione reddenda omnino invitus nimiam attuli moram.

Et sacram deosculans purpuram, Eminentiae Vestrae me dico humillimum et in Christo addictissimum servum.

Engolismae, die 24 mensis novembris 1959.

✠ IOANNES BAPTISTA MEGNIN
Episcopus Engolismensis

I. *De re dogmatica*

1. Denuntiandus videtur a futuro Concilio ille nefandus *laicismus* qui hodiernum saeculum pervasit, et innumerabiles perniciosissimasque ruinas coacervavit. Non solum est quidam habitus, sed etiam doctrina quae ducit ad atheismum. Deo maxime infensus est cuius Ipsum Sanctum Nomen proscribit in qualibet publica institutione aut activitate. Omne delet quod religionem sapit.

Insuper, sub specie fallacis neutralitatis, laicismus penetravit in Instituta omnis generis, etiam a Statu libero: haud pauci enim catholici animo volenti adversantur Institutis formaliter christianis.

Imo, paulatim permeavit laicismus animum etiam multorum catholicorum, et ipsarum familiarum quarum sensim decrescunt spiritus fidei, mens christiana, fervor, pietas, sensus christianus in educandis filiis.

Laicismus, absolutum et perfectum instrumentum inimicorum Christi, directe, vehementer, inexpiabili lucta Christo Regi adversatur.

Ipse laicismus denique, quoad strictissime in educanda iuventute saevit, causa est cur rariores fiunt vocationes sacerdotales et religiosae.

2. Nec praetereundus videtur ille quem dicunt *progressismus,* qui formam praebet cuiusdam relativismi. Veritatem revelatam et definitam aut immutat aut accommodat sensui hodierno aut illi commenticio sensui historiae qui apud eos revera non est nisi quaedam determinismi materialis species.

Practice, isti progressistae in multis saepe, non obstante Ecclesiae vetito, factionibus interdictis, cooperationem afferunt.

3. Sunt qui affirmant duas esse ecclesias, unam scilicet visibilem quam vocant iuridicam, hierarchicam, et alteram vero invisibilem, seu spiritualem a Spiritu Sancto informatam et animatam, independenter ab elementis iuridicis et socialibus a Christo constitutis, ita ut solvant Corpus Christi mysticum, et ipsam Ecclesiam destruant. Quem errorem clarissime et fortiter profligavit Summus Pontifex Pius XII.

4. Vindicanda est Sanctitas Matris Ecclesiae contra illos, saepe saepius ipsius filios, qui, spretis non solum mediis sanctitatis quae praebet, sed etiam heroicitate virtutum multorum eius membrorum, necnon « inexhausta eius fecunditate in omnibus caritatis institutis et operibus », eam declarant imminutam, deiectam, inefficacem, imo « putridam ». Ipsi Ecclesiae tribuunt indifferentiam aut etiam apostasiam practicam multorum, haud respicientes ad conatus consociatos impiorum ad eversionem Ecclesiae deditos. Et audent illud quod vocant « Ecclesiae peccatum » in publicis scriptis denuntiare.

5. Sunt qui contrahunt limites auctoritatis et magisterii Ecclesiae et Romani Pontificis, quasi non pertineat ad solum Romanum et Summum Pontificem statuere quousque et ad quosnam casus sese extendant. Iidem denegant praesertim Ecclesiae quemlibet circa temporalia (i. e. politica, civilia, socialia) interventum, non attendentes aspectui morali etiam temporalium de quo iudicat Ecclesia.

Denique, revocandum videtur quanti momenti sit magisterium ordinarium Ecclesiae.

6. Promovenda est Sanctae Ecclesiae unitas per caritatem mutuam ipsorum catholicorum, ad invicem saepius acerbe erectorum — per caritatem in invincta firmitate erga « Saepartos », per preces ferventes et continuas — per assiduos et prudentes sub auctoritate Ecclesiae cum Separatis contactus, per testimonium vitae christianae ipsorum catholicorum. Et haec sit fidelium sollicitudo constans et perpetua, ut ad effectum suum plenum adducatur oratio Domini Nostri Iesu Christi: « Sint unum... ».

7. Promoveatur animus pietatis et obedientiae filialis in omnibus erga Sanctam Matrem Ecclesiam, quam multi catholici, etiam in usu religioso sat assidui, vix cognoscunt.

8. Optant multi fideles ut definiatur tanquam veritas de fide catholica doctrina de « Beata Maria Virgine omnium gratiarum Mediatrice ».

II. *De re morali*

1. *Primus error.* – Practice, finis hominis iam non est Deus cuius imprimis curanda est gloria, sed ipse homo, ita ut multis Deus non videatur Ille Creator et Pater cui debeatur omnis honor et gloria, sed veluti quidam hominis servus, semper illi et illius desideriis, praesertim terrenis, promptus et quasi illis offensus in adversis. Unde quidam habitus moralis anthropocentricus, ample diffusus etiam apud fideles in frequentadis ecclesiis sat assiduos, sed non ex fide viventes.

Unde, multorum levissimus sensus religiosus.

Unde, ille *materialismus practicus* in animos christianorum in dies profundius insinuatus, erga Deum et proximum caritati omnino adversus, quem caeterum Summus Pontifex Pius XII, in litteris Encyclicis editis occasione Centenari anniversarii Apparitionum Beatae Mariae Virginis, apud oppidum Lourdes, fortissime denuntiavit.

2. Affirmanda videtur natura obiectiva doctrinae moralis christianae contra illos novatores qui, apud catholicos, iudicem valoris moralis suarum actionum suam tantum admittunt personalem conscientiam, quae licitum aut illicitum pronuntiat pro statu rerum aut pro statu personali momenti, non vero secundum legem sive divinam, sive humanam et legitimam: illum vero perniciosissimum errorem « morale de situation » appellant.

3. Etiam magis ac magis illa invalet apud multos moralistas, etiam sacerdotes, propensio ad minuendam libertatem actus humani. Tales sunt, aiunt, corporis complexio, quorundam naturae humanae impetuum violentia, virium in profundissimis personae abscunditarum interventus, multorum psychopathia, et etiam illa quam dicunt, pressio socialis etc., ut plerumque desint conditiones requisitae ad illam libertatem advertentiae et consensus quam requirit peccatum. Ille determinismus moralis patet quam sit animis et societati christianae periculosus.

4. Deplorandus certo est ille anarchicus animus quo solent etiam fideles, imo et non pauci clerici, spernere legum Ecclesiae observationem quae eorum menti, iudicio, aut simplici beneplacito contradicunt. Exemplo sit, inter alias, lex « Indicis » contra quam repugnant vehementer et superbe christiani multi, praesertim e iuventute, vituperantes illam antiquatam, ut aiunt, tyrannidem Ecclesiae quae obstat iniuste eorum incremento intellectuali, cum, reapse, nihil aliud quaerant nisi plenam quaecumque perversa legendi licentiam.

Illa insuper regnat mens vi cuius legem Ecclesiae quam dicunt inopportunam violare eo directo fine oportet ut paulatim in desuetudinem abeat et abrogetur.

5. Generatim praxis obedientiae valde deprimitur et, quod est multo gravius ipse conceptus verae obedientiae, quae est virtus, depravatur. Nam iuxta quosdam obedientia motivum non haberet in ea honestate qua obsequium filiale ipso facto redditum voluntati et auctoritati divinae, sed, contendunt e contra, praefatum obsequium esse conditionatum quadam « motivatione » subiectiva subditi, ita ut obediens, revera, non quidem voluntatem Superioris aut ipsius Dei observet, sed suum proprium iudicium. Summus Pontifex Pius XII hanc corruptam obedientiae notionem clare repudiavit.

Caeterum, notandum est in genere detrimentum advenisse in observatione virtutis obedientiae. Quod patet non solum in fidelibus, sed etiam — et valde damnosum — tum in clericis quibus promissio obedientiae in ordinatione presbyterali emissa saepe non videtur esse nisi formula, tum in religiosis, ut constat e dictis Superiorum. Porro Christus Salvator Noster « humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem ».

6. Nec silentio videtur premenda illa quae in dies acerbius saevit excandescentia sexualitatis et voluptatis per omnes conditiones sociales, et per omnes statuum varietates, quin eam vitent Christiani, qui, nedum impedimento essent illi morum christianorum submersioni, illo fluctu ipsi rapti sunt. Ex hoc aere aphrodisiaco veram vastationem patitur iuventus, tum apud puellas quam apud iuvenes, quo fit ut pietas et usus sacramentorum et ipsa fides periculose minuantur aut etiam evanescant. Et quid de perturbatione et forsan depravatione conscientiarum?

7. Item, ex tanta demissione morum provenit lugenda multiplicatio divortiorum, et quidem saepe saepius in familiis quae christianae habentur et probatissima existimatione gaudentibus, quin aliqua reprehensione aut seria vituperatione moveantur animi. Unde scandalum mutuum semper latius patet. – Insuper, hodie advocati aut procuratores aperte praxi catholicae addicti coniugibus divortium etiam inconsulta Ecclesia petentibus coram iudice auxiliari annuunt. – Caeterum multi catholici legem indissolubilitatis matrimonii legem mere ecclesiasticam esse opinantur.

Ita morum effrenatio effectus simul et causa est naturalismi qui largius et profundius populum christianum sensim inficit.

III. *De re canonica*

Videtur optandum:

1. Ut clerici solemniter moneantur de necessitate ferendi habitum ecclesiasticum, abstinendi ab omnibus quae eos dedecent ad normam canonum 138-140, vitandi nimiam erga mulieres familiaritatem, horas canonicas regulariter recitandi; siquidem, graves quoad illa omnia irrepserunt abusus.

2. Ut ab impedimentis matrimonialibus gradus minoris valeant ipsi per se ipsos locorum Ordinarii dispensare.

3. Ut, sicut statutum est in Codice, non requiratur Beneplacitum Apostolicum in alienationibus bonorum ecclesiasticorum et aliis contractibus quo conditio Ecclesiae peior fieri possit, nisi agatur de bonis quae valorem excedunt *triginta millium francorum aureorum*. Siquidem, magis ac magis, et frequentius extenuatur monetarum valor.

Insuper, demographica evolutio, celeritas qua in urbibus, relictis agris, coacervantur incolae exposcunt in dies instantius aedificationem ecclesiarum, scholarum christianarum, locorum ad catechismum et alia opera apostolatus accommodatorum etc. quae omnia amplas requirunt expensas, necnon rapidas omnis generis tractationes (emptiones, venditiones, permutationes, mutuationes, cautiones etc.); unde si vigeat decretum Sacrae Congregationis Consistorialis quod exigit Beneplacitum Apostolicum ad negotia conficienda quando agitur ex rebus quae excedunt valorem *decem millium francorum aureorum,* iam multa morantur aut etiam omnino impediuntur.

4. Ut, datis penuria sacerdotum, exiguitate quarundam paroeciarum, necessitate actionem pastoralem, tum ruri, tum in urbibus, ad maiorem efficaciam accommodandi, magna utilitate cuiusdam homogeneitatis in paroeciis, Episcopus propria auctoritate valide et legitime valeat paroecias unire, transferre, dividere, dismembrare, supprimere.

5. Ut ad maiorem simplicitatem redigatur modus procedendi in remotione parochorum sive inamovibilium, sive amovibilium, praesertim in casu amotionis necessariae propter senium quod parochum suis muneribus rite obeundis imparem reddit, si per vicarium adiutorem bono animarum provideri nequeat, quod fere semper accidit.

Amotio parochi senio confecti et renuntiationem renuentis est res difficillima. Quapropter melius forsan esset si a primo decreto amotionis iam non esset amoto remedium praeter immediatum recursum ad Sedem Apostolicam.

IV. *De re pastorali*

1. Lugendum est multos praedicatores, etiam in ministerio missionum paroecialium aut exsercitiorum spiritualium abstinere a proponendis quibusdam veritatibus revelatis, v. g. doctrina catholica de « novissimis », aut in persona Christi praebere imprimis quae sunt hominis, parcius autem loqui de divinitate Salvatoris.

2. Apostolatus, hodiernus dictus, quantumvis necessarius, nullo modo pastores animarum eximit ab officiis primordialibus parochorum quae *Codex Iuris Canonici* describit praesertim in cann. 467-469.

3. Ad Actionem Catholicam, qua talem constitutam in Ecclesia, quod attinet, laicis, etsi propriam partem, et quidem magni momenti, in apostolatu habent, curandum est « nihil sine Episcopo » a fortiori praeter aut contra episcopum a quo missionem et mandatum tenent, suscipere: etenim missi ab ecclesia, Eam aliquatenus obligant et ab ea consilia iussaque debent filiali animo accipere.

V. *De re liturgica*

1. Postulantur inter alia mutationes in libris liturgicis praesertim in *Breviario* et in *Pontificali Romano.*

Quoad *Breviarium,* hic petitur ut quicumque inserantur textus in Officio divino (quod a pluribus annis iam elaboratur) illa servetur structura vi cuius « Opus divinum » etsi extra chorum recitatum, manet tum in sua compositione tum et in verbis « Opus publicum », nomine Ecclesiae persolutum.

Quoad vero Pontificale Romanum, petitur ut breviores fiant et clariores quedam functiones quae, in suo praesenti statu, fidelibus omnino imperviae existunt illisque taedium afferunt. Nominantur in primis « Consecratio ecclesiae », « Consecratio altaris », « Consecratio virginum » in quibus tot et tanta repetuntur, multi et longi psalmi recitantur.

VI. *De re spirituali*

1. Affirmetur, contra periculosum et vanum activismum, necessitas vitae interioris quae omnino requiritur ut Apostolatus sit vera efficacia praeditus.

2. Spiritualitas sacerdotalis illa sit essentialis et necessaria quae proponitur a Sancto Pio Papa decimo in *Exhortatione,* a Pio Papa undecimo in suis Litteris Encyclicis *De Sacerdotio,* a Pio Papa duodecimo in Exhor-

tatione *Menti Nostrae,* in recentibus Litteris Encyclicis Summi Pontificis gloriose regnantis Ioannis XXIII de Sancto Ioanne Maria Vianney.

Ista documenta saepe a sacerdotibus, ab alumnis Seminariorum legantur publice aut privatim.

Engolismae, die 24 novembris 1959.

✠ IOANNES BAPTISTA MEGNIN
Episcopus Engolismensis

9

EXC.MI P. D. AUGUSTI CESBRON
Episcopi Anneciensis (Annecy)

die 3 octobris 1959.

Episcopus Anneciensis, infrascriptus, consiliis sacerdotum peritorum adhibitis, ut, a longinquo, Concilium apparetur oecumenicum, notandum putat:

1. Ut *Clerici et quidem Sacerdotes,* permultis invitati motibus, in melius instruantur:

de *Coelibatu* servando
de *Breviario* legendo
de *Scientia* acquirenda
de *Zelo apostolico,* ut populos quaerant et salvos faciant omnes cuiuscumque status, parati ipsi fidelesque ad partes maxime spirituales.

2. Ut *Adulti, Iuvenes, Pueri,* materialistis sollicitati doctrinis, instituantur:

si *Catechismus* tradatur
si *Homilia* audiatur
si *Diaria* legantur catholica
si *Scholae* crescant catholicae
si *Sacramenta* admnistrantur
si *Actio Catholica* vigeat *laicorumque Apostolatus.*

3. Ut ad amussim statuatur quis sit *locus,* quid *negotium Sacerdotii et Laicatus,* omnibus ex partibus, sed praesertim in Actione Catholica.

4. Ut Status *Paroeciae* iterum videatur, cum viae apostolatus latiores fiunt in dies quam paroeciae.

5. Ut *Regulares* et *Saeculares* intimius consocientur in laboribus.

6. Ut *Liturgia sacra,* iuxta decreta S. Sedis recentia ducatur adhuc, praesertim si Officia postmeridiana spectas.

7. Ut *Familia* in matrimonio-sacramento vindicetur, et *Dies dominica,* cum undique voluptas et aurum vocant omnes.

8. Ut *Doctrina socialis* Sanctae Matris Ecclesiae Catholicae commemoretur.

✠ AUGUSTUS CESBRON
Evêque d'Annecy

10

EXC.MI P. D. VICTORIS IOANNIS PERRIN
Episcopi Atrebatensis (Arras)

Ref. I C/59-150 Arras, le 22 augusti 1959.

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Faveat Eminentia Tua, iuxta Litteras mihi sub die 19 iunii 1959 directas, hic accipere circa res futuri Concilii animadversiones meas; quae utcumque delibatae argumentum saltem exhibeant humilis erga Apostolicae Sedis arbitrium submissionis.

I

1. Oecumenicum Concilium elapso saeculo in Vaticana Aede habitum doctrinam catholicam tantopere praestitit, quod praecipuas sane Fidei veritates proclamavit, periculosiores illius temporis depulit errores, ecclesiasticae regiminis unitatem clarius sanxit cum nempe Cathedrae Petri primatus supremo in magisterio perpetuitatem atque infallibilitatem solemniter comprobavit.

Augusta vero Synodus, improvisis ac subitaneis ex adiunctis, interrupta est et discessit quin perficeretur integrum negotium prospectum, quoad praesertim omnis Ecclesiae auctoritatis exponendam rationem: nonne ideo opportunum foret ut, ad indeflexum dogmaticae explanationis cursum, pristina tantum incepta modo adimplerentur?

2. Proposita circa scilicet constitutionem « de Sede Episcopali », logice sequentem illam « de Pontifice Romano », diebus 28 augusti et 1 septembris 1870 sunt incepta, quae tamen ob Synodi prorogationem a discussis destiterunt: nonne congruenter reassumi possent?

Inde subordinata iurisdictio episcopalis corporis cum illa plenissima

Capitis, quae apud Romanum Pontificem omnino culmen tenet, composita distinctius appareret; tum ad profundiorem dogmaticam expositionem, cum ad exercitium tali modo forte dispensandum quo firmari valeret spes gregis extendendae unitatis, iuxta Summorum Pontificum vota: Haec respectivorum iurium enucleatio, tam Pastoris quam Ovium, ansam praeberet debitae submissioni earum orientalium ecclesiarum, quae propriis speciebus quanto tempore sunt imbutae, cum ita trutinata quam posse peculiarium ecclesiarum correlatione, sub absoluto Petri Sedis principatu, forsan falsa errantium praeiudicata minuerentur, immo, Deo opitulante, dissiparentur?

3. Alio ex capite, propositum Praesulibus distributum in Oecumenica 1870 Synodo, nempe « super apostolicis missionibus », quod tunc a Patrum discussione cessit, apud futuri Concilii negotia locum invenire posset, in subsidium adductis tot studiis hac de re hisce annis proditis, quas excitaverunt talia ac tanta pontificia documenta.

Quaedam autem « Racismi » genera hucusque grassantur atque multos inter populos, cuiuscumque tardissimae mentis reputatos, ardentes crescunt vindicationes et independentiae desideria: exhinc urgentis momenti assurgit causa, tam pro antiquioris cultus nationibus quam pro illis iunioris. Talibus in implacatissimis difficultatibus sane abundant quaestiones mere temporales sed nec deest spiritualis ratio, cui Concilum prudenter nonnulla doctrinae argumenta afferre posset.

4. Nec praetereunda problemata quae praecipue hodiernos agitant: cunctae Oecumenicae Synodi de contemporaneorum quaesitis sollicitae fuerunt, ad eadem sive fovendum, sive increpandum. Num cogitare liceret nostros coaevos huiusmodi moderaminibus haud amplius indigere?

Multa his in materiis articula opportunissime instruerunt Pii XII Encyclicae Litterae *Humani Generis,* quae adhuc salubriter exponerentur aut expanderentur: respectus « Technicae », ut aiunt, erga Religionem atque illius adversus hanc nocumentum, Materialismus theoretice necnon practice magis ac magis procedens, Existentialismus, dogmaticus Relativismus tot mentium invasor: talia essent capita attingenda ad nonnullos monendos qui se, sincero quidem corde, fideliter addictos Ecclesiae profitentes a recta tamen tramite deficiunt. Sic dictus « Irenismus », quem felicis recordationis Pontifex indigitabat, intentare non quiescit firmitatem fidei multorum; additur et istud maximum periculum quorumdam catholicorum qui, despectis iteratis hortationibus, communistis cooperantur.

II

Sed, ultra ipsius doctrinae capita, usque disciplinaria etiam statuta de more extenduntur Oecumenici Concilii sollicitudines.

1. Has inter videtur primum obtinere locum ea quae sic dictam « Ethicam Situationis » respiciunt, ubi in multis aberratio iudicii practici dolenda est: nam, tametsi istud systema nuper a Sancta Sede liquido reprobatum est, huiusmodi placita tanto sparguntur ambitu ut apud christianos non pauci reperiantur qui, quominus ipsamet theoria ab iisdem spectetur vel explicite invocetur, ex saltem istius fontis practicis deductis, sive contra connubialis foederis soliditatem, sive etiam contra sacrorum votorum fidelitatem, proprii lapsus vindicationes hauriunt.

2. Hisce in temporibus, diversis de causis oeconomicis politicisve, facilius ad extra moventur gentes ideoque in discrimen versatur Immigrantium christiana informatio: cuius tutamen pro posse committitur adventiciis seu eiusdem originis presbyteris aut tantum indigenis seu ipsorum locorum curionibus; utroque quantumvis adaptato ministerio, haec transgressa portio gregis nonnullis obnoxia habetur detrimentis. Nec mirum cum de sociologica periti conveniunt in adstipulando magnam partem, varias inter causas discessus vulgi a religione, tali ex patria eradicationi. Pretiosas directiones dudum attulit Apostolica Constitutio *Exsul Familia* qua ostenditur quantum Sedes Sancta exploratam habet tantam necessitatem; cui vero providendae adhuc praxis aliqua invenit obversa quibus superandis specialis forsan Concilii commissionis studium haud superfluum foret.

3. Aperta prorsus est actuositas liturgicae rationis quae, favente Almo Spiritu, populi christiani obtutum acquisivit. Cur tamen huiusmodi progressus meritis plausibus miscentur taediosa cura inepti archeologismi, falsae adaptationis vel nimiae accommodationis scabies; unde quidam inter clerum, sibimet arrogando Ecclesiae dumtaxat iura, facilius liturgicis normis proprias praeferunt laxitates? Ad istos compellendos abusus, quamvis iam non desunt recentiora Apostolicae Sedis monita, nec inutiles forent futuri Concilii labores.

Sacram romanam osculans purpuram, me profiteor, Reverendissime Domine, Eminentiae Tuae addictissimum in Christo servum.

✠ VICTOR IOANNES
Episcopus Atrebatensis

11

Exc.mi P. D. HENRICI AUDRAIN
Archiepiscopi Auxitani (Auch)

Eminentissime Domine,

Velit Eminentia Tua in his foliis invenire animadversiones, consilia et vota quae rogasti ut Pontificiae Commissioni antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico communicentur per litteras quas ad me misisti, die 18 iunii 1959, sub numero I.C/59-163.

Eminentiae Tuae, cum maxima reverentia, servum humilem et devotum me profiteor.

Auxis, die 23 augusti 1959.

✠ Henricus Audrain
Archiepiscopus Auxitanus

Ut responsum afferat iis quae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico a futuri Concilii partibus exquirere placuit, Archiepiscopus Auxitanus, quanquam facultatum suarum angustiae et scientiae suae theologicae ac philosophicae exiguitatis sibi conscius est, tamen unice motus oboedientiae et reverentiae animo, quoque melius voluntatibus expressis nomine Summi Pontificis a praedicta Commissione obsecundet, has breves affert adnotationes, quibus quae parva vis insit non ignorat, quaeque sine ulla dubitatione nihil addent iis quae a Hierarchiae membris, in doctrina sacra magis peritis, praestantique ingenio ac experientia de hodiernis quaestionibus considerata praeditis enucleabuntur.

I. *De quibusdam doctrinae capitibus*

1. Hodiernis temporibus non hoc vel illud dogma, sed Revelatio Christiana Universa, a Christianismi inimicis impugnari videtur. Itaque opportunum videtur, res quasdam repetendo quae iam in Constitutione Dogmatica *Apostolici Muneris Sollicitudo,* a Commissione praeparatoria « de Fide » pro Concilio Vaticano elaborata, inserta sunt, imprimis considerare nonne expediat gravem materialismi censuram instituere, immo condemnationem erroris huius pessimi edicere, quippe qui totam christianam fidem funditus tollat, cum supernaturalium veritatum negationem absolutam secum trahat? Liquet enim omnem religionem inutilem,

immo impossibilem evasuram, si abnuatur Dei existentia et animae, cum religio non sit aliud nisi summa relationum inter eas. Itaque supra indicabatur primum praedictae Constitutionis Capitulum, cui titulus est: « Materialismi Condemnatio ». Permulta enim sunt materialismi incommoda, quae adversus defendere oportet fideles, sive in ordine morali, sive in ordine familiali, sive in ordine sociali. Nonnulla infra notabuntur, cum tractabitur de hodiernis quaestionibus, quae futuri Concilii materiam constituere possunt.

2. In eadem Constitutione *Apostolici muneris sollicitudo* prospectum erat magis illustrare veram naturam relationum inter scientiam humanam et fidem divinam. Haec quaestio praesentior in dies evadit propter insignes scientiae inventiones et crescentes technicae profectus.

Sanctissimus D. N. Pius Pp. XII hanc rem iam aggressus erat in suo nuntio radiophonico ad diem Nativitatis Domini 1954. Quamquam non ignoratur technici progressus utilitas, tamen eius discrimina indicandi locus esse videtur, ostendendique mentem technicam periculum afferre generandi « aliquam vitae humanae conceptionem quae nihil est aliud nisi forma particularis materialismi ».

Curandum est itaque ut nihil despiciatur technicus profectus, « qui a Deo exoritur et ad Deum conducere potest et debet », sed ut simul ad exacta deducatur huius mentis technicae superbia, quae promissa sua solvere non potest. Tantum enim abest ut homini in terris impossibilem praestet felicitatem, ut materiales tantum ei commoditates praebeat, dulces quidem, sed voluptatibus sensibilibus terminatas, et solum hominis sollicitudines et angores augentes.

3. In materia omnino alia, quae maxime ad fideles Ecclesiae Catholicae pertinet, optandum est, quo efficacius succurratur gravibus incommodis quae generare potest propensio quaedam, nimis vulgata, ad minuendam Episcoporum auctoritatem eamque restringendam soli dioecesi cui Episcopus praeest, opponendaque, si necesse sit, alicuius Episcopi gesta cum actis alicuius Episcopi, ut delimitetur haec auctoritas, firmissimeque affirmetur « participatio gallice " solidaire " totius corporis Episcopatus Divinae Missionis totius Ecclesiae, sub auctoritate Summi Pontificis » ut scribit RR. DD. Garrone, archiepiscopus Tolosanus.

Haec Concilii asseveratio esse potest simul salutare admonitum et inaestimabile supplementum doctrinae Episcopatus: sic compleri potest « Constitutio Dogmatica de Ecclesia Christi » Concilii Vaticani, quae de solo Primatu Pontificis Romani tractat.

II. *De disciplina*

1. *Cleri.*

Necesse videtur clericos admonere ut integrum servent et quam maxime augeant sensum Ecclesiae.

Saepius enim inveniuntur sacerdotes qui inconsulta primi faciant, seque licentius habeant in rebus quae plus minus ad fidem, vel mores, vel disciplinam pertinent, minimeque curent quid putet, cupiat, vel mandet Ecclesia. Non est sufficiens prae se ferre ad Ecclesiam pertinere; oportet etiam filialis servitus Ecclesiae tribuatur. Ad hoc praecipue obligantur sacerdotes, ut se « formam gregis » exhibeant.

2. Religiosorum et religiosarum.

Licetne optatum exprimere ut mitigentur praescripta canonis 505 *Codicis Iuris Canonici* quibus prohibentur Superiores locales, seu virorum seu mulierum, munus suum gerere amplius sex annos continuos?

Accidit enim, praesertim in domibus religiosis in quibus iuventutis institutio peragitur, ut mutationes nimis iteratae Superiorum gravia incommoda afferant. Propter vocationum inopiam, subiectis egent qui hoc munus exerceant. Propter hoc, apostolicus finis intentus non attingitur ut oporteret, aut etiam domos claudere coguntur, haud sine detrimento evangelizationi, praesertim in regionibus agrestibus, in quibus domus religiosae rarissimae sunt.

3. Populi christiani.

a) Materialismo circumfuso et sensualismo oppressi fideles in discrimen adducuntur non modo mala exempla imitandi, quae sibi proponuntur, sed etiam patrocinia culpis et imbecillitati quaerendi, fallaces quae circumvehuntur doctrinas adhibendo.

Sensus eorum moralis confirmatione indiget. Ad illud enim eunt ut relativismi circumfusi participes fiant, notionemque boni et mali commisceant, omnemque notam absolutam ab eis auferant: bonum est quod, momento dato et circumstantiis datis, a maiori parte agitur; malum est quod plerique vetant. Talis sententia in pessimos errores perferre potest. Hoc cernitur praesertim in rebus quae spectant ad divortium, ad liberam unionem, et ad illud quod gallice dicunt « ménage à trois ». Perutile fuerit apertissime fidelium memoriam revocare ad legem indissolubilitatis matrimonii.

b) Simul ac sensus moralis fidelibus etiam sensus oboedientiae corroborandus est, quem Sanctissimus D. N. Ioannes Papa XXIII non dubitavit vocare « Virtus ignorata ».

Qua de libertate hominis sententia decepti, impelluntur multi ut

praescripta ab Auctoritate respuant. Deo ipsi abnuitur ius mandata edicendi. Etenim sub violationibus magis magisque iteratis praescriptorum de otio dominicali, de praesentia Missae die dominica, vel de abstinentia feria sexta servanda latet haec opinio erronea: non modo violantur mandata Dei vel Ecclesiae, sed etiam ius ex quo oriuntur controvertitur, immo negatur. Recte igitur scribi potuit « nihil urgentius esse quam fideles ipsos adiuvare in recipiendis relationibus ad Deum » (P. Danielou, S. I.).

III. *De quibusdam quaestionibus maioris momenti in hoc tempore et in hoc mundo*

Inter funestas consequentias quae ex regnantibus opinionibus oriuntur, ad quas fidelium animum advertere, et de quibus Ecclesiae mentem illustrare conveniens fuerit, haec segreganda videtur:

1. Primatus productionis in organisatione oeconomica praesenti, in discrimen adducens quodcumque est humanum.

2. Socialisatio increbrescens, quae gravior in dies facta est necessitatibus a societate compositis, quaque impediuntur homines ne suos actus praestent, augetur multitudinis potestas, amplificatur pertimescenda propagandae persuasio. Non praetereundum tamen videtur quod haec vita collectiva, magis ac magis propagata, adiuvare potest ut augeatur humana societas et uniuscuiusque charitas et religiosa in communi vita, planiusque intelligatur dogma de Communione Sanctorum.

3. Universalismum quoddam ortum magna ex parte ex hodiernis inventionibus quibus itinera minuta sunt, homines omnium nationum saepius congregantur, humanitates et gentes admiscentur. Quae omnia fideles iuvare possunt ut rectius intelligant Ecclesiae Catholicitatem; nonnulla tamen afferunt incommoda. Ex eis enim oritur dispersio quaedam mentis atque curiositas quae mentis dissipationem generat meditationemque impedit. Quin etiam, iterata cum diversis religionibus, theoriis et systematibus commercia fidei non satis eruditae parumque firmae nocere possunt; fides enim semper esse debet adhaesio tota veritati absolutae, atque hoc ipso temporum et societatum fluctuationibus elabitur.

4. Effrenata petitio efficacitatis, qua homines nihil dant pretii nisi effectibus praesentibus, tractabilibus, rebusque concretis, quaque homo mysteriis impenetrabilis fit sacrisque obdurescit, charitati clauditur, in se ipsum vertitur, virtutes proprie evangelicas habet contemptibiles: paupertatem, abnegationem, donum sui, et ad paganismum reducitur. Amor sui, violentia, voluntas prosperos exitus omni modo consequendi, humiles

a potentibus attriti, haec omnia sunt fructus detestabiles huius propensionis omnino summae Christianismi oppositae, scilicet amori Dei et proximi propter Deum.

Auscis, die 23 augusti 1959.

✠ Henricus Audrain
Archiepiscopus Auxitanus

12

Exc.mi P. D. LUCIANI LEBRUN
Episcopi Augustodunensis, Cabillonensis et Matisconensis
(Autun, Chalon e Macon)

Autun, 11 septembre 1959

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Tuam Excellentiam oro ut veniam des quod, invite, responsionem ad te mittendam « si fieri posset » ante Kalendas septembris, distuli. De ista mora humiliter me excuso quando, tam iulio quam augusto mense, in laboribus apostolicis, caeremoniis piisque peregrinationibus, mihi tempus contritum est.

Censeo episcopos a Commissione Pontificali invitari ut simpliciter et summatim indicent titulos capitulorum quae ad disquisitionem Concilii proponi possint.

Ea persuasione et ratione habita necessitatum dioecesis a Sancta Sede mihi commissae, existimo haec expedire:

ut accurate, ex multis recentibusque theologorum scriptis, locus partesque laicorum, praesertim in diversis coetibus Actionis Catholicae, assignentur;

ut perficiatur illa Breviarii emendatio, iamdiu nuntiata atque peroptata a nostris clericis qui, laboribus ministerii graviter onerati, mirantur amplissimas dispensationes quibusdam concionatoribus religiosis in hac re concessas;

ut continuetur Sacrae Liturgiae accommodatio ad nova postulata christianorum huiusce aetatis, cuius mores formaque vivendi a pristina consuetudine tam longe absunt. Recens vero mitigatio legum quae ad ieiunium eucharisticum pertinent, nova statuta de vespertinis Missis, necnon de Vigilia Paschali, felices et salutares fructus apud nos attulerunt;

Optabilis etiam est aliqua immutatio quarumdam Iuris Canonici par-

tium, ut hodiernis vitae conditionibus, ab antiquis tam disparibus, magis congruant. Quaedam « autonomia » (gallice: décentralisation administrative) utilis esset, ut opinor, ad facilius celeriusque solvendas quaestiones diversas quae quotidie ad episcopos deferuntur. Interesset enim ut firmaretur auctoritas episcoporum in suis dioecesibus.

Necessarium insuper videtur ut diligenter tractetur de modis quibus multitudini populari, a catholica fide tam alienae, via ad Evangelium aperiatur. Idem dicendum est de modis quibus plures ex generibus dissidentium ad unum ovile Christi promptius redire possint.

Dignare, Eminentissime et Reverendissime Domine, accipere religiosissima obsequia

humillimi et devotissimi famuli tui in Christo

✠ LUCIEN LEBRUN
Episcopus Augustod. Cabillon. Matiscon.

13

EXC.MI P. D. IOSEPHI URTASUN
Archiepiscopi Avenionensis (Avignon)

11 septembre 1959.

Eminentissime Seigneur,

Une mission confiée par la Sacrée Congrégation des Religieux a nécessité un déplacement à l'étranger et je n'ai pu faire parvenir à Votre Eminence le rapport demandé par la Commission antépréparatoire au Concile Œcuménique, dans les delais voulus.

Daigne, Votre Eminence, agréer avec mes excuses l'hommage de mes sentiments respectueux.

✠ JOSEPH URTASUN
Archevêque d'Avignon

Concilium erit sub protectione Beatae Mariae Virginis Immaculatae et ad Coelum Assumptae, sed forsitan non videbitur opportuna nova definitio doctrinae mariali, etsi sit conspicua devotio confessionum orientalium erga Dei Matrem et minus dissimulata invocatio Sanctae Virginis per non paucos protestantes.

Certe, unio christianorum non est prosequenda per deminutionem depositi fidei. Affirmationes Concilii Vaticani et actuum Supremi Magi-

sterii sunt resumendae, praecipue circa iura Dei et Iesu Christi, marxismum, laicismum, dignitatem personae humanae, unitatem Ecclesiae sanctae catholicae et apostolicae.

Episcopi, sub auctoritate Summi Pontificis, sunt pastores Dioecesium... Retento privilegio exemptionis, distincte stabilitur obligatio religiosorum laborandi ad animarum salutem secundum normas praescriptas per ordinarium loci. Habeatur unio inter Episcopos et Superiores Maiores, sicut inter sacerdotes cleri dioecesani et religiosi.

Auctoritas pontificia deberet apponere remedium inopiae sacerdotum in plurimis dioecesibus per officium pro Episcopis regentibus dioeceses sufficienter munitos mittendi operarios in messem Domini prope aut in locis longinquis.

Lex ieiunii eucharistici sit eadem pro sacerdotibus celebrantibus missam quam pro fidelibus recipientibus sanctam communionem i. e. tres horae aut una hora ante ipsam receptionem communionis. Ut Sacra Communio possit distribui extra missam etiam pomeridiem.

Sacramentum confirmationis possit ministrari aegrotantibus in articulo mortis pro primo praesenti ex sacerdotibus addictis in valetudinariis...

Praeses Commissionis episcopalis in Gallia pro Familia, suggero momentum revocandi sollemniter quae pertinent, iure naturali et revelatione, ad res familiae: indissolubilitas, praeparatio ad matrimonium, educatio puerorum, etc.

Prae oculis habito canone 1040, suppressio posset fieri impedimentorum gradus minoris, can. 1042 — cf. can. 1054: « Dispensatio a minore impedimento concessa, nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit ». Num haec legislatio potest extendi aliquibus aliis impedimentis?

Suppressio, sicut in iure orientali canonico, matrimonii conditionalis aut exigentiae eaedem requirantur pro conditione de praesenti et de futuro.

Cautiones stricte exigendae pro matrimoniis cum christianis non catholicis, et praesertim pro matrimoniis cum atheis, communistis...

In interrogatorio praescripto per Instructionem *Sacrosanctum,* requiratur responsio scripta non postulandi divortium.

Simplificatio quando postulantur duo impedimenta non eiusdem ordinis pro eodem matrimonio.

Ordinarii habeant facultates maiores pro dispensatione impedimentorum.

Pastoralis sollicitudo pro iis qui sunt in statu irregulari:

1) Post divortium: obligatio educandi iuxta legem christianam eorum filios.

2) Sacerdotes qui, pro fragilitate, contraxerunt matrimonium civile post recens bellum. Num potest in casu extendi reductio ad statum laicalem, sicut post revolutionem gallicam sed cum regulis praefinitis?

Aestimatio dignitatis sacerdotalis habeatur. Officium fidelium auxilium praestandi clero.

Seminaria dioecesana et interdioecesana sint adaptata apostolatui hodierno.

Lex clausurae pro monialibus et femineis religiosis minus stricta, cum prudentia accomodata necessitatibus vitae actualis.

Leges pro Actione Catholica et apostolatu laicorum.

✠ IOSEPHUS URTASUN
Archiepiscopus Avenionensis

14

EXC.MI P. D. ANDREAE JACQUEMIN

Episcopi Baiocensis et Lexoviensis (Bayeux e Lisieux)

N. 1 C/59-207 le 31 août 1959.

Eminence Révérendissime,

En réponse à la lettre reçue le 18 juin, j'ai l'honneur d'adresser à Votre Eminence l'indication de quelques sujets qui me semblent pouvoir retenir l'attention du prochain Concile Oecuménique.

Et daigne Votre Eminence Révérendissime, agréer l'hommage de mes sentiments très respectueux.

✠ ANDRÉ JACQUEMIN
Evêque de Bayeux et Lisieux

Gaudet quidem renovatione studiorum biblicorum quae est honori Sanctae Matri Ecclesiae et consuetudine legendi Sacram Scripturam ad fidem et pietatem augendam quae increbrescit per populum christianum, item multum probat opus sedulum ad aperiendam et hauriendam cogitationem Patrum ecclesiasticorum a theologis susceptam, putat tamen insistendum esse regulae fidei quae viget hic et nunc, id est magisterio ecclesiastico tam solemni quam communi sive Summi Pontificis sive corporis episcoporum. Timet enim ne laici, docti praesertim, in librorum inspiratorum explanatione sibi confidant plus quam auctoritati Ecclesiae.

Timet etiam ne quidam scriptores, ad propugnandas obsoletas propo-

sitiones, textibus Summorum Pontificum vel Episcoporum, e contextu sermonis excerptis, utantur.

Optat ut revocentur clerici et fideles ad obedientiam erga superiores ecclesiasticos. Multi enim de sensu Ecclesiae et de munere episcopali perpuchre vel splendide disserunt, pauci vero practice accipiunt et assumunt mandata et directiones Romani Pontificis et episcoporum.

Censet sic reformandum et renovandum esse ius canonicum ut magis ac magis simplex appareat. Nam vestigia multa antiquarum rerum earumque peremptarum et extinctarum vitam Ecclesiae multum gravant. Quid prodest servare leges (v. g. impedimenta quaedam matrimonii) super quas semper et pro quibuslibet motivis dispensatur?

Postulat ut explicentur et definiantur munus et partes laicorum in Ecclesia, specialissime quoad « actionem catholicam », utrum scilicet actio catholica dicatur apostolatus cuiuscumque coetus laicorum a hierarchia approbati vel impulsi an haec vox influxi similis in similem v. g. mulierum in mulieres, patronorum in patronos, opificum in opifices, praecise reservetur? Parum importat ratio verborum in usum adhibita, multum vero refert ut eadem verba habitualiter eodem sensu usurpentur.

Censet denuo examinandam et perpendendam legem de inamovibilitate parochorum. Frequenter enim evanescit Evangelii propagatio, in parochiis praesertim ingentibus, propter aetatem, valetudinem aut indolem pastoris qui autem ad inferiores ordines idoneus sit. Notio enim beneficii super quam innititur inamovibilitas in multis regionibus maximeque in Gallia prope evanescit et locum cedere debebit ideae laboris pastoralis. Admittit tamen aliquam pastoribus dandam esse securitatem ne propter nugatoria motiva frequentiusve transferantur.

Opinatur fines ecclesiasticarum provinciarum in historia quidem et antiquis temporibus fundatos multis in casibus non iam respondere geographiae quam dicunt humanam rebusque hodiernis, multo minus circumstantiis proxime futuris, et optat igitur novas delimitationes constituendas esse.

Existimat statuendum ut metropolitanis archiepiscopis potestas ita amplior decernatur ut vitari possint recursus nimis frequentes ad Curiam Romanam quibus nonnisi post longum tempus responderi potest. Licentiae nempe quae dantur pro conscientia et arbitrio archiepiscopi largiri possint velocius et cum meliore notitia circumstantiarum.

Exoptat ut sacramentum confirmationis administrari possit per vicarios generales, ut allevietur labor episcopi qui in multis dioecesibus debet in hoc sacramento conficiendo duos aut tres menses cuiusque anni consumere cum tanta festinatione quae noceat visitationi parochiarum et operi pastorali.

Censet sacro ordini diaconatus enixe studendum ut probetur an non sit opportunum hierarchiae sacrae, quae ex voluntate Christi episcopis, presbyteris et ministris constat, suam integritatem reddere, institutione aut renovatione diaconorum stabilium qui fungerentur munere, sive ad vitam, sive per longum tempus antequam ad presbyteratum promoventur.

15

Exc.mi P. D. PAULI GOUYON

Episcopi Baionensis (Bayonne)

Baionae, die 14 augusti 1959

Eminentissime Praesul,

Eminentia Vestra non dedignata est me consulere tamquam Episcopum Baionensem de iis rebus quae tractandae sint in proximo Concilio Oecumenico.

Ad Eminentiam Vestram humiliter nonnullas cogitationes deferre audeo, de quibus longius agitur infra.

1. Primo quidem de iis *quae ad doctrinam* pertinent.

Nulla habenda mihi videtur nova dogmatica definito. – Cum S.S. Pp. Ioannes XXIII ex animo cupit aperire viam quae ducit ad unitatem christianorum in Ecclesia, quod certe etiam ab Episcopis, presbyteris et fidelibus per totum catholicum orbem desideratur, valde optandum arbitror ne rationes nobis adhuc crescant dissentiendi a nostris fratribus separatis. Propterea, magna cum reverentia, votum facio ne proximum Concilium fiat occasio definiendi nova dogmata, eo magis quod in praesenti bonum Ecclesiae id requirere minime videtur.

De Laicis in Ecclesia. – De Laicis qui ad apostolatum vocantur praecipue per Actionem Catholicam, quaestio oritur acrior quaenam sit in Ecclesia conditio Laicatus. In iis rebus aliqua confusio regnare videtur. Necesse est subtilius determinare quae sint partes Laicorum in Ecclesia, quaerere quomodo res doctrinaliter fundetur, et investigare relationem huius officii tam cum sacerdotio fidelium quam cum sacramento Confirmationis. Quod opus certe daret fidelibus facultatem arctius percipiendi quam sit grave officium Ecclesiae servitio se addicere.

De Diaconatu. – Quaestio de Diaconatu nunc rursus magni momenti videtur apud nonnullos pastores, missionarios, et apud eos qui specialiter rebus pastoralibus curam impendunt. Utrum agatur de aliqua no-

tione mere analogica, quo in casu per aliquam ecclesiasticam institutionem simplicibus fidelibus mandatum canonicum dari posset, an ille diaconatus intelligendus sit sensu proprio reservandusque clericis vera potestate per ordinationem munitis? Difficile est dirimere causam quin prius status doctrinae revocetur.

2. In iis quae *ad Ius Canonicum* pertinent, plura alia problemata magni exitus fore mihi videntur pro Ecclesiae vita.

De vita Clericorum. – Clericorum vita spiritualis, saltem in Gallia, non satis lege statuta mihi videtur. In suis dioecesibus, sacerdotes vix per tres dies quotannis exercitiis spiritualibus vacant. Summum silentium eo tempore imponere difficile videtur. Quod tempus orationi addictum si nullum fructum non affert, nec tamen sufficiens apparet ut veram animae renovationem obtineant plerique qui exercitiis fruuntur. Eodem modo recollectio quae fit singulis mensibus, uniuscuiusque studio nimis committitur. Concilium statuere posset practicas certasque leges ut uberiorem effectum attingant supra dicta exercitia.

De parochorum inamovibilitate. – Nostris temporibus pastorale munus exigit ut presbyter diligenter studeat innumeris problematibus quae pro tempore oriuntur et deinde evanescunt. Ob oeconomicas mutationes, paucis annis in aliud mutantur regiones ubi multi parochi apostolatum exercent. Quando Episcopus eos amovere vult, inamovibilitatis normae offendit, et aleam subire debet canonici processus, qui impedit ne aliqua negotia confestim ordinentur cum res aliquando urgeat, nec certum habet felicem exitum. Ceteroquin saepe difficile est causam amotionis enuntiare contra honestum bonumque sacerdotem qui non aliter errat nisi quia motum rerum in sua paroecia iam sequi nequit, quem motum aliqui minoris momenti forte iudicant. Interea, animae in periculo versantur pereundi. Munerum inamovibilitas tollatur ut Episcopus sine difficultate suo gregi consulere possit.

De Actione Catholica. – Actionis Catholicae necessitas nondum ab omnibus accipitur, invitis documentis a Summis Pontificibus iteratis, invitoque unanimi Episcoporum consensu. Augeretur certe eius auctoritas si addicerentur ei nonnulli articuli *Codicis Iuris Canonici,* his perpensis quae ei communia sunt in diversis regionibus catholici orbis.

3. In iis quae *ad Sacram Liturgiam pertinent.* – Nonnullos ritus simplificare oporteret et magis congruere cum evangelica simplicitate. Nomina quibus vocantur Episcopi, honores qui eis tribuuntur, usus ante eos genuflectendi pertinent ad statum socialem iam obitum. Nostra ho-

dierna societas alienum habet animum ab his usibus. In aliquibus locis, verum impedimentum evangelizationi afferunt.

Haec sunt, Eminentissime Domine, nonnulla argumenta quae aggredienda optarem sin ipso Concilio, tamen Commissionibus quae laborem Patrum praeparabunt.

Unum adhuc addam. Licet talis investigatio summam verecundiam poscat, neque ob eam causam in corpore studiorum collocanda appareat quia praevidetur fore ut ad huiusmodi studia ardens malaque cupido cognoscendi impellat populum, animis tamen pendeo num illis diebus status canonicus non posset elaborari *pro clericis lapsis* post maiores ordines receptos.

Nostra aetate faciliores fieri videntur lapsus clericorum. Quamvis caute discernantur qui indicia praebeant ecclesiasticae vocationis, hoc tamen inopinatis rebus locum dat. In casibus inenodabilibus versamur. Intelligimus quosdam nunquam ordinandos fuisse ob perversas inclinationes in eis existentes. Si retinentur in militia clericali oritur scandalum, vel interdum gravissima peccata. Quae incommoda vitarentur si illi clerici spoliarentur suis privilegiis simulque suis obligationibus. Certe difficillima quaestionum! Attamen nonne attente consideranda!

Interim, qua par est reverentia sacram purpuram osculans, Eminentiae Vestrae me profiteor humillimum in Christo servum.

✠ PAUL GOUYON
Episcopus Baionensis

16

EXC.MI P. D. PETRI M. LACOINTE
Episcopi Bellovacensis (Beauvais)

S. P. 120/59 Beauvais, die 31 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Eminentiae Tuae Reverendissimae placuit, in epistola optima mensis iunii recentioris, mihi significare Summi Pontificis voluntatem episcoporum vota praenoscendi qui Concilio oecumenico vocati adsisterent.

Quo desiderio ut respondeam, Tuam Eminentiam rogo ut his litteris adnexum velis habere votum quod filius oboediens concepi.

Cum propositum elaboravisset Rev.ma Curia Archiepiscopalis Provinciae nostrae ecclesiasticae Rhemensis, auctoritate Rev.mi Archiepi-

scopi nostri Aloysii Marmottin, ab hoc proposito votum nostrum ex parte ducere aestimavimus atque dioecesis Bellovacensis animadversionibus complere.

Eminentiae Tuae Rev.mae sacram purpuram dum osculor, in Christo me profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
servum addictissimum

✠ PETRUS MARIA LACOINTE
Episcopus Bellovacensis

VOTUM

Ad Doctrinae capita quod attinet

Optandum videtur aliqua et de fide et de Ecclesiae natura Concilii Vaticani resumi elementa.

De fide autem, cum fideles hisce temporibus Scripturae Sacrae ardore student renovato, nobis utile videtur instare ut Sacrum Concilium ante oculos omnium ponat et quanta utilitate sint indagationes biblicae a sacro Magisterio commendatae, et quod munus habet Christi Ecclesia sacros Libros tradendi necnon interpretandi intra divinam Revelationem, quae Ecclesia est Ipsa Revelatio. Quam doctrinam lucidissime exposuit Pius Papa XII litteris encyclicis *Divino afflante Spiritu* et *Humani generis*.

De Ecclesia vero, duplici de causa progrediens enucleatio utilis apparet. Ita *positive* fovebitur affectus membrorum Ecclesiae erga providam Matrem et dissidentes ad reditum invitabuntur; *negative* arcebuntur opiniones quae minus caute in hac parte, nostris temporibus, profiteri potuerunt. Et quod ita sit, ea quae infra legentur innuere videntur.

Ad rem facere videntur ea quae refert Exc.mus D. D. Iosephus Lefebvre, Bituricensis Archiepiscopus, in opusculo cui titulus: *Rapport Doctrinal,* Coetui Episcoporum Galliae die 30 aprilis 1957 praesentato.

Pagina 25, scribit Exc.mus Auctor sub titulo: « Le Chrétien doit approfondir le mystère de l'Eglise »:

« L'amenuisement des vues surnaturelles empêche beaucoup de nos chrétiens de comprendre à quelle hauteur se situe l'action de l'Eglise. Celle-ci, comme son Chef dont elle continue l'œuvre, glorifie le Père en sauvant, par la grâce, les âmes et le monde... Mais son action, lente, discrète, profonde, échappe en grande partie à l'expérience humaine. Nos contemporains sont pressés; ils ont besoin de voir, de palper, d'ex-

périmenter, de constater. Instinctivement, ils rabaissent l'œuvre de l'Eglise au niveau de leurs préoccupations dominantes. De cette Eglise ils font une administration, une organisation puissante à laquelle ils reprochent ses formes désuètes et son manque d'efficacité... De même qu'on a perdu le sens de Dieu, le sens du péché, on perd alors le sens de l'Eglise... ».

Maximi momenti interesse videtur ut arguantur et anathematizentur errores qui fideles decipere possent.

At vero si integra doctrina catholica dilucide apertisque verbis exprimatur, iisdem fidelibus multum profuerit, ut ait Cl.mus Auctor his verbis:

« Seule une vraie foi en l'Eglise préserve le chrétien de toute déviation;

L'autorité de l'Eglise visible est voulue par Dieu;

L'Eglise visible ne fait qu'un avec l'Eglise des âmes;

Différence essentielle entre le sacerdoce du prêtre et celui de tout chrétien ».

Christifideles autem non solum sperant nos operam dare ut a periculis sanae fidei imminentibus caveant; expetunt insuper fidem suam ita aperte edisseri ut ab ea autem alliciantur ipsi, eadem vero ab ipsis diffundi possit.

* * *

Ut pressius loquamur, optanda foret declaratio Magisterii circa Ecclesiam « visibilem » eamdemque « invisibilem », deque inter utrumque conceptum mutua necessitudine. De novo, proferenda essent schemata in Concilio Vaticano parata « De Episcopatu », ut in luce ponatur ecclesiastica Hierarchia.

Necesse est exprimere qua dignitate et auctoritate praestant Apostolorum successores quibus mandatum est Ecclesiam Christi collegialiter docere et, secundum iurisdictionem regere, sub primatu Romani Pontificis, ita ut, praeciso statuto munere sacrorum Dicasteriorum quodque eorum in sua competenti agente, locorum Ordinarii proprio autem munere fungantur, duce divi Petri Successore cui coniuncti sunt.

Evolvenda foret eiusdem cum Laicatu consuetudo, quod eo magis necessarium apparet quo laicorum cum Clero in dies requiritur ad opus apostolicum actuosior conspiratio. Nec omittenda esset delineatio laicalis muneris in hodierna ecclesiastica efficientia, ita ut dilucide appareat Sponsae Christi unitas consona. Laicale munus Scripturarum auctoritate nititur et priorum saeculorum usu ecclesiastico. Quin etiam in lucem profertur et Baptismi (praesertim adultorum) liturgia et Confirmationis,

quae salutaris ostendenda est cum sua tota abundantia doctrinae et vitae.

At ubi consuetudinem Hierarchiae cum Laicatu consideraretur, non tantum cogitandum esset de fidelibus in aciem Actionis catholicae militantibus, sed altius insideret quaestio de relationibus Ecclesiam inter et Statum.

Paulum modo evolvendum argumentum. Magna quidem hodie oritur sollicitudo de Actione catholica ut vita catholica totam actionem humanam, etiam quae profana exsistit, imbuat; et iure meritoque.

At si vita catholica quodcumque negotium, quamcumque artem seu professionem, si etiam officinam ingrediatur oportet, non minus desideratur ut vitam politicam pervadat, eo vel magis quo hodie plus quam nullo temporum anteactorum maiores partes Status assumat in vita civium. Si gubernii civilis munus est ordinare cives in bonum commune, temporale utique, iam praescindere nequit ab ultimo creationis fine.

Et quidem gratulamur de progrediente in pluribus nationibus Democratia christiana. Nihilominus multae cautionis semper fuit definire habitudinem eorum quae sunt Caesaris ad ea quae sunt Dei. Accedit quod hodie non eodem oculo quam antiquitus considerandae veniunt relationes Ecclesiam inter et Statum, cum propter diversitatem opinionum in campo religioso plura gubernia debeant aequam tolerantiam profiteri. Cavendum est tamen ab omnimodo neutralismo, praesertim *negativo* qui concluderetur in silentio et abstentione. Optamus siquidem, prout natura rerum et instauratus a Deo supernaturalis ordo exposcunt, convergentem actionem utriusque potestatis, uniuscuiusque in proprio terreno, ad gloriam Dei promovendam. Doctrina de *sana laicitate,* de qua pluries sermonem habuit Pius Pp. XII, forsitan alicui Schemati de relationibus inter Ecclesiam et Potestatem civilem incorporanda esset.

* * *

Ut autem vocis ecclesiasticae magisterio, maiore cum uniformitate, christianitas imbuatur cuncta, plures possent optare resumi consilium in Vaticano initum de Catechismo universali ad Populum. Arbitramur vero hoc fieri non posse vel minus idoneum: litteralis enim uniformitas mente concipi nequit. Melius existimaretur et utilius « Directorium » quoddam in quo legerentur consilia apta ad diversa genera hominum et puerorum catechizanda, ut iam indicavit Sacra Congregatio Concilii.

Ad disciplinam et ad iuris revisionem quod spectat

Alia sunt quae pertinent ad quasdam, ut aiunt: *reformationes structurae,* alia quae potius singula minute intuentur.

Quoad prima, quae sunt generaliora, non uni tantum apparet Ecclesiam, dum magis ac magis apostolicae expansioni incumbit, Iure concepto pro societate plene stabilita regi. Aliis verbis, magis quam alias unquam Ecclesia est « *in fieri* » et tamen adhuc regitur ut « *in esse stabili* »! Res exemplo plana fiet. Cura animarum seu officium parochi a Codice praecipue consideratur ut *beneficium,* a iure tali modo munitur ut integra maneat conditio beneficiarii cuius *inamovibilitati* potius consulitur. Nonne magis animarum emolumenti sollicitudo habenda esset, ut praesules expeditius et flexibilitate maiore providere possint populi necessitatibus?

Ad personarum conditionem quod attinet, rationem habendum est fideles ubique vivere mixtos cum paganis vel haereticis: ex quo evenit ut inveniantur et pagani qui ad fidem contendunt et, proh dolor!, fideles vero baptizati qui re vera ad statum paganorum redierunt. Arduum est leges aequaliter exercere quae ex parte autem ad infideles, ex parte vero ad omnes baptizatos spectant.

Statuere optandum est de iuribus et officiis catechumenorum, disciplinam emendando qua locus quidam illis in Ecclesia datur.

Providendum est praeterea qua ratione leges observentur ab his qui in praxi lapsi sunt aut apostatae.

Distinctio quaedam habeatur inter haereticos ex sua voluntate et haereticos ex origine (ob institutionem vel familiam).

Si ad ipsam Nationem attenditur, particularismo aliquantulum laborare videmur. Equidem de iure divino Ecclesia universalis in peculiaribus territoriis sub regimine singulorum pastorum partitur; nihilominus tamen recte desideratur maior inter diversas dioeceses vicissitudo. Ita v. g. frequenter et magis normalis fiet transitus sacerdotum e regionibus clero ditioribus ad eas quae magis indigent.

Hinc necessitas conventuum episcopalium pro tota natione. Revera, hoc plus minusve ubique de facto institutum est, sed optandum forsan esset ut quod iam in praxi ductum est, mox a Iure consecretur. Provinciae, prioribus temporibus constitutae, mutatis tractibus vitae, non semper videntur hodiernis necessitatibus sufficienter respondere.

De caetero, quin ullam contradictionem propositum nostrum continere videatur, si actio magis uniformis desideratur inter dioeceses, potius aucta libertas optatur in administratione Ecclesiae universalis (une

décentralisation). Verbi gratia, episcopi possent amplioribus facultatibus gaudere ad dispensandum super lege ecclesiastica. Equidem aliquibus Ordinariis facultates libenter conceduntur, sed cur non inscriberentur in ipsa lege quae nunc mere de gratia elargiuntur?

In hoc, dicimus, nulla appareat contradictio, quia si ex una parte aucta unitas proficit ubi actio apostolica alicuius amplitudinis movenda est, ex altera maior velocitas impendenda est ab unoquoque praesule quando agitur de negotiis ordinariis expediendis.

Semper valet idem principium: Ecclesia instruenda est omnibus mediis quibus missionem suam alacrius obire potest.

* * *

Secundo: de his quae singula respiciunt, en capita quae materiam deliberationis suppeditare possent.

1. *Pro disciplina Monialium*: consulendum esset saniori statui psychologico plurium, v. g. per domos ad feriandum, per tempora relaxationis modo generali instituta. Non semel auditur moniales quasdam vita nimis tensa laborare, non sine gravi damno etiam spiritus.

2. *Quoad Religiosos exemptos*: aliquando desideraretur a parte eorum actio cum clero saeculari magis consona. Consilia sua planius cum Ordinariis conferre deberent; hi melius norunt conditionem qua versantur populi.

3. *Quoad Sacramentum Baptismi*: novam efficaciam acciperent Adultorum Baptismi disciplina et ritus, si ipsis redderentur antiquae normae cum solemnitate maiore et repartitione coeremoniarum, inter plura tempora insertis, iuxta catechesim prolongatam, locum habentem in paroeciarum vita liturgica.

4. *Quoad Sacramentum Poenitentiae*: nimis complexa est legislatio de casibus reservatis; optanda est reductio ad simpliciorem formam.

5. *Quoad Sacramentum Matrimonii*: augenda esset potestas episcopalis ad dispensandum super impedimentis; examini subiiciendus esset elenchus impedimentorum; sunt aliqui qui forsitan obsoleverunt.

6. *Relate ad cultum*: servanda est legitima rituum diversitas et oboedientia superiori competenti in memoriam reducenda. Ille autem superior diversis necessitatibus annuit cum benignus concedit usum quemdam linguarum vernacularum ac officia diligenter renovata promulgat.

7. *Relate ad professionem fidei*: melius esset fidei professionem exigi tantum pro rebus maioris momenti, per formulam unicam, brevem, eamdem in omni loco, quae contineret praecipua fidei articula, et pro-

missionem se submittendi Matri Ecclesiae necnon, secundum pondus, eius legibus canonicis et liturgicis.

Datum Belvaci, ex aedibus episcopalibus, die 30 augusti 1959.

✠ PETRUS MARIA LACOINTE
Episcopus Bellovacensis

17

EXC.MI P. D. RENATI FOURREY
Episcopi Bellicensis (Belley)

Bellicii, die 25 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteras Eminentiae Tuae Reverendissimae N. I C/59-217 diei iunii 1959 tempore opportuno recte accepi.

Ad quas exequendas, in eodem plico Eminentiae Tuae Reverendissimae breviter communico animadversiones, consilia et vota quae postulare dignatur circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Insuper, ad mentem Suae Sanctitatis Ioannis XXIII Summi Pontificis, supplices preces ad Deum admoveo ut sit optimus futuri Concilii exitus.

Eminentiam Tuam Reverendissimam precor ut obsequium dignetur gratum habere meae servitutis in Domino.

✠ RENATUS FOURREY
Episcopus Bellicensis

Optandum nobis videtur ut per futurum Oecumenicum Concilium perlucide mundo manifestum fiat Ecclesiam Catholicam, inter hodiernas perturbationes, stare solam Institutionem sanctam quae possit diversis casibus superstare et hominibus praestare lumen et auxilium quibus indigeant.

Sequitur brevissimum summarium rerum et argumentorum quae proponi possint Augustissimi Coetus deliberationibus.

I. *Quaedam Ecclesiae Doctrinae capita nostris temporibus specialiter proponenda*

A) Circa praecipuas intellectuales tendentias nostri temporis, scilicet: humanismum scientificum, evolutionismum, etc.

B) Circa sociales quaestiones: marxismum, capitalismum.

C) Circa internationales quaestiones: odium adversus gentes alienas, bellum, populorum nationumque independentiam.

D) Circa familiales quaestiones: ethicam coniugalem, puerorum procreationis officium necnon educationis, scholarum quaestionem.

E) Circa quaestiones ad individualem conscientiam pertinentes: ethicam situationis...

II. *Ecclesiae doctrina circa opus evangelizationis*

A) Evangelium Christi praedicandum est omni creaturae (Missiones, persecutiones, etc.).

B) Sacerdotum munus proprium in apostolatu.

C) Laicorum munus in apostolatu (Actionis catholicae species diversae).

III. *Ecclesiae doctrina in iis quae pertinent ad separatos fratres*

A) Genuina Ecclesiae natura.

B) Vota circa unionem.

IV. *Accommodatio ecclesiasticarum Institutionum ac methodorum ad hodierni mundi necessitates et rationes*

A) Adaptatio Iuris canonici.

B) Adaptatio Iuris liturgici.

C) Investigatio facienda de structura vel disciplinari dispositione ad statum hodiernae societatis adaptata et ad magis coordinandam actionem episcoporum et diversarum personarum apostolatui addictarum ordinata.

18

EXC.MI P. D. MARCELLI M. DUBOIS
Archiepiscopi Bisuntini (Besançon)

Besançon, le 29 août 1959

Eminence,

Dès demain, je l'espère, mon secrétaire pourra dactylographier mes notes pour le Concile.

Je n'y ai rien étudié à fond, pensant que Votre Eminence voulait surtout, à ce premier contact, des idées assez générales.

Ces lignes ont été rédigées au Mans, où le souvenir du Cardinal Grente, mon frère en Dieu, est si vivant. Il vous estimait très hautement.

Daigne Votre Eminence agréer l'hommage de mes très respectueux sentiments en N.-S. et N.-D.

✠ MARCEL MARIE DUBOIS
Arch. de Besançon

R. I C/59-2612 31 août 1959

Eminentissime Seigneur,

Etant très occupé par les préparatifs spirituels et matériels de mon sacre fixé au 30 septembre je me vois à mon grand regret dans l'impossibilité de fournir un travail sérieux un peu complet sur un sujet aussi grave que la préparation du prochain Concile.

S. Exc. Mgr Dubois Archevêque de Besançon en ayant jugé ainsi avec moi je demande humblement à Votre Eminence d'accepter mes excuses.

Daigne Votre Eminence Révérendissime agréer l'hommage de mes sentiments les plus respectueux.

✠ GEORGES JACQUOT
Evêque d'Irénopolis de Cilicie

I – QUAEDAM DOCTRINAE CAPITA

Sequentia capita revocare maximi momenti videtur:

1. *Peccatum originale* existit! cum consequentiis quae affert.

Homo *actualiter* peccat.

2. *Vera libertas* est libertas secundum Deum et Eius mandata.

Plurimi et gravissimi errores ex falsa libertatis notione derivant: « le flirt », imagines inhonestae in diariis et « cinema » nihil momenti habent; sacramentum poenitentiae inutile fit!

3. *Deus existit!* Bona esset clarissima, in genere et non tantum in communismo, atheismi, materialismi, laicismi condemnatio.

4. Cum Deus sit dominus et primus dominus, homo non est *sui dominus,* sed creatura Dei.

5. *Salus,* etiamsi multum adiuvetur a « communitate », est res *personalis.*

6. Iesus Christus est *Rex* et *Dominus* (personarum, societatum...) et, saltem de facto, *Redemptor*: « propter nostram salutem », « in remissionem peccatorum ».

7. Unde Sacrificium Missae est, essentialiter, non convivium, non alicuius consortii hominum precatio, sed *Sacrificium.* (Hodie notio sacrificii faciliter reiicitur: ne impediatur personae humanae sublatio!).

N.B.: Restitutione ultimorum capitum non facta, *sensus vitae Christi, et Eius amoris, et Redemptionis, et missae,* evanescet.

8. Restaurandus est, praesentiae Iesu causa, amor *cultus in ecclesiis eucharistici*: missa finita, Iesus Christus in tabernaculo habitat! (Quis, aliquando, crederet?).

9. Omnia sacramenta, et non solum baptismus, sunt sacramenta. Sed sunt tantum septem. (Verbum « sacramentum » usurpatur pro rebus quae sacramenta non sunt).

Sacramenta (et gratia) primum in *persona* efficacitatem habent.

10. *Oratio* debet esse personalis (et non solum « communitaria »): Dominus Noster Iesus Christus, Exemplum, cum aliis sed etiam saepe solus, precatus est.

11. *Sanctorum cultus* est optimus; idcirco non omittendus est. (Hodie subrutus est: sunt ecclesiae sine statuis et sine specularibus figurativis, contra fidelium pietatem et educationem).

12. « *Ecclesia docens* » est « capitale » elementum Ecclesiae: Christus, qui est Caput, expresse hoc voluit (in aliquibus pastoribus et fidelibus est crisis fidei erga « Ecclesiam docentem »).

Inter fontes divinae veritatis, praeter Sacram Scripturam (interpretandam in Ecclesia) hodie et fortuna meliore cultam, existit etiam *Traditio.* Qui non ex duabus fontibus haurit, non Christi est.

Summus Pontifex et Episcopus in sua dioecesi, habent potestatem *gubernandi.* Unde habent ius leges ferendi: cui respondet officium obedientiae.

13. *Sacerdotium* plenum est episcopi.

Sacerdotium secundi meriti est sacerdotis.

Sacerdotium fidelium est alii ordinis (cfr. Pius XII, qui essentialia de re dicit).

Hoc ultimum caput est caput *doctrinae,* cuius consequentiae maximi momenti erunt quoad apostolatum, liturgiam, etc.

Conclusiones practicae et vota

1. Doctrina *clara* de his capitibus, in Seminariis, accurate et perseveranter detur. Et detur ex lege in *manualibus* (ut episcopi doctrinam traditam cognoscant). Et detur in manualibus *linguae latinae* (ne doctrina fluctuet inter varios sensus verbis datos, vg. « sacramentum »: hic est modus principalis ad vocabulorum usum exactum.

2. Importune et opportune revocentur:

a) valor doctrinalis horum quae Pontifex maximus (in Encyclicis, contionibus publicis, etc.) et episcopi « docent »; officium assentionis erga eorum doctrinas;

b) obedientia erga eorum mandata. (Malorum unum huius temporis est liber examen, individualismus. Aliqui, in dogmatibus, sua dogmata eligunt, praedicant et non docent alia. V. g.: Praedicare de morte, de inferno etc. est officium grave).

3. Cum Ius publicum Ecclesiae in quibusdam capitibus doctrinae hodie labantibus versatur, hoc in Seminariis docendum esse iubeatur.

Votum cum amore

Definiatur B. M. Virginis Maternitas spiritualis: non quoad modum (de quo certatur), sed de facto (in quo omnes, episcopi et fideles, omnino conveniunt: agitur de maternitate spirituali per vitam Mariae terrestrem et per vitam nostram. Mea studia recentiora, non iam a priori, sed nunc a posteriori, fidem generalem huic maternitati demonstrant). Haec definitio remedium erit, et dulcedo, ut familia, « laboris mundus » (patroni et operarii), nationes etc., in vera et desideratissima caritate tandem vivant: Haec est mater, et sola mater. Sed oportet hanc veritatem penetrare in vitam practicam.

II – Disciplina cleri

Aliqua facta: in re liturgica, magna est saepius perturbatio: qua aliqui episcopos cogere volunt;

Sacerdotes scholae christianae adversantur;

Alii suffragia « socialistis » ferunt et fidelibus hoc suadent, *etc.!*

Aliis verbis: est aliquando desiderium, fere morbidum, evertendi,

mutandi; falsae libertatis ventus saevit; accidit calamitose quod auctoritas Summi Pontificis et episcopi proprii, tam in disciplina quam in doctrina, in cuiusque iudicium vocatur.

I. *Sanctificatio cleri* ante omnia refert. Unde

1. principatus *pietatis* praestat:

a) oratio mentalis et visitatio S. Sacramenti *quotidie,* et exercitia spiritualia *quoque anno praecipienda* sunt;

b) *breviarium*: eius obligatio revocanda est (nam frequentius relinquitur): id maximum est. (De breviario, relatio provincialis olim missa est. Sed, S. Congregatio Rituum celeriter agat!);

c) *Confessor,* etiam idem, non sufficit: quisque sacerdos *directorem spiritualem* habere debet. Hoc est res magni et maximi momenti. Si hoc fieret, vita spiritualis sacerdotum integra et optima facilius servaretur.

Cum aliqui sacerdotes confessarium habitualem, a fortiori directorem, non habeant, votum: *Codex iuris canonici* dicat: nomen confessarii habitualis superiori ecclesiastico immediato declarandum esse.

2. « Imitamini quod tractatis, quatenus mortis Dominicae mysterium celebrantes, mortificare membra vestra... »; « hostia pro hostia ».

Vita sacerdotis supponit *sacrificium*; est vita « cleri », i. e. separati. Has fundamentales et felices notiones clerus oblivisci non debet.

Unde memoranda sunt; simplicitas vitae; cauponarum non frequentatio, etiam per speciem apostolatus etc.

Et *castitas*: haec, prudentiam erga mulieres postulat. Sacerdotes ergo sint prudentissimi quoad *a*) itinera cum filiabus, in vehiculis praesertim privatis, *b*) directionem foeminearum societatum: ne « tuissent »; *c*) muliebres scribas iuvenes in mensis (bureaux), et hic, omnes exemplum dent; *d*) admissionem mulierum in sua propria loca, etiam ad coetum apostolatus praeparandum.

N.B.: celebratio missae, si sacerdos in conspectu populi vertitur, et sine *maiore* intervallo inter se et fideles, periculosa esse potest: tam sacerdoti, ad mulieres quasdam oculos adiicienti, quam mulieribus (pulchram celebrantis pietatem libenter considerantibus!).

Votum: Pietatis associationes sacerdotales aperte et valde Codice commendentur.

3. *Habitus ecclesiasticus*: ne tollatur! « secundum locorum consuetudines ».

Et habitus chori in coeremoniis induatur (cleri ne eis adsint « in nigris »: semper agitur de propensione ad laicis congruendum).

Sed commendanda est simplicitas (etiam episcopis, coeremoniis ex-

ceptis): fastus a plebe abest, etiam a fidelibus. Non tamen honores ecclesiastici tollendi sunt: favorem Episcopi, aut Sanctae Sedis, ostendunt, quod est bonum.

II. *Valetudo*. Quando clericus morbo mentali laborat, praesidium petere debet medici « psychiatrae » *valde catholici* qui gratiae et sacramentorum valori credat (et *nunquam* medico non-catholico, *calamitatum periculo* pro hoc clerico et *aliis* per eum).

III. Officia *essentialia* sacerdotis revocanda sunt:

1. Praedicare: nam exercitia spiritualia et conventus quae ad apostolatum pertinent, non ad multos pertinent. Sed praedicatio versetur in rebus religionis (cum « incidentiis » temporalibus) et non in rebus temporalibus (cum « incidentiis » spiritualibus).

2. Amorem S. Eucharistiae, etiam Praesentiae realis, dare: verbo, et exemplo.

3. Visitare infirmos, a fortiori morientes.

4. Plenam sanctificationem diei Dominicae restituere.

5. *Sacramenta*:

In genere: ministerium sacramentale, etiam humillimum, est primum officium, quod non est contemnendum.

a) *Baptismi administrandi locus* debet esse — periculo mortis excepto — ecclesia paroecialis et non nosocomium (ut saepissime accidit). Si non, felix renovatio liturgica vigiliae paschalis, cuius benedictio aquae baptismalis est fastigium, omnino inutilis fuerit: paroeciae sunt in quibus haec aqua non ex usu est!

b) Communio: sacerdotes hanc dare debent etiam extra missam.

c) Poenitentia: hoc sacramentum sacerdotes, pro se et aliis, magno aestiment.

Aliis verbis: sacerdos ad spiritualia ordinatur (et per spiritualia agit) et non (nisi per accidens) ad temporalia.

IV. *Parochi*. Maxime optandum est parochos omnes esse amovibiles; quando parochus fit inhabilis (aetatis, morbi, scandali, malae administrationis causa, etc.), episcopus ei officium auferre debet. Hoc etiam faciliorem faciet paroeciarum congregationem, ita ut sacerdotes urbibus, magis et magis magnis, tandem dentur. Eo magis quod, in parvis paroeciis, parochus iuvenis taedio languescit, cum malis quae hoc taedium comitantur.

V. *Vicarii foranei*. Eorum auctoritas firmanda et proferenda est: non solum res administrationis, sed pastorales et spirituales in eorum toto territorio, spectet. Multa iam facta sunt: in codicem transeant.

Sacerdotes ministerii paroecialis valde incitentur ut, ad aliquam rationum agendi similitudinem et unionem, « coetibus laboris » pastoralibus sub auctoritate vicarii foranei adsint.

VI. Difficile problema, saltem in usu:

Commercia inter, hinc, parochos Episcoposque, illinc, sacerdotes « operum » curam habentes in territorio nationali, dioecesano, etc., sive per se sive per diaria: principium — « episcopus dux est apostolatus in sua dioecesi » — per illos sacerdotes periclitari potest.

VII. *Sacerdotes Religiosi* (monachis plerumque exceptis):

1. Actio eorum apostolica episcopi voluntatibus obsequenda est: idcirco religiosi, cum in dioecesi ministrant, has voluntates cognoscere debent: non sint immunes (francs-tireurs). Et Codex hoc dicat.

2. Maxime optabile esset. Sedem Apostolicam « dioecesibus pauperibus » aliquem horum religiosorum numerum attribuere. Sed, quomodo?

N.B.: Instituta saecularia permulta sunt! nimis?

VIII. *Episcopi. Potestates episcoporum* non sunt paulatim circumrodendae! Episcopi enim non sunt praefecti. Sed maxime expedit S.S. Congregationes multis rebus vias magnas delineare.

V. g.: Facile est, et potestati « gubernandi » conforme, episcopos:

1. Monialibus facultates dare quando hae facultates, in actuali aere circumposito, a bona mente sint (quin indultis, sive temporalibus, sive singularibus, recurrant).

2. Gubernare in propria dioecesi domus Congregationum in dioecesi domum principalem habentium, etiam post « decretum laudis »: mutatio, ipso facto, in congregationem iuris pontificalis non felix est.

3. Non ad Congregationes confugere, et hoc pluries, ut parochum in prelati locum nominent.

Haec « centralisationis » minutio in Ecclesiis orientalibus valde necessaria est, praesertim ad unitatem. Ecclesia latina det exemplum.

Votum pro confirmationis administratione:

Hoc sacramentum, in magnis dioecesibus, est onus grave: pueri enim sunt *permulti.* Felix esset quod de iure vicarii generales confirmationem dare possent, si et quando episcopo placeret (v. g. valetudinis causa).

IX. Oportet notiones dioecesis et incardinationis tutari: illa incardinatio non solum est iuridica (cum *optimis consequentiis*) sed sacerdotibus incardinatio profunde cordi est: amare proximos magis quam remotos est secudum legem moralem. Ecclesia dioecesana eligitur et diligitur ut sponsa: nullum divortium faciendum est.

X. *Quaedam Officia ecclesiastica laicis,* independenter a sacerdotio, *commendare possunt?*

Ita, si agatur de aliquibus minoribus officiis: de officiis ostiarii, lectoris, acolythi, et de officio « catechistae ».

Sed, de diaconatu « renovato »? Respondeo timide: fortasse. Sed 1) hi diaconi non praedicarent (nisi scientiam theologicam probarent); 2) eorum numerus, in Ecclesia latina, determinandus ab episcopo esset. (Si non, cum hi diaconi matrimonio coniuncti esse possent, in felici voto et vita castitatis sacerdotum ipsorum, quanta ruina!). 3) Victus puerorum et uxoris horum diaconorum a familia ipsa provideatur. Haec institutio, evidenter, « pastoribus religionis reformatae » officium praeberet.

Seminaria:

1. Professores, directores, superiores debent esse in omnibus, et ante omnia, *exempla;* ergo debent orationi matutinae, officiis liturgicis, etc. adesse. In tali seminario nullus professor (sed solus superior) orationi matutinae adest!

2. Iidem debent maximam partem temporis conferre ad clericorum instructionem et educationem, et non operibus externis esse occupatissimi; si non, in urbe, non in seminario, habitent.

3. Opus maximum est perseverans initiatio ad vitam interiorem, vita ascetica non omissa, amore erga SS. Eucharistiam et B. Mariam Virginem accenso.

4. Annus completus novitiatus, ut quidam suggerunt, est inutilis: *totum* tempus seminarii est tempus novitiatus.

Sed ad hoc, veri directores spirituales, huic labori *omnino* dediti, sunt absolute necessarii.

5. Nullum seminarium, saltem per aliquos professores, sit, plus minusve, « status in Statu ». Omnes professores, directores, superiores erga episcopum obedientiam et pacem manifestent.

6. In actuali penuria, professorum numerus ne excedat *necessitatem.*

7. Feriae sunt necessariae, praesertim in vita hodie tam impacata.

Sed, his feriis (exceptis aliquibus temporibus anni *post* et *non ante,* festa Natalis Domini et Resurrectionis, atque aestate), ne alumni seminariorum, minorum et maiorum, domos parentum proficiscantur.

III – Disciplina fidelium

1. Permultum refert pietati, et eis quae ad hanc pertinent, magnam auctoritatem iterum dare.

a) « Pietati », scilicet:

precibus privatis, precibus in familia;

coronae rosarii;

piis associationibus (quae non sunt curae, etiamque aliquando contemnuntur);

frequenti acceptioni poenitentiae sacramenti, ex qua acceptione frequenti pendent sui cognitio, humilitas, profectus spiritualis;

auditioni verbi divini.

b) Pietati, scilicet:

missae, diei etiam dominicae. Haec dies minus minusque servatur (laboris causa et corporis exercitationum - sport), et fit dies *profana* (multis christianis ipsis, qui missam vesperam et brevem satis ducunt).

Atqui, sanctificatione huius diei relicta, facile et cito « fideles » in indifferentiam cadunt.

c) Pietati, scilicet reverentiae Dei, qua v. g. in ecclesiis mulieres caput et brachia et pectus tecta habebunt, virique in camisiae brachiis aut in short non erunt.

Unde vota:

Auctoritate Concilii, *omnia* quae pietatem spectent restaurentur;

In primis, sanctificatio *totius* diei dominicae (itaque, fideles qui sunt fideles huius diei — les pratiquants — a christianorum « evolutorum » contumeliis prohibeantur. Haec est dies Domini).

2. Quod de redemptione Salvatoris nostri scimus, et de nostra natura, debet ad *sacrificium et sacrificia* nos inclinare. Ne commoditates vitae aliquam vitae austeritatem, sive acceptam sive quaesitam, remittant: religio Christi non est religio facilitatis.

A fortiori quando de mandatis divinis agitur. V. g. de mandatis quoad matrimonium: opus carnis non definitur a cleris, sed a Deo!

3. Duces laici operum, cum non sint theologi et praesertim non duces Ecclesiae, ius accommodandi veritates et praescripta ab Ecclesia docente et ducente non habent. Omni casu, *fervorem habeant operibus ab Ecclesia dilectis* (v. g. syndicats *chrétiens,* école *chrétienne,* presse *chrétienne,* cinémas *chrétiens,* centres *chrétiens* de guérison antialcoolique, etc.).

Finis apostolatus, sub quovis nomine, est *supernaturalis.* Unde apostolatus ad actionem temporalem (= engagement temporel v. g. in syndicatu) *non essentialiter* alligatur.

Concilium condemnet omnem *collaborationem cum communistis* in quacumque re rei politicae plus minusve coniuncta: in facto, de religione certamen est.

4. Actio catholica est *unus* aspectus apostolatus, sed *non omnis* apostolatus! Dicendum est, etiam in Codice.

5. Si salus est personalis, attamen ab eis qui circum nos sunt et institutionibus adiuvatur. Hoc praesertim parentibus pro pueris revocabitur: gravissimi et continui sunt eorum defectus quoad educationem christianam.

VOTA DE ALIIS REBUS

1. *Matrimonii missae vespere permittantur,* diebus saltem quibus missa matutina paroeciae notabili parti non est utilis.

2. *Hora communionis* saepe incerta est: itaque, quoad ieiunium eucharisticum, lex sit eadem sacerdotibus et fidelibus, scilicet hora initii missae sola retenta.

3. *Lingua patria* proferatur, et sine necessitate prius utendi lingua latina:

a) in missa: epistolae et evangelio; in missa matrimonii: benedictionibus;

b) lectionibus Hebdomadae Sanctae;

c) funeribus;

d) rituali sacramentorum;

Sed

a) in traductione approbata in quaque lingua;

b) quidam textus in lingua latina imponendi sunt: ad unitatem liturgicam latinam et ad *translationem magnorum dogmatum.* Qui textus? Gloria, Credo, etc., Te Deum, Magnificat, Ave Verum, magnae antiphonae B.M.V. Inviolata, etc.;

c) loquacitates (bavardages) in actione liturgica prohibeantur!;

d) hoc animadvertendum est: ne renovatio liturgica mutet officia in religionem praesertim de facto exteriorem (Pharisaei talem habuerunt).

4. *Legislatio Indicis* modificanda est?

IV – *Negotia maioris momenti*

1. Antequam, et ut, unitas totius mundi christiani incipiatur, oportet *unitatem internam Ecclesiae ipsius facere.*

2. *Unitas totius mundi christiani* debet esse constans et activa cura.

Votum: cum aliorum religionum ministri aliquibus « coeremoniis » nostris adsint, valde desiderabilis est nostra praesentia (etiam episcoporum) aliquibus eorum coeremoniis. Urbanitate agitur; et magis...

3. Negotium magnum est, hic et nunc, negotium « *missionarium* »:

a) in *Africa nigra* et *America Latina;*

b) erga pueros, hodie permultos, adolescentes et mundum scholarem in quo discipulorum numerus est immensus;

c) erga « mundum laboris », speciatim operarios, et mundum technicum.

Pulchrum negotium esset hunc mundum technicum baptizare.

Desideratur theologia de re oeconomica et eius legibus.

Breviter: Ecclesia ubique debet esse, non ut ubique sit, non ad quasdam revendicationes, quae aliquando non sunt evangelicae; sed ut Evangelium, amorem Dei, Iesu Christi, per Mariam Matrem, afferat.

N.B.: 1) Ad hoc negotium missionarium, doctrina in lingua vulgari et facili transmittenda est; 2) hic apostolatus non debet oblivionem afferre classium mediarum (« classes moyennes »).

4. « Tourismus » et in genere otia magnas partes hodie tenent: ea efficere christiana est etiam negotium grave huius temporis.

Votum ultimum:

Reformationibus factis, ne longo spatio tangantur (nimiae mutationes nocent); sed *effective,* et *ubique, applicentur.*

Quod Deus...

✠ MARCEL-MARIE DUBOIS
Archevêque de Besançon

19

EXC.MI P. D. LUDOVICI ROBIN
Episcopi Blesensis (Blois)

Prot. N. I C/59-233 — Blesis, 29 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Hisce litteris Eminentiae Tuae responsum do, circa quaestiones quas Episcopo Blesensi direxit Eminentia Tua circa futurum Concilium Oecumenicum.

Res sedulo perpensae mihi visae sunt praecipuae animadversiones quae sequuntur, scilicet:

Ut clarius definiatur laicorum status in Ecclesia;

Ut in clericorum studiis cura maior adhibeatur circa latinam necnon classicam culturam;

Ut reformatio et forsan abbreviatio Breviarii romani citius efficiatur;

Ut ad maiorem simplicitatem reducantur censurae, dispensationes a votis, ritus aliqui, v. g. Ordinationum, consecrationum Ecclesiarum et altarium;

Ut melius adaptentur ritus quidam et formulae liturgicae quae sacramentorum administrationem comitantur, ut v. g. in baptismo et extrema unctione;

Ut eidem legi ieiunii eucharistici subiiciantur sacerdos celebrans et fideles;

Ut aliquo modo lex Indicis librorum prohibitorum relaxetur.

Manus Eminentiae Tuae humillime deosculans me profiteor

Eminentiae Tuae
addictissimum Servum

✠ LUDOVICUS ROBIN
Episcopus Blesensis

20

E.MI P. D. PAULI CARD. RICHAUD
Archiepiscopi Burdigalensis (Bordeaux)

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Ad Tuas Litteras, die 18 iunii datas, libenter ac reverenter rescribo, proponendo ad recognitionem Pontificiae Commissionis antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico haec vota.

I. *De re doctrinali*

1. Mihi videtur valde desiderabilem esse aliquam definitionem quoad *mediationem gratiarum Beatae Mariae Virginis* Eiusque Co-Redemptricis qualitatem.

De hac re dogmatica sunt articula multa quae venerunt, cum consensu satis unanimi, in recentioribus disceptationibus ac thesibus non paucis plurimorum congressuum operumque theologicorum. Gravis obex tamen haec definitio posset esse ad Unitatem Sanctae Ecclesiae tam optatam, praesertim apud Protestantes et quosdam schismaticos. Sed num si determinationes atque explicationes, quae darentur in hac promulgatione, iterum illustrando divinam Beatae Mariae Virginis Maternitatem de qua fere omnes conveniunt et quae venit ut origo ac funda-

mentum talium praerogativarum, non afferrent haereticis ac schismaticis in hac materia opportunum quoddam lumen?

2. Praestantissimum est accurate renuntiare *plures definitiones de Ecclesia,* quod mihi videtur scopus principalis huius partis Concilii Oecumenici.

Vaticanum Concilium iam feliciter dedit definitiones de Infallibilitate et Primatu Summi Pontificis. Cessavit autem antequam de Constitutione sedis episcopalis statutum fuisset. Ergo urgens est operam inceptam complere.

Praesertim optavimus declarationes solemnes ac praefinitas de *Constitutione speciali et divina Sanctae Matris Ecclesiae,* quae non est plane similis constitutionibus civilibus, et quae se praebet ut monarchica et non democratica, cum Summo Pontifice, cui tribuitur omnium oboedientia ac submissio, et cum *Collegio Apostolico, a N. D. Iesu Christo divinitus constituto, quod tantummodo constat ex Episcopis.*

De qua declaratione debent manare plures disciplinares maximi momenti conclusiones (v. infra).

Insuper de *Magisterio ordinario Summi Pontificis et de Magisterio proprio Episcopis* propositiones a Pio XII, sanctae ac felicis memoriae, allatas valde opportunum esset repetere, et de *Corpore Mystico,* quod est Ecclesia, pronuntiare.

Sic daretur occasio flagranter exhortandi tam clerum quam laicos catholicos ad submittendum sensum suum proprium Decretis dogmaticis ac disciplinaribus Romanae Ecclesiae. Urget talis instantia coram modernis erroribus atque influxu nimis manifesto Materialismi, Laicismi, Historicismi et alicuius veri Neo-Protestantismi.

Non sunt tam rarissimi inter catholicos qui putant posse sese unice fidere, in casibus difficilioribus, suae propriae conscientiae, speciatim in re sociali et politica, vel Sancti Evangelii Domini Nostri interpretationi quam aliquando quaerunt apud modernistas aut progressistas, abstractione facta a monitis declarationibusque Episcoporum et etiam Sanctae Sedis.

Interdum quidam exagerant distinctionem, ex una parte, inter Ecclesiam incarnatam, officialem, constitutam cum Hierarchia et iurisdictione, et, ex alia parte, Ecclesiam sub inspiratione invisibili Sancti Spiritus historice motam. Motivum, aliunde legitimum, imbuendi magis ac magis societatem civilem atque institutiones humanas Christianismo activo, atque Evangelio magis expedito, non est unquam sine periculo praetermittendi quasdam fidei notiones immutabiles. At, saepius requirendo istud obsequium erga leges historiae atque erga mentium instantiam sub inspiratione, non negata, Divi et Sancti Spiritus, metuendum

est plures laicos vel cleros manere in curioso ac sterili habitu expectationis, vel diffidentiae quoad praesentes Hierarchiae moderationes, quas sperant certe reformandas.

Non pauci quoque obliviscuntur consequentias peccati originalis, praecipue in materia sociali et civili atque in psychologia et medicina mentali.

3. Utile etiam esse, meo humili sensu, definire magis praecise *Episcopatum,* sicut Presbyteratum ac Diaconatum, esse verum sacramentum, et differentias quae exstant inter hos ordines.

4. Valde salutares erunt determinationes dogmaticae de *communismo* atque exactiores significationes de catholicorum participatione in multis rebus cum Communistis, praecipue quoad electorales consultationes, coetus conferentias, syndicalem coadunationem, publicationem, editionem ac diffusionem. Forsan utile est aliquid dicere de consociatione cum mero *socialismo,* per quasdam denominationes aequivocas, per scripta vel per adiunctiones in re civili.

5. Convenit tandem quaedam repetitio solemnis Supremae Congregationis Sancti Officii Decretorum de *matrimonio et de usu inter coniuges matrimonii,* nempe de finibus ac conceptu Matrimonii, de copula reservata, de onanismo et procreationis reductione: sunt adhuc, tam in clero quam apud laicos multos qui sese praebent et catholicos declaratos, et qui cogitant inconsiderate de renovatione aliqua ab Ecclesia intelligenda ac disciplina de Matrimonio.

6. Multo optabilis apparet adaptatio, iam praevisa, *Indicis* librorum prohibitorum, ad veram atque efficacem huius legis observationem.

7. *Doctrinae Ecclesiae socialis ac in Iure Publico* aliquod compendium utile esset praeferrendi, quae legitimitatem pro Ecclesia haberet, doctrinam socialem exponeret et obligationem pro catholicis eidem sese subiicere, et quae aliunde definiret quomodo ordo naturalis subordinatur supernaturali, et quomodo laicitas (sed non laicismus) Status, per hypothesim et ratione circumstantiarum admissa, non potest accipi secundum normas essentiales societatis civilis.

II. *De re disciplinari*

1. Forsan cogitanda est, reverenter dico, melior distributio *Curiae Romanae,* magis obiectiva et inter Sacras Congregationes maiorem connexionem praebens.

Insuper expetendum est ut unaquaeque Sacra Congregatio sit in relatione accurata, pro rebus magni momenti, cum aliquo consilio episcoporum ad quod pertinet, in unaquaque natione, eadem cognitio. Sic:

1) melior informatio atque strictior nexus instituerentur; 2) collegialis participatio episcoporum ad gubernium Sanctae Ecclesiae magis significaretur, salva evidenter auctoritate universali ac immediata Summi Pontificis sine aliorum consensu.

2. Urgens mihi videtur *Episcoporum auctoritatem* omnibus modis firmare erga sacerdotes, religiosos, laicosque.

A) Apud *sacerdotes* maior spiritus disciplinae necessarius est. Si res enim christiana saepe in periculo sit, pro magna parte venit e negligentiis, incapacitatibus, etiamque culpis parochorum atque aliorum sacerdotum in scholis operisque peragentium. Atqui fere unica sanctio in manu episcopi, exceptis causis gravissimis quae postulant poenam canonicam, est prudens atque opportuna amotio. Ergo maxima utilitate est episcopum ad has *mutationes vel remotiones* facilius procedere, sicut in clero regulari.

Quaedam simplicitas videtur optabilis in expeditione talium causarum, forsan per abolitionem parochorum inamovibilium. Cogitatur etenim, non absque dubio, si notio beneficii ecclesiastici quod devenit res propria cuiusdam sacerdotis, vel etiam notio stabilitatis in officio non sint inter causas quae saecularem clerum a spiritu paupertatis submovent.

Consultatio Examinatorum aut Consultorum Synodalium qui, de facto, extra Curiam electos, vera competentia raro fruuntur, apparet onerosa et pro auctoritate Episcopi satis formidolosa. Recursus posset institui tantummodo, et cum meliore egressu, ad Metropolitam, aut, si de Metropolita agatur, ad alium Archiepiscopum regulariter designatum, sicut in causis matrimonialibus.

B) Propterea *Archiepiscoporum* competentia quodam modo augeatur, ita ut: 1) saepe interventus missionem peragant cum Sancta Sede; 2) melior coadunatio instituatur in aliqua regione de re pastorali (v. infra).

Optabile est consulere semper Archiepiscopos in promotione ad episcopatum alicuius sacerdotis qui pertinet ad eorum provinciam vel ad nominationem alicuius Episcopi in eorum provincia.

C) Interdum necesse est aliquam novam delimitationem *Ecclesiasticarum Provinciarum* providere, consulto aliquo episcoporum coetu in unaquaque natione, et, pro erectione, divisione, suppressione *paroeciarum* facultatem Ordinarii augere sine obligatione Capituli consensus vel consilii, quando tanta adest evolutio populorum in moderna societate!

Maior facultas concessa Episcopis, sine recursu ad Sanctam Sedem exoptabilis est *pro bonorum alienatione,* dum actuales normae non sunt certo in convenientia cum pretiis et rerum valoribus hodiernis.

D) Disciplina cleri saecularis et dioecesani veniet etiam ab auctoritate magis exercita *Decanorum* et *Forensium Vicariorum,* qui per visitationes assiduas parochorum et per frequentes inspectiones operum adamussim de rebus materialibus et diversis associationibus debent sese informati.

E) *Officialium curiarum* numerus minuendus est, cum unica curia pro prima appellatione in unaquaque natione vel quadam parte istius nationis.

F) Aliqua praefinita determinatio desideratur quoad iurisdictionem *Vicariorum,* quorum species distinctae forsan minui possent, et quoad facultates *Cappellanorum* in hospitalibus et clinicis pro Confirmationis administratione quae eis generatim videtur concedenda, saltem digniori, sine recursu ad episcopum vel parochum.

G) Firmetur obligatio pro omnibus clericis, etiam religiosis, in regionibus ubi adhuc viget, *habitum ecclesiasticum vel religiosum deferendi* cum veste talari, excepta permissione data ab Ordinario loci, non in genere sed singulariter et in quibusdam tantummodo casibus, vel a Sacra Congregatione religiosorum Ordinariis nuntiata.

Quaedam insuper regulae valde desiderabiles sunt pro participatione cleri ad *spectacula diversa* (theatri, cinematographi, etc.) et ad radioauditiones vel televisiones.

H) Opportuna valde est reactio circa aliquam deminutionem disciplinae quae interdum forsan apparet apud *seminaristas,* secundum recentem ac felicem Instructionem Sacrae Congregationis de Seminariis.

Regulae ergo seminariorum habeantur strictiores circa exercitationes spirituales, vacationes nimis diuturnas, et educationem theologicam quae non satis efficitur secundum formam scholasticam et thomisticam Attamen aliqua libertas, mihi videtur, concedenda est secundum diversas nationes, sub tamen directione ac censura Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus. Difficile enim apparet plane idem regimen pro gentibus, reapse diversis in iuvenum studiis ac temperamentis, cum valde dissimili publica ratione studiorum et cum indubitabili differentia morum.

3. *Quoad Religiosos*:

A) Auctoritas episcopalis satis opportuniter firmanda est.

Non quod exemptio absumetur! Sed ius vigilantiae Episcoporum, qui Apostolorum successores sunt et Magisterio fruuntur, videtur cum maiori efficientia sese exercere si, in *Relatione Quinquennali,* Ordinarii non solum notant nomina Congregationum ac numerum professorum novitiorumque, sed debent etiam accuratim ac singillatim significare, de Institutis Religiosis in dioecesi peragentibus, modum sese gerendi in re

apostolica et pastorali, in moribus publicis, in concionibus, conferentiis, scriptis ac periodicis.

Determinandum est adhuc firmiter ut religiosi, qui valde utiliter functiones paroeciales peragunt (utinam magis ac magis!), *ab unica auctoritate dioecesana* in ministerio pastorali et in actione apostolica pendant. *Quod statuendum est pro quaque sacerdotum societate,* etiam non religiosa, quodcumque ministerium vel aliquod apostolicum munus et propagationem scriptorum operumque perficiente.

B) Episcopo, in sua dioecesi, facultas tribuatur personaliter concedendi *ingressus in Clausuram Monialium* vel egressus e clausura, iuxta omnes in Instructione « Inter Caetera » praevisos casus.

C) Forsan minuatur, per aliquam coadunationem, numerus *Congregationum a votis simplicibus,* vel etiam Institutorum saecularium et novae Congregationes, pro momento, non statuantur.

4. Alia tandem quaestio, summe gravis atque acutissima, respicit ad *infelices sacerdotes et religiosos* qui lapsi sunt et recidivi in aliqua sensuali miseria, praesertim si agatur de vitiis contra naturam. Quid faciendum ad eorum sanationem et ad vitanda nova scandala?

Saepe morbus plus minusve congenitalis eos pessundat. Tunc mittantur ad peritos medicos omni exceptione maiores quoad fidem. Advertendum tamen est ad exaggerationes psychanalistae methodi, quae aliquando confusionem nocivam atque illegitimam introducit inter medicalem artem et sigillum conscientiae.

Saepius prudens ascesis et supernaturalia media ad istos sacerdotes vel religiosos curandos sufficerent.

Facilis ad laicalem statum reductio sitne fructuosa enodatio, si aliunde sit sola conclusio efficax et melior in multis casibus? Aliis sacerdotibus vel religiosis, qui in difficultate fere simili degunt, haec solutio cognita non sit aliquando noxia?

Sed, coram animarum fidelium periculo gravi et pro ipsorum infortunatorum conversione, oportetne amplius instituere, methodice et in omni regione, speciales domos, praesertim religiosas, quae istos infelices ac formidolosos reciperent et in laboribus accommodatis exercerent?

5. Nonne, ad *unitatem Ecclesiae* facilius promovendum, admittenda sit saepe quaedam bona fides et proinde nomen « haeresis » vel qualitas haeretica communiter tribui non possint, cum sanctionibus disciplinariis adiunctis? Generatim et pro eadem ratione, poenarum canonicarum, latae sententiae praesertim et reservatarum, legislatio postuletne aliquam simplificationem ac reductionem? Secus inefficax sese ostendit.

III. *De re pastorali*

1. Optabiles sunt, cum quadam urgentia, plures normae quoad relationes inter clerum et laicos, inter clerum dioecesanum et religiosos: circa *Actionem Catholicam* atque *Operas* pias, sociales, vel propagationis aut caritatis, tum dioecesanas, cum nationales et internationales.

a) Expetendum est aliquod *Compendium* quod perfecte definiret:

Actionem Catholicam in suo conceptu proprio et in sua extensione;

relativam dependentiam laicorum erga Hierarchiam atque erga sacerdotes qui episcopos repraesentant;

distinctionem inter res temporales et res spirituales, secundum quam et sub quibusdam terminis sese exercet legitima autonomia laicorum, et quomodo, in rebus temporalibus quae attingunt ad moralem et religionem, ista autonomia recusanda est;

dependentiam integram religiosorum erga episcopos in apostolatu et actione catholica;

dependentiam item erga episcopos sacerdotum qui praesunt operibus vel Actioni Catholicae in dioecesi vel in natione;

fines et normas associationum internationalium catholicorum;

normas generales pro congressibus.

b) De diversis *publicationibus* diariis, periodicis vel de aliis scriptis, a catholicis aperte editis sub titulo religioso aut confessionali, accuratae ac prudentes regulae rogantur quoad editionem, propagationem et diffusionis locum (sub quibusnam conditionibus in sacris ac religiosis).

c) Cum ministerium evangelisationis ac pastoralis tactica non possunt efficaciter sese explicare nisi circa puncta fixa, opportunitas apostolica *paroeciarum* confirmetur et in lucem ponatur, et necessitas quodammodo paroeciis, saltem pluribus coadunatis, annectendi operas vel Actionis Catholicae industrias renuntietur.

Sed, pro parochis cum instantia declaretur obligatio laborandi modo coadunato cum aliis vicinis sub auctoritate Episcoporum et Vicariorum forensium. Sic exoptanda est *actio pastoralis communi consilio* exercita, sub auctoritate episcopali, a parochis, vicariis, eleemosynariis, professoribus et omnibus sacerdotibus, et a religiosis ac laicis.

2. Quoad res quae videntur postulare, *in actuositate hodiernorum temporum,* specialem curam, humiliter pono:

A) Ut conatus generalis pro renovatione opportuna in Sancta Ecclesia sit *ad incrementum dioecesis et ad sanctificationem cleri dioecesani.*

a) Propterea, necesse est ut *partitio sacerdotum inter dioeceses*

sit magis proportionata. Secus in quibusdam regionibus sacerdotes nimis fatigantur atque exacerbantur, quia pauciores sunt, et eorum vita spiritualis ac intellectualis in periculo stat. Unica solutio efficax apparet si Sacra Congregatio Consistorialis, post inquisitionem factam in gente aliqua, institutionaliter agat erga dioeceses, qui adhuc sacerdotum numerum satis ingentem possident, ut istae dioeceses, quibusdam conditionibus determinandis, praebeant aliis in egestate aliquos cleros, sive pro aliquo tempore, sive definitive, vel iam sacerdotes vel potius seminaristas.

A quibusdam proponitur renovatio *diaconatus.*

Ista hypothesis, meo sensu, retineri potest, sed cum aliquo timore quando constat extrema difficultas Congregationum Ordinumque religiosorum nunc reperiendi fratres conversos et coadiutores. Simile impedimentum, fortasse et multo probabiliter, ad complendos diaconos surget.

In omni casu, tales diaconi coelibatum ecclesiasticum perpetuum servare et servitium altaris adimplere deberent, si aliunde, inter ruricolas et pro quibusdam missionibus apud operarios et regiones sine fide, vel in eis rebus materialibus apostolatus moderni, veram utilitatem praeberent. Diaconatus non cogitandus est ut tempus experientiae ante presbyteratum, sed ut functio permanens quae melius ad quaedam temperamenta conveniret. Exinde, in regimine seminariorum, quaedam immutationes necessariae erunt.

b) Opus est autem ut talis beneficus impulsus eveniat *ab intra per omnimodam renovationem spiritualem cleri.* Speciatim ac magni momenti apparet, pro omnibus sacerdotibus, *orationis mentalis* quotidianae obligationem firmiter, forsan sub peccato, ferre.

Alia infirmitas cleri dioecesani adest in nimia libertate personali. Sacerdotes in ministerio seminarii disciplinam facile obliviscuntur et multo salutaris esset pro omnibus submissio assidua alicui *directori spirituali,* libere ac commode electo, ne amittant oboedientiae beneficium habitum, ea conditione tamen ut director spiritualis caveat iurisdictionem internam atque externam confundere et praescriptiones firmas superiorum non contradicat.

c) Maximi momenti, in hoc nostro scientifico atque technico tempore, sacerdotes non solum veram culturam humanam sibi praebere, sed praesertim exactam ac profundam, semper renovatam, *in disciplinis sasacris scientiam* servare. Haec obligatio studendi, usque ad confectam aetatem, Sacram Scripturam, Theologiam, Ius Canonicum, Historiam religiosam ac Philosophiam Thomisticam, iam a Seminario sed etiam durante tota vita ministerii, omnibus sacerdotibus repraesentetur et, per diversa media, nempe conferentias, bibliothecas, vel etiam exa-

mina, facilis reddatur et a superioribus vigilanter ac practice recognoscatur. Imo, ad perseverantiam in castitate atque in iudicio recto, talis studiositas sese praebet ut vera lex a quo nemo eximitur. Sic, pro sacerdotibus, *conferentias, consilia, coetus, regulariter quoque mense instituere* magno beneficio, spirituali et intellectuali, demonstretur. Imo, in multis locis, talis concentus quaque hebdomada assidue servatus erit unicum et fructuosius medium cuiusdam vitae communis formam cognoscere.

Generatim ergo mihi apparet melius emolumentum esse, si non ad tam numerosum clerum spectemus, sed potius ad sacerdotum verum solidumque valorem. Sed propterea necesse est conceptum emendare ministerii, ad essentiales functiones sacras illud reducendo, quasdam obligationes cultuales minuendo, vitam parochialem melius distribuendo et quasdam zeli exterioris ac materialis industrias allevando.

B) *Ut Liturgia Sacra ad formam simpliciorem tandem reducatur.*

Servetur tamen lingua latina, in Ecclesia latina, pro tota Missa, etiam catechumenorum, atque pro toto officio a cleris recitando, *sed cum facultate legendi in lingua vulgari* Epistolas atque Evangelia coram fidelibus, et idem pro Monitionibus in administratione Sacramentorum (Baptismi, Confirmationis etiamque Ordinationum ac Consecrationum). Proinde statuendum sit, in quacumque natione, quoddam consilium competens, in nexu cum Sacra Congregatione Rituum, ad edendas tales versiones in lingua vulgari.

Insuper, omnibus Ordinariis facultas concessa sit, *missas serotinas* omnibus hebdomadae diebus permittendi.

Pro *divino Officio,* iam ad Sanctam Sedem quamdam relationem modeste misi. Sincere enim puto, post longam sacerdotii episcopatusque experientiam, quod opportuna mutatio, iam feliciter inchoata, sit omnino urgens et compleri debet pro cleri dioecesani fidelitate ac fervore. Tam evidenter apparet has Horas, nunc sub gravi recitandas, pro monachis et clericis in choro congregatis institutas fuisse. Onerosa nimis sese probat ista obligatio, aliunde praestantissima, pro multis qui, vel in meram materialem et quasi pharisaicam adimpletionem cadunt, vel non amplius ad mentalem orationem utili tempore gaudent, vel periculosam habitudinem legi ecclesiasticae sese substrahendi contrahunt per negligentiam plusminusve culpabilem aut per verum fastidium. Quare accommodatio conveniens, per novam psalmorum dispositionem, cum selectione lectionum quae magis ad pietatem atque instructionem pertinerent, absque dialogo versiculorum responsorumque reipsa supervacuo, clamare videtur, ita ut talis sacra recitatio, non tamen nimis contracta, sit minus diuturna.

Exoptanda quoque *aliqua deminutio quorumdam Rituum,* quorum continuationes, implicationes ac duplicationes nunc videntur minus adaptatae ad mentes et possibilitates hodiernas, speciatim in Campanarum benedictione, in Altaris vel Ecclesiae consecratione, et pro pluribus aliis benedictionibus. Litaniarum in Rogationibus ac precum recitatio sit tantummodo obligatoria pro cleris qui publice ad istam functionem procedunt, sed non privatim. Coeremoniae pro vestitione vel professione religiosa apud Congregationes et Monasteria quamdam simplicitatem, et praesertim uniformitatem, sumant, quod videntur postulare tam commoditas sacerdotum episcoporumque qui eis praesunt quam numerus, aliquando non parvus, secularizationum quae, post istas solemnitates eveniunt.

Aliunde, possitne cogitare *aliquas facultates concessas Episcopis,* in materiis secundariis Sacrae Liturgiae, attamen iuxta indicationes Sacrae Congregationis Rituum. Haec relativa libertas videretur aliqua tendentia quae coniungeret conatum ad unitatem Ecclesiae erga ecclesias orientales et omnes separatas.

C) Sane manet seria convenientia aliquas distinctiones exteriores inter clericos, praesertim in functionibus sacris, distinctiones vero inter clerum et statum laicalem, distinctiones quoque ac reverentiae signa erga Superiores et Hierarchiae ecclesiasticae membra, semperque veram dignitatem in habitu et domo servandi, imo characterem sacrum episcoporum ac sacerdotum numquam dissimulandi.

Attamen firma exhortatio, saepius a Summis Pontificibus iam data, promulganda est ad actualem obligationem, nunc efflagitantem, pro omnibus qui nomen Christi appellant, *a bonis terrenis, Evangelii mente, sese distrahendi.*

Quod spectat imprimis *omnes cleros,* etiam *religiosos* qui interdum in suis domibus generalibus, monasteriis ac conventibus, quamdam fere sumptuositatem et nimias commoditates praebent.

Sed *in clero dioecesano,* quamvis non voto paupertatis ligatur, valde utilius pro fervore sacerdotum atque eorum zeli efficacia, moderationem vere maiorem huc et illuc servare in bonorum acquisitione, in domorum dispositione, in deambulationum multiplicitate, in honorum atque ornatuum amore.

Immo *pro laicis,* si vere christianum nomen profiteantur, ad pacem socialem etiamque ordinem oeconomicum valde congrua esset similis instantia ut servetur maior moderatio in lucri, divitiarum, commoditatum, voluptatum quaesitu. Sine temperantia, nulla iustitia, nulla prudentia; fortitudo ipsa deserit.

Salus praesens Ecclesiae ac civilis societatis stat in reversione ad

libertatem evangelicam a Domino Nostro Iesu Christo allatam, et, pro Ecclesia, in sana politica christiana, quae merito laborat ob defensionem religionis, educationis christianae, et ob doctrinam dogmaticam ac moralem eiusque consequentias in re sociali et civili, sed quae manet in independentia declarata erga factiones particulares ac potentias politicas.

Ad Commissionem Pontificiam antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico hasce cogitationes ac considerationes observantissimas submitto, et, Tuae Eminentiae manus humillime osculans, me profunda ac sincera veneratione profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
oboedientissimum et devotissimum servum verum

✠ PAULUS Card. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

21

EXC.MI P. D. IOSEPHI LEFEBVRE

Archiepiscopi Bituricensis (Bourges)

Eminentissime Domine,

Cum gaudio, cognovi, per litteras tuas 18 iunii, constitutionem a Summo Pontifice factam commissionis cui Eminentia tua praeest ad praeparandum futurum Concilium Oecumenicum.

Ut desiderio in his litteris expresso satisfaciam, audeo tibi exponere quasdam suggestiones quas fore alicuius utilitatis pro Concilii argumentis apparandis simpliciter exopto.

1. Inter omnes errores qui, nostris temporibus ubique serpunt seducentes homines non mediocris ingenii et qui nonnunquam se christianos esse dicunt, « Marxismus » certe eminet. Mihi videtur opportunum tractare de hac doctrina quae veram solutionem omnium preblematum hominis circa vitam suam et finem suum etiam ultimum afferre contendit et, simul, fundamenta veritatis, morum, amoris proximi et totius religionis subvertit. Sine dubio, necessarium est praeclarissime demonstrare intrinsecam perversitatem huius disciplinae essentialiter materialistae quae Dei, animae et omnis spiritualis substantiae existentiam omnino negat, immutabilitatem veritatis reiicit, certamen sociale tanquam

principium necessarium omnis progressus proclamat, eversionem universalem ut fundamentum moralitatis unicum considerat et omnem religionem ut « opium populi » et alienationem hominis destruendam esse declarat.

Praeterea, utile videtur revocare in memoriam doctrinam Ecclesiae de proprietate individua. Haec quae ad bonum simul privatum et commune ordinetur, non solum iuribus gaudet sed tenetur officiis quae, ab auctoritate publica, sub certis conditionibus, melius et exactius definiri possunt.

Opportunum erit, insuper, de doctrina sociali Ecclesiae mentionem facere, quam catholici ediscere debent ut, in hac lumine, conatu communi, vires suas intendere possint ad aedificationem mundi melioris secundum leges caritatis et iustitiae.

2. Aliunde, cum fides, hodie, persaepe infirma sit, rari sunt qui clare percipiunt finem quam Ecclesia Dei prosequitur. Multi sunt qui nihil rogent ab ea nisi ut suis desideriis politicis vel oeconomicis foveat. Ita ex fine ultimo supernaturali practice medium ad finem naturalem faciunt et ex unica ratione temporali actionem Ecclesiae iudicant.

Praeterea, homines huius temporis mirabilibus technicis quae facile conspiciuntur assuefacti, difficile efficacitatem absconditam apostolatus recognoscunt et de ea omnino dubitant. Haec falsodicta inefficacitas oculis Marxistarum tanquam signum falsitatis apparet.

Quapropter videtur exoptabile Concilium Oecumenicum demonstrare propriam efficacitatem laboris apostolici qui, divitiis aeternis et divinis hominem in seipso ditat. Utile erit, insuper meminisse quomodo, per peccatum originale, homo « spoliatus a gratuitis, vulneratus est in naturalibus ». Quid sit haec vulneratio naturae convenienter inquiri possit. Tunc, contra omnes qui hominem in se perfectum considerantes gratiam aut reiciunt aut tamquam non obligantem considerant, melius appareret quomodo, in praesenti ordine Providentiae, excluso remedio gratiae Christi qui est Salvator animarum et mundi, incapax est homo perfecte suum finem attingendi et aequilibrium suum recuperandi.

Pro Marxistis qui falso credunt hominem determinari ad bonum vel malum solis structuris oeconomicis, fortasse opportunum erit illustrare efficacitatem necessariam huius interioris certaminis quo, adiuvante gratia, homo immoderatum sui amorem vincere conatur. Sine ista pugna quam nemo videt et quae nunquam cessare debet quomodo ad proprium lucrum homo etiam structuris optimis uti non vellet?

3. In diebus nostris multi sunt qui auctoritatem Ecclesiae aegre sustinent, non intelligentes eam nihil esse nisi opus amoris Dei et officium caritatis. Inveniuntur, etiam apud christianos, qui exoptarent actus huius

auctoritatis esse meram expressionem cogitationum, desideriorum, voluntatum totius communitatis ». Rari non sunt qui ad modum suum proprium documenta pontificalia interpretari alliciuntur, quamvis suam perfectam oboedientiam erga Sanctam Sedem profiteantur. Ille qui subditum se dicit auctoritati longinquae cuius mentem plus minusve ad modum suum explicat aliquando reiicit interventum auctoritatis proximae quae hanc mentem authentice interpretatur.

Quapropter non videtur inutile perficere opus feliciter inceptum a Concilio Vaticano de his quae spectant ad Divinam Constitutionem Ecclesiae. Post necessarias dilucidationes de Primatu Summi Pontificis, enodationes circa originem, characteres, iura potestatis episcopalis videntur opportunas esse.

Aliquid dicendum erit, fortasse, de dependentia religiosorum ab episcopis in his quae ad custodiam doctrinae pertinent.

In his quae spectant ad disciplinam cleri exopto temperamentum afferri canoni 454. Dum sacerdotes in multis dioecesibus rarissimi sunt, difficultates iam graves quas episcopi inveniunt pro institutione apostolatus singulariter aggravantur ex inamovibilitate parochorum. Simplificatio processus ad novam nominationem parochi desiderabilis videtur.

4. In temporibus nostris, progressibus « Actionis Catholicae » signatis, laici desiderant magis ac magis operi Ecclesiae uniri. Haec inclinatio aliquando formas paulo inquietantes inducit.

Quapropter, exopto futurum Oecumenicum Concilium examinare quaestionem de « Laicatu » ut melius determinet locum quem potest et debet tenere in Ecclesia. Omnino assentior tempus advenire indicandi de Actione Catholica quid ita pertinet ad suam essentiam ut, illo absente, cesset; quales sunt suae rectae et propriae extensiones in ordine temporali? De quibus praeoccupationibus debet esse aliena? Qui sentiendum de dependentia sua erga hierarchiam et quomodo practice ei consulendum sit? Quodnam est officium « Assistentis Ecclesiastici » apud laicos rectores alicuius organisationis? Estne, hic sacerdos, simplex consiliarius spiritualis vel moralis? Estne, insuper, vicarius authenticus hierarchiae ad huius desideria, in certis casibus, indicanda cum sufficienti firmitate et desiderabili discretione?

Quia hae quaestiones responsionem claram et sufficienter communem non obtinuerunt multae difficultates quae assurgerunt tempore elapso suas enodationes adhuc expectant.

Pro argumentis apparandis futuri Concilii oecumenici, talia sunt problemata quae audeo proponere, sperando eorum studium et solutiones iuvare ad repellendas errores Marxismi et Naturalismi et ad fovendam unionem omnium discipulorum Christi, in veritate et charitate, sub

auctoritate benigna successoris Petri et aliorum successorum Apostolorum ei reverenter et amanter uniri.

Dignare, Eminentissime Domine cuius sacram purpuram pie deosculor, accipere obsequium summae venerationis cum qua me profiteor,

Eminentiae Tuae
servus addictissimus
✠ Ioseph Lefebvre
Archiepiscopus Bituricensis

22

Exc.mi P. D. PAULI CHEVRIER
Episcopi Cadurcensis (Cahors)

RES ET ARGUMENTA QUAE IN FUTURO CONCILIO OPPORTUNE TRACTANDA VIDENTUR

I – Quaedam doctrinae capita

1. *De fide et ratione*

A) Vim inesse rationi humanae ad stabiliendum prolegomena Fidei, seu:

tum ad demonstrandum invicte, per argumenta quinque viarum, Deum personalem esse;

tum ad statuendum valorem obiectivum miraculi; errare autem recentes qui autumant, ad hunc valorem obiectivum colligendum, necessario provocandum esse ad quem vocant « hominem religiosum ».

Impossibilem esse atheismum positivum, ita ut existere nequeat homo positive atheista qui sit bonae fidei.

Philosophiae traditionali laudes tribuantur, ut par est, eximiae.

B) Fidem esse formaliter actum intellectus quo homo assentit veritatibus revelatis propter auctoritatem Dei revelantis, nec definiendam esse, ad morem copiae scriptorum ecclesiasticorum recentis aevi haud exiguae:

aut veluti actus conversionis ad Deum seu deditionis integrae nostri Deo,

aut veluti adhaesio alicui personae, scilicet adhaesio personae Christi absque omni respectu ad quamcumque dogmaticam confessionem,

aut veluti mera oboedientia testimonio conscientiae moralis, immo veluti mera agnitio cuiuscumque « absoluti » — ut aiunt — v. g. artis, philanthropiae —, quod quidam passim pervulgare non verentur sub nomine, ut eorum verbis utar, « fidei implicite christianae ».

Fidem absque caritate, ut accidit apud peccatorem, licet mortuam, esse veram et proprie dictam.

2. *De Ecclesia*

Ecclesiam esse Corpus Christi Mysticum, quo evincuntur Christiani omnes ab invicem in ordine supernaturali plane pendere.

Adeo supereminentem esse Ecclesiam Catholicam supra omnes sectas separatas ut nullum Ecclesiae Catholicae desit bonorum quae sectis haereticis insunt, illudque tantummodo Ecclesiae Catholicae desit quo praecise maxime orbantur sectae separatae, scilicet: eorum iterata coniunctio cum Ecclesia Catholica.

Infallibilem esse Magisterium Ordinarium Ecclesiae Christi, simulque definiantur varii modi quibus illud infallibile Magisterium exprimitur.

Temporale plane secernendum esse a Spirituali, ita tamen ut integre salvetur eiusdem Temporalis subordinatio Spirituali indirecta.

Ius proprium inesse Ecclesiae in educanda iuventute; ius autem quod Statui competit in eodem ordine esse mere delegatum.

Ius Ecclesiae praevalere in quaestionibus quas mixtas vocant.

Exponantur obligationes laicorum:

tum in promovendis rebus Ecclesiae sub regimine Hierarchiae ecclesiasticae,

tum in his quae proprio marte cives christiani peragere sibi statuunt.

Accurate definiatur quam vocant tolerantiam, quae, cum malo tolerato malitiam propriam servet integram, tantummodo per respectum ad prudentiam supernaturalem approbari potest.

Apprime describatur potestas Episcoporum sicut in Concilio Vaticano tam perspicue descriptus est Primatus Romani Pontificis.

II – Disciplina Cleri et Populi christiani

1. *Disciplina Cleri*

Imprimendus est animis Clericorum sensus auctoritatis ecclesiasticae, vi cuius Clerus universus mente et animo cum Episcopis et Summo Pontifice arctissime cohaerere haud diffidet.

Perspicue enucleetur ratio intima oboedientiae ecclesiasticae, quae nihil aliud esse videtur quam voluntas Dei voluntati Christi sponsata.

Reprobetur individualismus Cleri ut sese saepius prodit:

tum in apostolicis operibus,

tum respectu sacrae Hierarchiae cuius actus modo duriori crisi subiiciuntur, modo probrose vituperantur et contra quam haud raro in diariis invocatur opinio multitudinis.

Diligentissime commendentur:

tum observantia legum liturgicarum praesertim in celebranda Missa,

tum obtemperatio legibus canonicis quae pro obiecto habent habitum clericorum, recitationem breviarii.

2. *Disciplinam populi christiani*

Alte inserendus animis, contra conceptum a materialistis pervulgatum de momento mere terreno vitae et curarum hominum, sensus Dei, sensus quoque peccati, simulque praestantissime proponatur quanti faciendae sint Fides atque Caritas supernaturalis.

Infingendum est pariter annis quantae sanctitatis sint tum unio coniugalis tum officium educandi pueros.

Magnopere laudibus efferatur participatio magis magisque in dies actuosa fidelium christianorum

tum in celebrationibus liturgicis,

tum in officiis inter coaetaneos exercendis.

III – Actuositas qua hodie Ecclesia tenetur

Promoveatur, quod attinet ad operarios:

tum diffusio doctrinae socialis Ecclesiae,

tum institutio associationum inter membra eiusdem professionis quae vulgo dicuntur « associations professionnelles ».

Quod autem attinet ad proximum, enixe commendentur mutui adiutorii opera (Œuvres d'Entr'Aide) in ordine ad subveniendum cuilibet proximi necessitati.

Relate ad eos qui rei publicae indulgent vel rebus publicis quocumque modo operam dare debent:

diffundatur doctrina Ecclesiae de potestate civili et de Bono Communi a Statu et a civibus procurandi,

constituantur opera educationis civicae,

instillentur cuique obligationes quibus christiani fideles omnes erga civitatem tenentur.

Summe optanda declaretur Christianorum praesentia efficax in quocumque industriorum hominum dominio, scilicet:

tum in iis quae sibi proprie vindicant scholae, artes diversae veluti quae gallice ventitant sub istis nominibus: « le cinéma, la radio, la télévision »,

tum in ordinandis otiis quando homines negotiis vacant.

IV – Negotia maioris momenti

Instantissime suadenda est clericorum atque laicorum doctrinalis formatio et imprimis, istorum laicorum qui « Intellectualium Christianorum » appellatione delectantur quique in periodicis et diariis scribere solent, ut discant primo de quaestionibus hodiernis valde implexis iudicium vere christianum statuere seseque probe avertant ab istis disceptationibus ineptis quae ad discidia inter Catholicos aperienda tantummodo valent cum maximo Fidei damno summaque Caritatis iactura.

Extollatur necessitas Missionis tum apud Operarios, tum apud Ruricolas.

Excitentur summopere Christiani ad cooperandum Missionibus ad exteras gentes doceanturque instantia quae sit Missiones has omnimode iuvandi tam materialiter, scilicet eleemosynis, quam spiritualiter seu oratione, copia missionariorum, religiosarum, militantiumque catholicorum, animumque advertant ad evolutionem praesentem paganorum populorum quibus tam graviter imminet contagio communismi.

Suum momentum detur, quod est summum, quaestioni Unitatis omnium Christianorum, ut, integraliter servata Ecclesiae Catholicae Fide, largissime orationi et caritati mens fidelium aperiatur in separatis Christianis Coetui Romanae Ecclesiae iterum adunandis.

Cadurci, die vigesima quinta augusti.

✠ Paulus Chevrier
Episcopus Cadurcensis

23

Exc.mi P. D. AEMILII GUERRY

Archiepiscopi Cameracensis (Cambrai)

Quaestiones propositae ad futurum Concilium Oecumenicum

Inter res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt, mihi videtur proponere tres principales quaestiones maximi momenti.

Propter rationes eliguntur:

1. *Continuitas, connexio earum intima cum Concilio Vaticano* et duabus eius constitutionibus: « de fide catholica », et de « Romano Pontifice ». Tunc apparebunt sicut logice continuantes argumenta Concilii praecedentis, interrupti autem antequam opus eius consummatum fuerit.

2. *Valde utiles sunt relative ad Orientales Ecclesias.* Si eligentur et probo examini subiicientur iam proprius istae nos accedent, fietque habitus animorum qui unitati faveat.

3. Quoad tractentur hae quaestiones, *multum conferet ad elucidanda et solvenda praecipua problemata,* quae hodie instant ratione Ecclesiae missionis in modernum mundum.

1ª Quaestio: « *De Episcopis* » tanquam capitulum logice connexum cum constitutione « de Romano Pontifice » Concilii Vaticani.

2ª Quaestio: « *De relationibus inter Naturam et Gratiam* » tanquam capitulum logice connexum cum constitutione « De fide catholica » eiusdem Concilii, et ad elucidandas quaestiones quae persaepe in vita Ecclesiae urgent: relationes inter « temporale » et « spirituale », extensionem magisterii Ecclesiae in actiones civiles et res profanas. Quot vero errores multiplicantur in recentioribus annis circa has praecipuas veritates!

3ª Quaestio: « *De publico Iure Ecclesiae* » cuius quaedam principia interpretari adaptareque debemus, ipsa evolutioni hodiernae societatis applicando.

I

De Episcopis

I. *Successores Apostolorum*

Multum interest, ut in luce omnino ponamus quod priusquam caput sit particularis Ecclesiae, Episcopus membrum est Episcopalis Collegii, per orbem disseminati, successorisque Collegii apostolici.

Ut tales Episcopi, in necessaria communione et unitate cum Summo Pontifice, sub eius auctoritate et solidario modo cum eo, quoad evangelicam missionem quasi sponsores sunt pro universo mundo, et onus totius Ecclesiae portant.

Talis veritas in hoc est ut tangat moveatque valde Orientales Ecclesias.

Omnino esset locus ut eius applicationes manifestemus:

a) Prima applicatio sit *existentiae et actioni « Magisterii ordinarii et universalis* », de quo Concilium Vaticanum loquebatur, et per quod, extra Concilii Oecumenici extraordinarium modum, habitualiter profertur Episcoporum per mundum dispersorum moralis unanimitas. Magisterium hoc, in quo Sanctus Irenaeus Traditionis ligamen videbat, non satis cognoscitur, non ei satis Theologi student.

Porro propter scientificos technicosque progressus, relationes humanae nunc magis inter se cohaerent et communicant: ita ut hic modus magisterii, clarius, evidentius ac abundantius patere possit, fortiusque loquatur.

b) Insuper opportune monstraretur ibi surgere *fontem vocationis missionariae quae ad Episcopum pertinet*: est enim *missionarius ad extra* (cf. litteras Encyc. *Fidei donum* Pii XII, secundum quas Episcopi partem sumere debeant in missionibus ad Afros, aut litteras Encyc. *Rerum Ecclesiae* Pii XI, quibus Episcopis memoriam renovat obligationis, qua ipsi iungere debent sese Summo Pontifici, in munere quod ei incumbit fidem diffundendi, in quantum quidem possunt, quoniam et ipsi onus suum particulare habent).

Etiam *ad intra,* missionem agere debet Episcopus, erga incredulos. Etenim, secundum canonem 1350, acatholicos commendatos sibi in Domino habere debet: quae intimatio valde necessaria est tempore nostro et regionibus nostris ubi increduli tam multi sunt.

II. *Sacramentalis Episcopatus*

Nonne advenit tempus controversam quaestionem historicam dirimendi, scilicet *an Episcopatus sacramentum sit, necne?*

Rationes sequentes invocamus ad suggerendum ut haec quaestio inter capitula Consilii inseratur:

1. *Practice multum confert doctrina huius sacramentalitatis fidei clericorum et fidelium erga Episcopatum.*

Perturbati sunt, praesertim clerici, quadam thesi recenti, secundum quam Episcopalis Consecratio « sacramentale esset, non ritus sacra-

menti », aut « actus iurisdictionalis characteris in functione liturgica positus » (P. Beyer), quod manifestat dubiis vel imprudentibus affirmationibus de hoc gravi problemate fere labefieri posse fiduciam auctoritati Episcopatus.

2. *Constans traditio Orientalium Ecclesiarum.*

Cum Concilium Oecumenicum unitati favere debeat, decisio de hac re conferret magis nobis propinquare Ecclesias Orientales, quarum traditio unanimis est de Episcopatus caractere et consecratione Episcopali.

3. *Ambiguitas quae saeculis durantibus hanc controversiam gravavit nunc dissipata est.*

Principio huius quaestionis, saeculo IV, ambigua discussio dubium movit de praestantia Episcopi super presbyterum... Pseudo-traditio quae originem ducit a mala interpretatione Sancti Hieronymi, reassumpta sine critica a pluribus patribus, deinde a Sancto Thoma in primis suis scriptis, scilicet in « Commentariis Sententiarum », adduxit ad hoc ut minor reddatur differentia inter Episcopatum et presbyteratum.

Concilium Tridentinum, quin quaestionem de differentia sacramentali inter episcopatum et presbyteratum dirimat, unitatem sacerdotii et sacramenti Ordinis affirmat, in quo distinguendi sunt episcopatus et persbyteratus sicut gradus. Ibi fundamentum essentiale invenimus ut res definitive solvatur.

Aliunde, fere omnes theologi, a Concilio Tridentino, Thesi Sancti Bellarmini adhaeserunt, quae fortiter sacramentalitatem Episcopatus affirmat.

Insuper recentia opera PP. Lécuyer, Boularand, Bouessé circa controversiae historiam, et Sancti Thomae progressum in hac quaestione, finem imposuerunt dubiis quae subsistere poterant, ambigua dissipaverunt, et firmam traditionem denuo invenerunt.

Tandem Constitutio Apostolica *Sacramentum Ordinis,* diei 27 novembris 1947, Pii XII, fortissima argumenta nobis praebet quae Thesi Episcopatus - Sacramenti faveant, quin tamen eam imponat.

Quomodo autem Concilium rem dirimere posset?

Satis esset, ut videtur, ut determinet consecrationem episcopalem esse sacramentum Ordinis cum plenitudine datum. Nonne ita assumeretur occasio exacte explicandi formulam hanc traditionalem, tamen sat confusam apud auctores: « Episcopatus, Sacerdotii plenitudinem »?

Sane multum interest ut falsam imaginationem vitemus secundum quam Episcopatus aliquo modo esset novum et octavum sacramentum. Sed clare monstraretur esse *unicum sacramentum Ordinis secundum duos*

gradus: [1] unum, in plenitudine, scilicet Episcopatum, alterum primo participantem, presbyteratum « secundi meriti », ut dicit Pontificale.

Deinde adiungeretur unumquemque gratiam propriam, facultates et characterem proprios conferre.

Ex hoc vitaretur omne falsae interpretationis periculum. Insuper illustraretur problema quod non solum est liturgicum aut doctrinale, sed etiam magnum momentum facit ad reverendam episcopalem auctoritatem et ad fidem sacerdotum et fidelium promovendam in Episcopi sacramentalem gratiam, praesertim in eius gratiam capitis, pastoris et sanctificatoris.

III. *Episcopus, Pastor et Caput rei pastoralis*

Necessarium est affirmare Episcopum esse, utpote successorem Apostolorum, in sua dioecesi apostolatus caput, et utpote pastorem qui munus habet gregem suum regendi ducendique, rei pastoralis dioecesanae ducem.

Hic etiam, sufficit ut hanc doctrinam continuemus cum Concilio Vaticano: « Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati qua episcopi qui positi a Spiritu Sancto (cf. *Act.* 20. 28) in Apostolorum locum successerunt, *tamquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt...* » (Sess. IV, c. III, Denz. 1827-1828).

Pius XII, in litteris Encyc. *Mystici Corporis* non immemores esse sinit quomodo Iesus Christus, dux, unamquamque Ecclesiam particularem regit, « voce et iurisdictione uniuscuiusque Episcopi ». Idem Pontifex in primo internationali Congressu Religiosorum Romae habito (8 decembris 1950) praecepta Ecclesiae magis determinavit de Religiosorum relationibus cum Episcopo.

Haec doctrina Concilio exponenda esset, determinato omnino modo, non solum ut conflictus vitarentur inutiles atque nocivi, sed etiam ut omnes vitales vires dioecesanae ad unitatem catholicam traherentur.

Episcopi insigne benefactum tenent Religiosos, animo volenti et cum fiducia, communi labori sese dedere, praesertim quoad quaedam ministeria, quibus adimplendi magis valdeque apti sunt. Quod recenter, in Gallia, constituta compositaque est res pastoralis viribus unitis (Pastorale d'ensemble) sub auctoritate Episcopi cum omnibus iis qui in apostolatu simul laborant (parochialis ministerii, collegiorum, « Actionis Catholicae » sacerdotes, sive saeculares, sive religiosi), quod etiam accrescunt regionales missiones in eadem unitate sub Episcopi ductu, omne

---

[1] Adest saltem tertius gradus, diaconatus. Sed in textu solum modo comparantur Episcopatus et presbyteratus.

hoc factis demonstrat bonos multosque effectus quos sperare licet, in futuro, ope ordinatarum actionum unitatisque in re pastorali et apostolatu.

Dependentia exemptorum religiosorum ab Episcopo, rei pastoralis duce, quoad id quod ad apostolatum spectat et « prout episcopale munus perfungendum et animarum rite ordinanda curatio requirunt » (Pie XII, allocutio iam citata, *A.A.S.*, vol. XVIII, p. 28 in fine), nullo modo nocet venerationi quam Episcopi fovere debent erga eorum religiosam vitam, propriam spiritualitatem, et relationes quas cum Superioribus suis habent. Constituti in Gallia congressus inter Episcopos et provinciales Superiores maiorum Ordinum, valde animos paraverunt ad practice hanc doctrinam exercendam.

* * *

Attamen, ad problema in luce supernaturali exponendum, necessarium videtur ad connexionem accurate a Concilio Tridentino animadversam redire, scilicet *inter munus pastorale Episcopi et eius paternitatem,* sub conditione tamen quod dicta Episcopi paternitas in vera sua natura et omnibus suis respectibus explicetur.

Pater, pastor, qui generat, qui suum gregem ducit et nutrit, is est qui est « auctor », qui auctoritate originali et sponsione prima gaudet.

Sed, ad intelligendam Episcopi paternitatem, multum convenit ut, ex una parte eam consideremus *respectu catholicae et universalis Ecclesiae,* ex altera autem *non tam super individua quam super plebem suam, Ecclesiam suam particularem.*

Episcopus pater est plena nominis significatione, in quantum *vere mittitur ut ad vitam Ecclesiae Catholicae et universalis plebem suam generet:* ad vitam *fidei* Mysterio Christi Totalis, Ecclesiae Unius, Sanctae, Apostolicae et Romanae, — ad vitam theologalis et universalis *charitatis,* — ad vitam *unitatis* catholicae sub Summi Pontificis auctoritate.

Mittitur Episcopus *ut totam suam dioecesanam communitatem trahat ad communionem cum Ecclesiae catholicitate,* intellectus, fidei, sensuum, amoris dispositionum communionem, filialiter, fiducialiter, active obsequente doctrinae actionique Papae, Ecclesiae ducis.

Multa obstacula impediunt quin totus populus ad hunc catholicum sensum transeat: scilicet quod nimis est particulare angustumque quoad commoda uniuscuiusque, diversos modos amoris suipsius, regiones, genus et sanguinem, linguas, nationes. Porro unus solus capax est et potentiam habet influendi in ecclesiae particularis plebem ut eam ad superiora elevet, illuminet, et ad sensum vere catholicum trahat; scilicet ipse Episcopus, pater.

Consequenter unus est pater, et sic melius verbum Pauli intelligimus: « Si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres; nam in Christo Iesu per evangelium ego vos genui » (*I Cor.* IV, 15).

* * *

Cur nobis videatur multum interesse ut talis doctrina affirmetur?

1. Quia ut fundamentum habet ideam *vitalem* et non pure administrativam Episcopatus. Porro res maximi momenti est, praesertim tempore nostro. Nimis multi sunt qui nihil aliud in Episcopo vident nisi quasi praefectum (préfet) rebus religiosis praepositum. Christus autem dixit: « Ego *veni* ut *vitam* habeant et abundantius habeant » (*Io.* X, 10). Certe quidem Episcopus bonus administrator debet esse. Sed quia est suae plebis pater, omnino administrare debet ut animarum *vitae* inserviat in Christo et Ecclesia.

2. Quia haec vitalis idea *Ecclesiis Orientalibus convenit,* quae toto nisu in animarum vitam sese vertunt: aliquando Ecclesiae romanae obiiciunt ipsam nimis iuridice sese gerere. Ibi etiam igitur illis propinquare possumus.

3. Quia haec idea *unicuique Episcopo veram suam missionem praesentat,* et semper ipsum monet ne in administratione mergatur, sed potius ut plebem suam continuo accrescere faciat, in vita fidei, spei et caritatis, in vita Ecclesiae.

4. Quia secundum hanc ideam Episcopalis paternitatis, non solum timendum est quin Ecclesia particularis in se ipsam vertatur et claudatur, neque timendae sunt gallicanismi crises, vel alicuius nationalismi particularis Ecclesiae, sed e contrario Episcopus ut pater agens *novas vires ministrat particularis Ecclesiae dependentiae erga universalem Ecclesiam et Romanum Pontificem.*

Iurisdictionis notionem eiusque respectum ad ordinis potestatem necnon et communicationem et limites, ecce ex hac parte theologiam haberemus quae renovata fuisset novamque vitam Ecclesiae praeberet et tandem animis tempore nostro tam magnis necessitatibus oppressis subveniret.

II

De relationibus inter Naturam et Gratiam

I. *Cur hanc quaestionem eligamus,* vel cur intersit huic quaestioni studere Concilium futurum?

1. *Quia graves errores, doctrinae respectu, et deflendae deviationes actionis respectu, ultimis annis, se protulerunt,* non tantum in Gallia

sed etiam alibi, quia ignorabatur vel quasi systematice non dignoscebatur de his rebus Ecclesiae doctrina.

Declarant enim hanc superatam esse (« dépassée »), — constitutam fuisse pro christianitatis temporibus, — civilisationem christianam concipi non posse in societate quae non iam est « sacrata », sed vult, utpote societas profana, autonomiam suam affirmare.

Civiles Status ad sequendum exemplum Galliae tendunt, quippe quae se laicam esse proclamavit. Non iam medium manet ut Ecclesia actionem supernaturalem et socialem Ecclesiae reiciunt. Mundus novus se constituere vult per seipsum, omni tutela liberatus. *Laicismus* in mentibus et in factis opus suum adimplevit.

Eodem tempore, et ex parte propter easdem rationes, accrescit, cum fluxus rapiditate, *naturalismus,* usque inter clericos: orationis, humilitatis, abnegationis deminutio, liberior participatio vitae mundi (librorum lectio, spectacula) — sensus Dei, peccati, gratiae deminutio, — « spiritualis » et « temporalis » confusio, primae partes in actione et ministerio, non mediis supernaturalibus et evangelisationi concessae, sed humanis valoribus, humanis mediis, temporali actioni, « structuris », ut aiunt, temporalibus reformandis, minoris pretii quam licet aestimatis momento et urgentia conscientiarum reformandarum.

Unde necessarium est mentibus revocare magnas doctrinae veritates circa relationes inter naturam et gratiam.

2. *Quia societas vertiginoso modo transformatur.* Ideo in tali mundo qui rapidissime evolvitur, Ecclesia in discrimen adducitur figuram praebendi societatis quasi congelatae in traditionibus structurisque suis, non iam capacis missionem suam supernaturalem adimplendi.

Multum interest plena luce apparere quantum, suam ipsam evangelizandi missionem exercendo, conscientias educandi, et ut Corpus Mysticum, Ecclesia vocatione sua et sine suffectione possibili, humanitati et modernae societati in eius propria evolutione, mirabiliter servire possit et debeat.

3. *Quia Ecclesia quae visceribus mundi moderni quasi insereretur,* curam haberet boni hominum, scientiarum et technicarum artium progressui attenderet, active et efficaciter constituendae internationali paci collaboraret; quae ubique et omnibus modis personam hominis defenderet, proclamaretque veritates quae solae adversus communismi errores societatem salvare possunt; talis Ecclesia, sic coram populis poneretur ut inclinatione voluntatis in eam Ecclesiae separatae magis propenderent, magisque ipsa omnes ad se traheret et necessariam suam missionem, temporibus nostris, magis manifestaret.

II. *Modus praesentandi propositus*

Quales possent esse veritates affirmandae?

1. Concilium Vaticanum continuando, Constitutioni *de Fide catholica* eas adiungere: hanc producere usque ad relationes inter naturam et supernaturam. Iam inceptum in capitulo *de Fide et ratione.*

Magni momenti esset per supernaturalis synthesim incipere, ut centrum ponentes *gratiam habitualem et theologalem vitam.*

A XVI saeculo, doctrina de gratia quemdam aequilibrii defectum passa est, qui ex erroribus illius temporis ortus est, ita ut potius gratiae actuali faverit. Sed controversiae quarum pleni fuerunt Theologici tractatus iam fere antiquatae videntur.

Ad adiuvandos sacerdotes ut vitam suam supernaturalem vivant, vitam interiorem accrescant, castitatis vinculis adhaereant, magni momenti, est augeri aestimationem *gratiae habitualis et sanctificantis,* quam theologia et spiritualitas modernae rursus invenerunt, cum mirabilibus suis effectibus in spiritualem vitam (status gratiae magnum pretium, Dei praesentia, Sanctae Trinitatis in animabus iustis habitatio, vitae divinae participatio, intima unio cum Christo, Corporis Mystici Capite). Haec etiam Ecclesiae vitae « mysticae » praesentatio intime moveret Orientales Ecclesias, quae eam secundum traditiones suas fortiter assequuntur.

Pari passu, necessario animadvertenda est magna pars *theologalium virtutum fidei, spei et caritatis in christiana vita.* Speciatim iis qui in Actione Catholica militant, monstrare quomodo missi ut testes et apostoli in medium societatis laicizatae, materialisatae, quoad « mediam partem paganizatae » (Pius XI), debeant theologalem vitam agere, vitamque fidei, gratiae, caritatis mittere in omnes cogitationes, omnia iudicia, totam suam personalem actionem, familialem, civicam, et socialem, in summa in totam suam realem vitam uniuscuiusque diei.

2. Possent tunc attente determinari *relationes inter naturam et supernaturale,* in memoriam revocando Christianis officium esse mundum aedificare ordini naturali et supernaturali conformem, secundum Dei voluntatem.

a) *Ex una parte, erroneum esset ordinis naturalis valorem negare:* Natura humana non fuit intrinsece vitiata. Existentia ordinis naturalis non a gratia supernaturali pendet. Consistentia manet ordinis naturalis, fundata super hanc concretam realitatem, scilicet hominem, quippe qui est spirituale ens, tota sua natura in Deum tendentem.

Haec ansam praeberent sequentibus monitis: quod Ecclesia omnium humanarum rerum naturae conformium valorem agnoscit, veretur, affir-

mat, nempe quod acquisivit humana intelligentia, ratio, scientia, technica ars: homini omnino fidet.

Accurate effectus peccati originalis determinare valde utile esset ad vitandos protestantium errores, ex una parte, et ex altera parte ad refraenandam exaggeratam ambitionem moderni hominis qui et potentia dominatrice super natura et « cosmon », et inventionibus, superbiendi occasionem sumit.

b) Etenim, ex alia parte, alius esset gravissimus error *ordinem naturalem super seipsum claudere*: apertus manere debet gratiae, supernaturali elevationi, Christi actioni. Non admittitur separata natura.

Proinde humanitas non inveniet aequilibrium suum, soliditatem, harmoniam, nisi in Christo Redemptore (*Col.* 1, 18). Totum Sancti Pauli propositum: « Instaurare omnia in Christo », exponi tunc posset in magnifica synthesi. Scilicet tota doctrina Redemptricis Incarnationis.

c) Conveniret tandem explicare quomodo *supernaturale totam rem humanam penetrans, veram naturam non alienat,* sed e contrario quia eam purificat et ipsi superiores vires addit, in linea sua naturali redintegrat et vere liberat.

Ecclesia, societas supernaturalis, salutis institutio, societatem civilem et Statum ultro admittit, secundum ordinem ipsorum temporalem et propriam missionem: munus eorum facilius reddit, medium vitale producit, quo Status facilius missionem suam adimpleat, in linea Status. Instaurando in Christo temporalem et oeconomicum, socialem, internationalem ordinem, non vim infert ipsorum naturae: omnia haec confirmat in eorum ordine, sicut gratia et missione sua supernaturali, purificatrice, et sanctificatrice, hominem magis hominem reddit, liberiorem, sui ipsius et sortis suae magis dominum.

Per Ecclesiam, pergit perficiturque totius rei humanae redemptio.

3. Concilium tunc determinare posset *doctrinam socialem Ecclesiae* plus quam unquam saeculo nostro necessariam esse: quia, — non quod ipsa sit solutionum perfectarum corpus in ordine technico, — tamen militantes laicos, qui civitatem meliorem struere per seipsos debent, monet quomodo in hac constructione spiritum imbuere debent requisitis Evangelii, ut vitam oeconomicam, socialem, internationalem, penetrent, necnon et spiritum imbuere magnis veritatibus de persona humana, de bono communi, familia, societate, pace et communitatis populorum unitate.

Occasione data, posset dissipari ambiguitas de *civilisatione christiana,* caute explicando quomodo Christianismus non in idem incidit cum particulari civilisatione dato quodam tempore historiae, nec ulli formae civilisationis alligatur, nam omnes transcendit.

Sed civilisationem christianam nominare possumus et debemus, civilisationem quae *spiritum suum trahit* a Christianismo, per quam Christiani, doctrina sociali Ecclesiae illustrati, nituntur in institutionibus, in structuris societatis et in tota sua familiali et publica vita, requisita fidei et caritatis traducere.

Conclusio

Videtur aevum nostrum satis moveri *servitii* adspectu. Concilii declaratio quae in luce poneret *servitii* missionem quam Ecclesia adimplere vult in humanitate, magna fama gauderet: non tantum quin caderent oppositiones et praeiudicia quae eam praesentant ut « clericalismum » mundum dominandi avidissimum sed etiam quin, positivo modo, ad Ecclesiam traheret ecclesias separatas aut incredulos, et desiderium eam cognoscendi apud multos promoveret. Nonne Pius XII viam aperuerat lucida formula: Ecclesia in medio populorum « *non ut dominetur,* sed ut *serviat* » (Encyc. *Summi Pontificatus*)?

III

De iure publico Ecclesiae

Cur utile videatur et necessarium ius publicum Ecclesiae a Concilio Oecumenico recognosci et ampliari ut societati modernae Statibusque transformatis melius adaptetur?

Quia, sub terminis suis actualibus, non iam necessitatibus hodiernis respondet, sive agatur de quibusdam definitionibus, sive de pluribus principiis, sive de regulis regentibus quae conscientiis lucem porrigere deberent. Inde sequitur difficile fieri, etiam Episcopis, requisita iuris publici in memoriam reducere, ipsiusque iuris auctoritatem labefieri, cum autem plus quam unquam necessario vigere debeat ut exacte iura et officia Ecclesiae determinet coram iuribus et officiis Statuum modernorum.

Non tantum aliunde recognosci debent quaedam capitula antiquata. Sed Magisterium Ecclesiae hodie extendi debet ad novas regiones vitae socialis et internationalis, multo directius quam olim.

I. *Quid recognosci debeat?*

1. *Quaedam definitiones.*

Exemplum: definitio « *societatis perfectae* » Statui applicata maximi momenti est in iure publico. Porro estne possibile hodie adhuc docere:

« Societas perfecta est societas quae sibimetipsi sufficit et quae in seipsa media sufficientia possidet ad finem obtinendum »?

Hodie, nullus Status sibimetipsi sufficere potest. Omnes autem Status egent alii aliorum. Solidarii sunt et interdependentes quoad omnia. Agendum est contra voluntatem quam fovent quidam Status in autarchiam et ad absolutum dominatum intendendi. Potius ad intus suae *solidaritatis* et *interdependentiae* posset notio *independentiae* definiri sensu Pii XII (Allocutio 6 decembris 1953 ad iuristas catholicos italianos): ius status alicuius suam propriam missionem adimplendi, cum plena competentia, iure internationali recognita, quin immixtionem patiatur aliorum Statuum quoad hoc, aut a quolibet Statu iuridice pendeat.

Non iam possibile est Statum quemlibet cogitare abstrahendo a societate internationali.

2. *Quaedam principia.*

Exemplum: ius publicum Ecclesiae *laicitatem Status* damnat.
Officia Status erga Deum affirmat, vi iuris naturalis.

Officia ista, sane affirmare pergimus. Sed primum *forma* potest plus esse *vitalis* quam iuridica: exprimitur enim apud quasdam nationes christiana fidelitas erga Deum, per laicos congregatos in associationibus militantibus, multo plus quam externis actibus publicae potestatis, qui etiam aliquando Ecclesiam in discrimen adducere possent. Sunt auctores publici iuris, in XIX saeculo (Taparelli, Liberatore) qui hanc representationem a laicis christianis praeviderunt, quando Status, a spiritu laicali moti, ab Ecclesia separabuntur.

Insuper *principium* ipsum laicitatis Status, de quo moderni Status offensioni valde proni sunt, recognoscendum est. Pius XII « sanae laicitatis » locutus est.

Sane quaedam laicitas Status *damnanda est:* doctrina scilicet philosophica *laicismi,* quam Status conscientiis imponere vellet, in scholis, administrationibus, publicis servitiis, laicismus qui usque ad formalem negationem Dei et eius legis moralis procedit et etiam ad apertam pugnam contra Ecclesiam.

E contra quaedam laicitas Status *omnino accipi potest,* perfecte conformis Ecclesiae doctrinae (a Leone XIII praesertim), quippe quae duas societates distinguit, unaquaeque in suo ordine.

Valde animos moveret quod Concilium Status autonomiam in ordine eius proprio temporali recognosceret. Modo adhuc expressiori (ut melius salvetur finium ordo, finis superioris cui Status submissus manet) autonomiam Status affirmaret, cum *functiones* et *servitia* status exercet, ordi-

nis politici, oeconomici, administrativi, iudiciarii, aerarii, exercitus, scholarum.

Amplius procedere possemus ut affirmatio haec principii laicitatis status ad separationem Ecclesiae et Status non perveniat: Si cultus Dei non iam in quibusdam Statibus (ut in Gallia a separatione) iuridice habetur ut publicum servitium, maxime interest religiosum factum non iam ignoratum iacere, et hoc non tantum sub individui aspectu, sed etiam sub institutionali et sociali. Gallicum ius, a separatione, libertatem conscientiae affirmat, liberum exercitium cultuum, in Congregationibus, dioecesanis associationibus versatur: his obiectis studet sub aspectu ordinis publici et communis boni. « Général de Gaulle » ambigua verba, « Respublica *laica* est », correxit, adiungendo quod « formas fidei veretur ». Notio haec positiva laicitatis, in natione divisa, quoad fidem, apparet tunc ut salvans, reverensque conscientiarum et fidei formarum libertatem, in nomine boni communis, et quamvis omnino doctrinae Ecclesiae non conformis appareat.

3. *Quaedam regulae regentes.*

Exemplum: in capitulo institutionis (enseignement) iuris et libertatis docendi Ecclesiae.

Sane multum interest ut fortiter affirmare pergamus ius Ecclesiae scholas privatas habendi, missionemque educationis adimplendi in libera institutione: libertas docendi omnes alias libertates sustinet. Oportet eam defendere adversus totalitarismos Statuum.

Difficilius problema invenimus multorum puerorum et adolescentium e familiis christianis oriundorum, qui *in scholis publicis Status student*. Possumusne cum eodem rigore regulam retinere secundum quam necessaria est licentia ab Ordinario et solum modo ob rationes graves concedenda? De facto ad hanc regulam non recurritur. Rari omnino sunt parentes qui eam sequuntur.

Ex alia parte, fateri debemus motiva nova, frequentiora quam olim, eos culpa liberare aut saltem excusare posse: rationes oeconomicae notatu dignae sunt (Studiorum anni in collegiis et scholis liberis multo constant. Incredibilis fortitudo et continua imponi nequit familiis pueris oneratis).

Potius quam regulam negativam et de facto non applicatam imponere, nonne magis conveniret in luce clara ponere officium grave quo hae familiae invigilare debent educationi religiosae et christianae puerorum in publicis scholis: officium etiam coalescendi in parentum associationes ut efficaciter agant apud potestatem publicam et academicas auctoritates?

Tandem in hoc institutionis puerorum capitulo, nonne expediret, ut iam Pius XI docuerat, ius status recognoscere ad educationem civicam praebendam vel etiam imponendam?

II. *Obiecta nova*

Videntur ius publicum Ecclesiae locupletatura capitula nova, quae magnis horae nostrae problematibus respondeant, scilicet ordinis familialis, socialis, politici, internationalis. Quae Summi Pontifices de his obiectis docent abundantem lucem afferunt.

Sufficitne abhinc notio classica in iure publico « *potestatis indirectae* », ut affirmemus iustumque faciamus quod in his materiis Ecclesia interveniat? Nonne praeter illam, bonum esset nos duci principio magis positivo, *apostolica missione Ecclesiae,* secundum quam homines salvat ubique sunt, vivunt et agunt, scilicet *universali missione* quae ordini naturali sese extendit, sicut ponebant principia de natura et gratia?

Nonne Ecclesia, sicut declaravit Pius XII, voluntate Dei et mandato Christi « custos est ordinis naturalis et supernaturalis » (Radio allocutio Pentecostes 1941)?

Nonne idem Papa dixit: « Ecclesiam hominem totum attingit ut eum formaret in harmonia eius vitae naturalis et supernaturalis »? Totus homo salvari debet. Totum opus creationis in Christo instaurandum est.

Reiiciendo duplicem errorem *separationis* regionum duarum (sicut volunt liberalismus et laicismus) aut confusionis (sicut proclamaverunt qui imaginantur terrestrem civitatem struendo, corpus mysticum Christi et regnum Dei struere), magni momenti est exacte determinare apostolicam missionem Ecclesiae respectu civitatis terrestris munerum: sane nequaquam in directum finem temporalem efficientiam civitatis terrestris confirmandi, sed ut unumquemque hominem, omnem hominem, omnes homines salvet, solum modo missionem suam evangelisationis et sanctificationis exercendo; plene civitatis terrestris ordinem temporalem observando, technicarum artium ordinem, oeconomicum ordinem, politicum, socialem, internationalem, ordinem naturalem in dignitate propria, Ecclesia civitatem terrestram salvat, normaliter pleneque evangelium veritatis tradendo, quod ordinem iurium et officiorum exprimit erga personas, familias, societates, populorum communitatem.

Tandem ius publicum Ecclesiae locupletare debet capitulum novum de *laicatu:* de eius missione in Ecclesia, de Actione Catholica, et Actione temporali.

Exactissime determinare duarum ultimarum formarum distinctionem

actionis christianorum laicorum, multum interest ad confusionem gravissimam vitandam rei apostolicae et politicae.

Actio catholica missioni apostolicae Ecclesiae participat: secundum ipsam, laici qui in medio terrestris civitatis vitam degunt, adlaborare debent, fidei et caritatis testimonio, ad mundi redemptionem, id est totam vitam humanam in Christo instaurare.

Actio temporalis (politica, socialis, syndicalis) transformare intendit civitatem terrestrem, eius structuras, institutiones, mores ut conformiores inveniantur Dei consilio, meliusque missionem apostolicam Ecclesiae excipiant eique faveant.

Convenit valde monstrare laicis christianis officium, quod eis fortius impendet quam ullo alio tempore, animo volenti ad hos modos actionis accedendi, ut Ecclesia mundo moderno adsit eumque salutariter illustret.

Forte igitur, — sit venia suggerendi, — Romae institui possent organa, in quibus documenta, investigationes et inquisitiones circa res sociales congregarentur pro analysi exacta et profunda factorum et formarum diversarum in diversis nationibus in toto orbe.

17 Aug. 1959.

✠ EMILE GUERRY
Arch. Cameracensis

24

EXC.MI P. D. PETRI M. PUECH
Episcopi Carcassonensis (Carcassonne)

Carcassonne, le 24 février 1960

Eminentissime Seigneur,

J'avais rédigé ma réponse à la Commission antépréparatoire du Concile dans les premiers jours de septembre, à la suite d'un échange de vues avec mon Métropolitain. Mais je viens de retrouver le texte de ma réponse et je suis pris d'un doute: le texte que je retrouve est-il une copie ou le texte même que je voulais envoyer?

Que Votre Eminence veuille donc me pardonner de lui adresser ce texte. S'il fait double emploi, il n'y aura qu'à le détruire; dans le cas contraire, je souhaite que cette réponse ne soit pas trop tardive...
En septembre, les retraites pastorales du clergé, une session de religieuses et une session sacerdotale ont retenu mon attention et je crains d'avoir omis d'envoyer la réponse préparée.

Que Votre Eminence veuille bien accueillir ma démarche avec indulgence et qu'Elle daigne agréer l'hommage de mon profond respect et de mon dévouement.

✠ Pierre-Marie Puech
Ev. de Carcassonne

Carcassi, die 8 septembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Cum circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt Summus Pontifex sententias Episcoporum cognoscere desiderat, haec sunt vota quae ad Commissionem Antepraeparatoriam humiliter et reverenter deferimus.

I. Ut perficiatur opus Concilii Vaticani primi *de Ecclesia*

De Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio salutarem Christi doctrinam Patres Concilii Vaticani primi iam declaraverunt. In Vaticano autem secundo tractanda videntur:

1. de Episcopis, de eorum munere ac potestate;
2. de laicis, de apostolatu laicorum et de « Actione catholica ».

Optamus speciatim:

— ut Regularium ab episcopali iurisdictione exemptio in his tantum quae ad eorum interiorem vitam spectant finiatur;

— ut notio medievalis « beneficii », quae saepe animarum utilitati contraria est, reformetur.

Denique exponenda sunt:

— quae sit evangelisatio et quomodo necessaria;

— Christum realiter inveniendum non posse nisi in Ecclesia;

— principia de Ecclesiae unitate, contra errores Oecumenismi.

II. Ut *liturgica restauratio* perficiatur

1. ut liturgia magis ac magis vim pastoralem habeat, quin traditionis thesaurum perdat;
2. ut linguae liturgicae quaestio solvatur.

III. Ut *Curia Romana* reformetur

Nisi enim haec Romana Curia ab radice reficiatur, omnes alias res expedire impossibile erit frustaque optima decreta Patres Concilii eli-

gent. Nam Curia Romana non iam Ecclesiam gubernat in Europa, sed ubique terrarum. Onera evangelisationis creverunt periculaque ab islamismo, materialismo, etc. ... Urgens est Curiam « adaptare » ad amplitudinem et complexitatem quaestionum, speciatim

— per « internationalisationem » Curiae,
— per « decentralisationem » officiorum eius,
— per mutationes in modo eligendi eos qui in Curia laborant.

IV. Ut *de eschatologia et de terrestris rebus* perficiatur theologia

Multi etenim iam hodie tenentur errores, qui in posterum graviores fient. Praesentia bona propter futura sacrificanda sunt: dum olim nimis contemptae sunt terrestres realitates, nimis hodie magnificantur, ita ut saepe a sacerdotali ministerio vel a monastica aut religiosa vita iuvenes detorqueantur.

V. Ut cum quadam solemnitate reaffirmetur *omnes ante Deum aequales esse,* « sive Graecos sive Scythos » sive Afros, etc.

VI. Ut *ecclesiasticarum provinciarum fines* reformentur, ita ut practice teneri possint concilia provincialia vel plenaria (quorum decreta vim habebunt quam resolutiones cuiuscumque coetus episcoporum habere non possunt).

VII. Ut *in processibus beatificationis et canonisationis* modus iuris exsequendi reformetur: quod restricte postulant hodierni historici necnon medici ac iudices.

Haec omnia vota, quae libere ac confidenter communicanda putavimus, in sua sapientia probet aut repellat Commissio Antepraeparatoria. Nos vero quotidianas preces ad Virginem Matrem effundimus, ut abundanter fructus afferat futurum Concilium.

Ev. de Carcassonne

Qua freti spe, optima quaeque Tibi, Eminentissime ac Reverendissime Domine, ex animo ominamur ac plurimam in Domino salutem dicimus.

✠ PETRUS-MARIA PUECH
Episc. Carcassonnensis

25

Exc.mi P. D. RENATI IOSEPHI PIÉRARD
Episcopi Catalaunensis (Chalon)

Châlons, le 31 augusti 1959

Eminentia Reverendissima,

Litteras quibus significabatur Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico institutio, cui Commissioni praeest Eminentia Vestra, laetus accepi.

Ut desiderio Augusti Pontificis a Vobis prolato respondeam, has paginas cum simplicitate scripsi et trado.

Sacram Purpuram deosculans, reverentiam observantissimus praesto Eminentiae Vestrae, cui fausta quaeque a Domino adprecor:

✠ Renatus-Iosephus Piérard
Episcopus Catalaunensis

I. De Ecclesia

Recentioribus annis, in Gallia, praecipuas et imprimis curandas quaestiones *ad Ecclesiae theologiam pertinere* sententia et experientia unanimes arbitrantur episcopi.

Non tantum difficultatibus et periculis expertis, sed etiam cuiusdam recti Ecclesiae sensus nec non et theologiae pastoralis progressu feliciter comperto, necessaria videtur accurata explanatio notionum quae ad Sanctae Matris Ecclesiae *naturam, structuras* et *vitam* spectant, in S. Vaticani Concilii lineam et complementum.

Itaque, veritati, unitati, aeque ac Ecclesiae fertilitati valde utiles, subtiles discussiones desiderantur:

de Romano Supremo Pontifice;

de episcoporum munere tanquam Apostolorum successores, doctores, pastores, « forma gregis », vitae spiritualis fontes pro fidelibus et ante omnes pro sacerdotibus suis;

de sacerdotibus, episcoporum providis cooperatoribus, quorum sacerdotium ministeriale a laicorum sacerdotio essentialiter separatur;

de statu et muneribus laicorum in Ecclesia qui, cum speciali in temporalibus idoneitate, ad Corporis Mystici sanctitatem, aedificationem, prolationemque conspirant. Unde delinearetur theologia quaedam « de laicatu ».

Vicesimi saeculi Ecclesiam necesse videtur vicesimi saeculi homines, populos, « technicas », vires, philosophias, errores, nec non et ad Deum propensiones, aptitudines viasque lucide considerare. Quomodo loqui ut audiant et fideles, et indifferentes, et infideles? Quomodo in massam fermentum mergere et operariorum praesertim mentes et corda attingere?

In Sancta Ecclesia a Spiritu Sancto sustentata et sub Illius influxu progrediente, signa vitalitatis non pauca effulgent, inter quae:

altior Corporis Mystici sensus, amorem Ecclesiae meliorem et servitium parens;

Summo Pontifici fiducia penitus data;

Scripturae Sacrae, ab Ecclesia traditae, fidelium mentium et cordium apertio et acceptio avidissima;

sacrae Liturgiae devota appetentia cum *participationis* incredibili cupiditate.

II. De Liturgia

Sacrae Liturgiae devotam appetentiam cum participationis cupiditate notavimus.

Ad hanc optabilem participationem, linguae vernaculae latiorem usum fideles multi et sacerdotes, boni pastores, vocant et dolenter quasi inclamant!

Inter nostri temporis necessitates magnam *veritatis* curam et cuiusdam *brevitatis* expostulationem notavimus.

In urbibus derelinquuntur *missae cantatae* ad *missarum lectarum* quaestum! Cur in cantatis pauciores sed multo plures in lectis? Ratio est non tam brevitas quam in lingua propria et intelligibili, sine duplicatione, Verbum Dei audiendi, preces effundendi, cantus cantandi aestimata facultas.

Ut missis cantatis se devotos praebeant fideles valde optamus!

Melior esset condicio si illa proclamatio quae merito fit ad populi eruditionem et aedificationem, scilicet epistulae et Evangelii, etiam a subdiacono vel diacono, in lingua vernacula sine duplicatione permitteretur.

III. Evangelicae simplicitatis causa...

Piam reverentiam et oboedientiam erga eos qui in Ecclesia auctoritatem quamdam gerunt accurate commendare et vindicare semper oportet!

Attamen, ita ut Evangelio D. N. Iesu Christi melior fidelitas significetur, et soli Deo honor et gloria serventur, et fidelibus ac infidelibus Ecclesiae purior vultus manifestetur, nobis bonum et opportunum vide-

tur ut episcopi, et omnes qui praesunt, spiritum humilitatis et modestiae aperte ostendant.

Iam S. P. Pius XII normas ad Cardinalium Patrum habitum pertinentes dedit (Motu Proprio 30-10-1952) ... ob peculiares nostrorum temporum condiciones, ut omnes... ad vivendi rationem magis sobriam, moderatam, atque austeram compellantur.

Temporibus nostris, tituli ut « Excellentia », « Illustrissimus », « Reverendissimus », aetatis revolutae esse videntur et recentiorum risum saepe movent. Verbi Domini in Matthaeo XXIII, 10 meminimus.

Utinam « patres » sint et dicantur episcopi!

Apertioris simplicitatis virtute in caeremoniis (e. g. geniculationem ante episcopum inclinatione supplendo), in vestibus, nominationibus etc., melius divitibus et pauperibus exhibebimus « gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam... sed ut sit sancta et immaculata » (*Ephes.* V, 27).

IV. Circa fidelium instructionem

Prae oculis habentes S. S. P. Ioannis XXIII declarationem in Encyclica *Ad Petri Cathedram* (usque adhuc versionem gallicam solum tenemus):

« Le but principal du Concile consistera à promouvoir le développement de la foi catholique, le renouveau moral de la vie chrétienne des fidèles, l'adaptation de la discipline ecclésiastique aux besoins et méthodes de notre temps ».

Quoad fidem catholicam promovendam, opportunus videretur catechismus universalis ad populum, praecipuas fidei catholicae formulas tradens, in diversis praesentationibus incorporandas, ingenio et necessitatibus singularum regionum conformibus.

V. Quoad Iuris Canonici aliquas adaptationes

Plurimorum Codicis sectionum intense desideratur revisio.

Imprimis in Libro III De Rebus, Parte V. *De Beneficiis.* Stylo ipso canonum quorum auctores actualis curae animarum et apostolatus necessitates non contemplabantur, sed potius paroeciarum in natione christiana administrationi curam dederunt, difficilis redditur recursus ad Iuris regulas in hodierno rerum statu.

Ad rem quod attinet videntur saepe I. C. commentatores ipsi in abstracto manere, nolentes ad particulares applicationes in aliquo facto concreto hodiernae condicionis sententiam suam trahere.

Et sic divortium inter iuris regulam et modum se gerendi magis ac magis augetur.

Sit ut exemplum quaestio parvularum paroeciarum quas in favorem urbium minuere vidimus et quarum unio sub ductu unius pastoris ad quam saepe cogimur (paroisse principale, annexes) nisi per recursum ad codicis spiritum potiusquam ad litteram legitimatur.

Sic etiam desideratur moderatio in rigiditate legis circa immovibilitatem parochorum ut melius et opportunius Ordinarii necessitatibus apostolatus providere possint.

Desiderantur Canones qui positionem Actionis Catholicae relate ad paroecias et dioecesim definiant et actioni pastorali communi plurium parochorum favant in aliqua regioni vel dioecesi ne solitarii conatus unius pastoris in una paroecia vani remaneant.

Desiderantur Canones definientes notionem et naturam Institutorum saecularium quae, sub impulsu S. P. Pii XII et adhortationibus S. S. P. Ioannis XXIII (Encycl. *Sacerdotii nostri primordia*) in Ecclesia multiplicantur.

Libri V De delictis et poenis simplificatio valde opportuna apparet:

in poenarum simpliciore divisione;

in reductione multarum distinctionum circa poenarum reservationem;

in divisione materiae in partes magis distinctas, cum clariora praesentatione quae confessariorum memoriam minus onerent.

V. g.: Opportuna videretur maior similitudo, servatis servandis, inter tenorem Can. 2254 circa reservationem censurarum et tenorem Can. 900 circa reservationem peccatorum.

VI. Minoris momenti opiniones

De Confirmationis administratione.

Saepe multi eamdem caeremoniam adeunt confirmandi: propter quod Deo gratias agimus! Sed si plures quam ducenti sint confirmandi, diuturnus fit ritus, episcopo satis laboriosus, pueris nimis onerosus.

Formula quae sacramenti forma est quatuor signa crucis praecipit, nempe unum summitate pollicis dexterae manus super caput confirmandi, deinde tria alia simul cum verbis: « In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠Sancti ».

Allevatio esset satis notabilis, caeremoniae gravitas et fervor amplificarentur si ad unicum signum crucis unicuique cum sancto Chrismate teneretur episcopus. Si libet, post (vel ante!) omnium confirmantium chrismationem locaretur triplex invocatio et benedictio « In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠Sancti ».

De sacra Communione.

Item, faventibus recentioribus de ieunio eucharistico legibus, ad sacras epulas accedunt felices multitudines. Brevitatis et gravitatis ratione, ministro sacrae communionis formulam magis contractam optamus ut: « Corpus Christi! ».

De concelebratione.

Omnis Missae privatae virtutem firmiter tenemus!

Attamen non raro accidit ut multi sacerdotes simul in eodem loco sacra celebrent, pluribus altaribus alii aliis celeriter succedentes. In statuendis casibus (e. g. inter exercitia spiritualia) nonne bonum esset presbyteros saltem cum episcopo vere celebrare? Forsitan, per Concilii tempus, aliquam Concelebrationem cum seipso instituere volet Summus Pontifex?

Omnia, Ecclesia duce, ad maiorem Dei gloriam et hominum salutem!

✠ Renatus-Iosephus Piérard
Episcopus Catalaunensis

26

EXC.MI P. D. LUDOVICI M. DE BAZELAIRE

Archiepiscopi Chamberiensis (Chambery)

Chambéry, 21 octobre 1959

Eminentissime Seigneur,

J'ai l'honneur d'adresser à Votre Eminence les questions qui me semblent pouvoir être l'objet de l'attention du Concile œcuménique. Je m'excuse du retard apporté à la demande que Votre Eminence m'avait fait parvenir au mois de juillet. Les vacances d'une part, d'in-

nombrables sessions ou retraites d'autre part ne m'avaient pas permis d'étudier la question avec assez de soin. La collaboration de plusieurs prêtres compétents m'a aidé dans cette tâche.

Veuillez agréer, Eminence, l'hommage de mon profond et religieux respect en N.-S.

✠ Louis-Marie de Bazelaire
Archevêque de Chambéry

Qaestiones Concilio Oecumenico propositae

I. Cum Sacramenti Ordinis et ecclesiasticae hierarchiae, a Christo Domino institutae, existentiam sacrosancta Tridentina Synodus iam definierit, Romani vero Pontificis primatum et infallibile magisterium Concilium Vaticanum luculenter descripserit et declaraverit, optandum est ut futurum Concilium Oecumenicum in exponenda doctrina catholica de Sacerdotio Christiano ulterius progrediatur, eiusdem essentiam enucleando.

Et primo de sacerdotio, ut aiunt, « ministeriali », quod Ecclesiae ministris per sacram ordinationem confertur. Necesse quidem fuit, contra Novatorum saeculi decimi sexti errores, potestatem consecrandi et offerendi verum Domini corpus et sanguinem, et peccata remittendi vel retinendi, et alia sacramenta conficiendi, quae sacerdotibus novae Legis competit, fortiter et invicte vindicare; alienum autem foret a genuina sacerdotii catholici notione, illud ut meram summam munerum et potestatum sacrarum considerare, cum missio, ex ipsis verbis Domini, Apostolis eorumque successoribus et adiutoribus collata, organice includat testimonium fidei et Evangelii praedicationem. Hodiernis igitur temporibus congruum videtur *totam* de sacerdotio doctrinam, modo *synthetico,* proponere, quatenus — sicut ex Traditione et ipsis ordinationis ritibus patet — est « *ordo* » in Ecclesia, sive sacerdotium « *organicum* », triplicem Christi Iesu missionem docendi, et sanctificandi, et regendi, ad finem usque saeculi exercens.

Item, sicut perutile necessariumque fuit, grassantibus doctrinis, ut aiunt, modernis, Romani Pontificis infallibilitatem et primatum, unitatis principium et visibile fundamentum, sollemniter proclamare, ita hodie superest ut *episcopatus* definitio statuatur. Tunc enim viri theologiae sacrae periti tractatum dogmatico-canonicum « de episcopo » rite conficere poterunt, cum authentice, et copiosius declaratum fuerit, non solum quaenam sint episcopi munera, sed etiam « quid sit » episcopus, in quantum est membrum corporis episcopalis, Romano Pontifici cohae-

rentis, et in quantum ecclesiae suae propriae pastor est et rector, Apostolorumque successor.

Cum vero totum Ecclesiae corpus, ut ait beatus Petrus apostolus, sit genus electum et regale sacerdotium, sacerdotiumque sanctum ad offerendas spirituales hostias, et omnibus Christi fidelibus non tantum officia, sed et praerogativa, e charactere baptismali profluentia, competant, optatur ut Concilium Oecumenicum doctrinam catholicam *de statu laicorum* in Ecclesia sedulo elucidet, quasi ad unum revocando omnia quae iam a Romanis Pontificibus edocta sunt, v. g. a Pio Papa XI, actionem catholicam instituente, et a Pio Papa XII in litteris encyclicis *Mystici Corporis* et *Mediator Dei,* et in allocutione de apostolatu laicorum, etc.

Per huiusmodi definitionem securum constituetur fundamentum dogmaticum illi necessariae fidelium et hierarchiae cooperationi, quae non solum temporibus nostris maxime accommodatur, sed ex ipsa Ecclesiae natura defluit.

Ex quibus dogmaticis definitionibus erui poterit, et, summatim saltem, a Concilio exponi *doctrina spiritualis,* ascetica et mystica, quae sacerdotibus cleri dioecesani proprie aptetur: talis enim « spiritualitas » nondum clare apparet, sed saepius clerici et presbyteri doctrinis erudiuntur, valde utilibus et probatis, quae tamen, a religiosis et in usum religiosorum excogitatae, non sine adaptatione quadam, plus minusve perfecta, clero saeculari accommodantur, cum sacerdotii ipsius dignitas et divitiae inexhaustum vitae spiritualis fontem omnibus qui sacris ordinibus sint initiati praebere possint.

Item, sacerdotii et status laicalis notione recta statuta, sollicitudo pastoralis melius et efficacius exerceri poterit. De hac re optandum est ut Concilium Oecumenicum normas edicat *de practica initiatione et exercitatione* clericorum, in Seminario degentium, ad varia pastoralis officii munera. Hucusque enim praelectiones theoreticae non desunt, v. g. de paedagogia, de catechesi tradenda, de cura animarum, hisque similibus: desideratur vero ratio *initiandi* proprio sensu illos qui mox ministerio applicaturi sunt, et omnino necesse videtur ut initiatio illa, antequam Presbyteratus ordinem suscipiant, vel quam primum post illum sacrum ordinem susceptum, locum inveniat. In re tam gravi tantique momenti valde expedit ut normae a summa Ecclesiae auctoritate proponantur, attentis diversarum regionum diversis necessitatibus, quae normae in Concilio decerni opportune poterunt.

II. In dubium vocari nequit, ipsius Spiritus Paracliti inspiratione, non solum in Ecclesia Catholica, sed apud dissidentes fratres, virorum atque foeminarum numerum in dies crescentem omne studium in procu-

randa populi Christiani unitate conferre. Ss.mus Dominus noster Ioannes XXIII fel. regn. ipse iam multoties et publice manifestavit quanti momenti sibi videatur omnes eniti, omni ope atque opera, ut omnes unum sint fiatque unum ovile. Inter illa igitur, ad quae Concilium Oecumenicum adlaborare necesse est, *rem,* ut aiunt, « *oecumenicam* » primum locum obtinere procul dubio convenit.

Ad quam unionis causam pertinere videtur genuina definitio *Traditionis* catholicae, quippe quae non solum Latina et Occidentalis, sed et Orientalis existat: quod quidem minime negatur, sed, in praxi, in oblivionem nonnumquam adducitur. Optandum igitur, ut in alumnis Seminariorum, et praesertim Universitatum, edocendis, in memoriam revocentur quae iam a Romanis Pontificibus praescripta sunt de theologia Orientali excolenda, ita ut a sacerdotibus, et etiam, in quantum fieri potest, a fidelibus Ecclesiae Latinae, Orientalium omnium (Graecorum, sed et Syrorum, Armenorum, etc.) theologia, liturgia, doctrina spiritualis, disciplinaque melius agnoscantur.

Item ad rem « oecumenicam », sed et ad communem Ecclesiae utilitatem, nonnihil allaturum videtur Concilium, si *Curiae Romanae reformationem* vel, ut verius dicatur, *meliorationem* susceperit, eiusdem indolem supranationalem et universalem confirmando, ita ut ad Congregationum, Tribunalium Officiorumque Romanorum munera adimplenda, clerici ex totius orbis dioecesibus (non exclusis regionibus a S. C. de Propaganda Fide dependentibus) seligantur et vocentur. Optatur etiam ut, salvis saecularibus et sapientissimis Curiae Romanae traditionibus, in expediendis variis negotiis adhibeantur methodi hodiernis moribus et technicis adaptatae, in quantum prudenter fieri potest.

III. Sacrae Liturgiae *reformationem generalem* quam Romani Pontifices nostra aetate feliciter et sapienter auspicati sunt, et de cuius primordiis (v. g., ne plura enumerentur, Ordine Hebdomadae Sanctae instaurato, rubricis ad simpliciorem formam redactis), Pastores et fideles grato animo gavisi sunt, Concilium Oecumenicum prosecuturum fas est sperare. Quae quidem reformatio, perspecta authentica Ecclesiae Romanae traditione, et prae oculis habitis omnibus hodiernae scientiae acquisitis, in primis *pastoralis* esse debet, et ad spiritualem totius populi Christiani utilitatem spectare. Quod si totius liturgiae reformatio a Concilio promulgari nequeat, valde optabile videtur ut eiusdem lineamenta generalia proponantur, ad actionem liturgicam recte et prudenter promovendam, et ad tollendum omne erroris seu corruptelae periculum, a quo privata incepta raro esse immunia satis constat.

Inter praecipua huius reformationis capita, recensenda in primis videntur quae sequuntur:

1. Salvo praescripto Concilii Tridentini, ne missa vulgari passim lingua celebretur, salva item eiusdem Concilii anathematizatione adversus eos qui dixerint « lingua tantum vulgari missam celebrari debere », videtur expedire ut *linguae vernaculae* quae hodie certum perfectionis gradum obtinuere in sacris Ecclesiae ritibus legitime admitti et adhiberi possint: Concilii Oecumenici erit statuere quisnam esse debeat illorum idiomatum usus, ut omnia in ordine fiant, absque omni periculo, et salva in lege orandi unitate cum rationabili varietate coniungenda, cauto etiam ne latinae linguae usus paulatim evanescat.

2. *Pontificale Romanum* esse reformandum nemo est qui non concedat, ut illae sollemnissimae liturgiae functiones, in praedicto libro descriptae, populi Christiani eruditioni et devotioni magis aptae fiant: quod feliciter eveniet, si ad pristinam erunt simplicitatem revocatae, expunctis v. g. quibusdam Medii Aevi adiunctionibus, quarum symbolica significatio hodie vix intelligitur, et si ad breviorem formam redactae erunt (praesertim in Ecclesiarum dedicatione, et in sacro Chrismate conficiendo, etc.).

3. Idem dicendum de *Caerimoniali Episcoporum,* cuius ordinationes et praescripta vix observari possunt. Multum quidem sacrarum caerimoniarum dignitati et Pontificalis maiestatis venerationi proderit, si regulae simplices et hodiernis moribus convenientes statuentur.

4. *Breviarii* vero et *Missalis* Romani reformationem maioris etiam esse momenti et necessitatis urgentioris in aperto est. Kalendario Ecclesiae universalis — salvis, pro legitime utentibus, kalendariis propriis — ita emendato ut « Romanum » et « universale » evadat, convenit ut Officium divinum instauretur, a clero dioecesano persolvendum, quod hodierno vitae pastoralis rhythmo congruat, cum fieri non possit ut « operis Dei » eadem sit ratio apud saeculares clericos et apud regulares: Horae singulae tempore competenti celebrentur, scilicet mane, vespere et ante somnum (additis, si placuerit, brevioribus precationibus ad Tertiam et Sextam et Nonam), participatio populi facilius procuretur, pietas sacerdotum recte nutriatur.

In Missali reformando, praecipue providendum ut pericopae pro « epistola » et « evangelio » sedulo deligantur, secundum antiquam traditionem et ad maiorem populi aedificationem, et ut aliquae missae preces et caerimoniae ad simplicem et authenticam formam redigantur.

* * *

Ex dictis apparet distinctionem inter capita dogmatica et ordinationes disciplinarias sive pastorales statui non posse, cum ista omnia inter se

arcte cohaereant; attamen, ut votorum quasi summarium quoddam fiat, fas sit per modum conclusionis aliquas propositiones, vel potius quaestiones, breviter proponere:

A) *Capita doctrinae Catholicae a Concilio elucidanda vel etiam definienda.*

1. Quid sit proprie sacerdotium Christianum, et in quo consistat essentia ordinis sacerdotalis.
2. Quae sit ratio propria episcopatus.
3. Qui sit status laicorum in Ecclesia, quatenus sacerdotii Christi Iesu, per baptismum et confirmationem, participes efficiuntur.
4. Quod Traditio catholica ex totius Ecclesiae fontibus, tam Orientalibus quam Latinis, erui debeat.
5. De recto conceptu « oecumenismi ».

B) *Ordinationes pastorales et canonicae a Concilio statuendae.*

1. De spiritualitate sacerdotali.
2. De practica clericorum initiatione ad munera pastoralia obeunda.
3. De reformatione Curiae Romanae.
4. De usu linguae vernaculae in sacra Liturgia.
5. De reformatione liturgica generali, spiritu « pastorali » perficienda.

✠ Louis-Marie de Bazelaire
Archevêque de Chambéry

27

Exc.mi P. D. ROGERII MICHON
Episcopi Carnutensis (Chartres)

I C/59-343 29 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Ut petitioni tuae de Concilio Oecumenico praeparando respondeam haec praeter alia vota, in folio subsequenti infrascripta, mihi mittenda videntur.

Humillimae reverentiae sensus ex corde in Domino profiteor.

✠ Rogerius Michon
Episcopus Carnutensis

VOTA

1. *In rebus fidei*

Ut rursus affirmetur et determinetur doctrina fidei de *Deo* fine ultimo et de salute hominum per Christum et Ecclesiam procuranda contra errores materialismi hodierni, laicismi et purae technicae mentis.

2. *In ipsa disciplina Ecclesiae*

Ut argumenta fiant:

de formatione, apostolatu et meliori repartitione Cleri per dioeceses, nationes et totam Ecclesiam;

de iuribus et officiis populi christiani, nempe laicorum, in Ecclesia et in ordine ad apostolatum et Actionem Catholicam;

de vernaculae linguae frequentiori usu in functionibus celebrandis et sacramentis administrandis.

28

EXC.MI P. D. PETRI DE LA CHANOINE

Episcopi Claromontani (Clermont)

Clermont, 2 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Proximi Concilii Oecumenici nuntiatio, in dioecesi Claromontana sicut in universa Ecclesia, magnam famam habuit. Quoniam Summus Pontifex benigne rogare voluit, per Eminentiam tuam, Episcoporum opiniones circa res quae in futuro Concilio tractari poterunt, mihi magno honori est responsionem meam mittere ad Pontificiam Commissionem antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico, cui Commissioni praeest Eminentia Tua.

Optabile mihi videtur ut perficiatur opus a Concilio Vaticano inceptum de Ecclesia per promulgationem Constitutionis dogmaticae de Summo Pontifice. Maximi momenti mihi videtur ut Episcopatus quaestio tractetur: circa illius naturam, enim, controversiae recenter ortae huius quaestionis gravitatem significaverunt.

In quaestione antecedenti connexa numquid opportunum esset studere ac definire status in Ecclesia proprios clericorum et laicorum? Istorum enim apostolatus, et praesertim Actionis Catholicae, incrementa postulant ut utrorumque mutua iura et officia clare et adamussim definiantur et declarentur.

In disciplinae materia, Concilium authenticae vitae sacerdotalis ve-

rum fundamentum et necessarias regulas pro certo affirmare posset. Etenim mala quae ex duobus ultimis bellis manaverunt; perturbatio quae apud quosdam orta est ex experimentis, sane quoad intentionem magnanimis sed in suis effectibus luctuosis, quale fuit in Gallia « sacerdotum-operariorum » experimentum, claram et firmam expositionem postulare videntur, secundum doctrinam a Summo Pontifice recenter traditam in Encyclica *Sacerdotii Nostri primordia.*

Quoad *Codicem Iuris Canonici* hodiernis necessitatibus accommodandum optandum est ut, in quantum fieri potest, regulae circa censuras ecclesiasticas simplicius enuncientur ut exinde facilius et efficacius serventur.

In alio argumento, adest et de die in diem crescit grave periculum, scilicet: in quibusdam catholicae societatis classibus, praesertim popularibus, materialismi athei et communismi errores in animos callide influunt. Hoc periculum etiam sacerdotes non plane vitant. Hic mihi videtur adesse praesentis temporis haeresis maxima gravissimum et acutissimum periculum cui nunc obnoxia est Ecclesia et cui fortiter et efficaciter resistendum est.

Interim impensos animi sensus reverenter profiteor Eminentiae Tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor.

✠ PETRUS DE LA CHANOINE
Episcopus Claramontanus

29

EXC.MI P. D. LUDOVICI IOANNIS GUYOT
Episcopi Constantiensis (Coutances)

Le 14 août 1959

Eminence Révérendissime,

Pour répondre au désir du Souverain Pontife que Votre Eminence a bien voulu me communiquer, j'ai l'honneur de lui faire parvenir sans tarder une brève énumération des questions qui — à mon humble sentiment — pourraient faire l'objet d'une étude au prochain Concile.

Elles ont été groupées sous les quatre titres indiqués dans la lettre de Votre Eminence.

Il va sans dire que ce sont là des titres de chapitres, et que je me tiens à la disposition de la Commission Pontificale pour toute étude ultérieure plus précise et plus approfondie.

Daigne Votre Eminence agréer l'hommage du très profond et très religieux respect avec lequel j'ai l'honneur de baiser sa pourpre sacrée.

✠ Jean Guyot
Evêque de Coutances et Avranches

I. De quibusdam theologiae dogmaticae capitibus in futuro Concilio tractandis

A) *De Ecclesia*

Quod requiritur voluntate salvifica Dei, et necessitatibus hodierni mundi, circa *unitatem,* sanctitatem, *catholicitatem,* et apostolicitatem Ecclesiae.

B) *De Sacerdotio*

Praesertim:
de Episcopo (ad perficiendam doctrinam Concilii Vaticani, de Romano Pontifice et de Infallibilitate Pontificali);
de Presbyteris;
de Diaconis.

C) *De Religiosis*

Praesertim, de eorum earumque participatione ad activitates pastorales Dioecesis.

D) *De Laicis*

Praesertim, de *Apostolatu laicorum.*

II. De disciplina cleri et populi christiani

A) *De clericis*

1. *De clericis in genere.*

Praesertim, de mediis favendi vitam spiritualem sacerdotum et ministerium pastorale: de educatione clericorum; de initiatione ad vitam pastoralem; de speciebus diversis vitae communis; de cooperatione apostolica, etc.

2. *De clericis in specie.*

a) De cooperatoribus Romani Pontificis in Urbe.
De electione et statuto clericorum qui Romae adiuvant Summum Pon-

tificem in regenda Ecclesia Universali; in regenda Ecclesia Latina; in regenda Ecclesia Italiae; in regenda Ecclesia Romana.

De cardinalibus, qui sunt consiliarii et adiutores Summi Pontificis (hoc officium minus facile adimpletur ab his qui obtinuerunt licentiam recedendi a Roma ad beneficium consistoriale in Orbe).

b) De cooperatoribus Romani Pontificis in Orbe.

De patriarchis, primatibus, archiepiscopis, et de eorum iurisdictione ad unitatem favendam inter pastores dioeceseon et cum Sede Apostolica.

De Episcopis, et de eorum potestate.

De colloquiis episcoporum.

c) De cooperatoribus Episcopi.

V. g. de Parochis (Paroecia sit magis cura animarum quam beneficium; de amovibilitate parochorum; etc.).

d) De sacerdotibus cuius ministerium extenditur ad plures dioeceses.

V. g. cappellani et consiliarii ecclesiastici associationum et operum cuius influxus extenditur ultra fines unius dioecesis, principaliter in apostolatu laicorum.

B) *De laicis*

Quaestiones actuales, v. g. de sollicitudine pastorali erga fideles baptizatos, sed non fidem habentes vel non fide viventes.

V. g. de Actione Catholica, etc.

III. Res actuales

A) De statu Ecclesiae in Russia, Cina, et aliis regionibus sub ditione sovietica.

B) De organisatione romana operum catholicorum internationalium (v. g. de administratione romana operum misericordiae et caritatis internationalis, de administratione bonorum in favorem Missionum).

C) De correctione Officialium Curiarum (in Dioecesi et in Provincia).

D) De emendatione librorum liturgicorum, praesertim Breviarii et Missalis. De simplificatione rituum et rubricarum, v. g. in consecratione altaris.

E) De lingua vernacula in Liturgia, et de ritibus perficiendis ad profectum instructionemque fidelium, specialiter in terris Missionum.

F) De indice, et normis librorum prohibitorum reformandis.

IV. Res maximi momenti

A) De diffusione doctrinae veritatis:
omni populo, lingua et natione;
diversis, vulgo dicto, « milieux sociaux » (v. g. ouvriers, marins, techniciens, savants, etc.).

De novis figuris laborum apostolicorum sub auctoritate Episcopi.

De usu mediorum recentium (scilicet Televisio, Radio, Cinema).

De necessitate accommodationis ad psychologiam diversorum cogitationis morum (v. g. « mentalités orientales, arabes, hindoues, chinoises, etc. »).

De collaboratione Ecclesiarum spiritualiter copiosarum, cum Ecclesiis minus auctis (Donatio sacerdotum, laicorum, pecuniarum...).

B) De modo opponendi materialismo invadenti:
materialismo marxisto;
materialismo capitalistico;
materialismo technico.

C) De mediis adhibendis ut spiritus evangelicus Ecclesiae omnibus — praesertim acatholicis — etiam visibiliter appareat (paupertas, fraternitas, humilitas, simplicitas, mansuetudo, misericordia, etc.).

Ad hoc, honores sint semper connexi oneribus (suppressio titulorum ad honorem...).

Item, vitare periculum scandali eventum e pompis in Ecclesia.

30

Exc.mi P. D. BERNARDINI COLLIN
Episcopi Diniensis (Digne)

Digne, le 10 août 1959

Episcopus Diniensis humiliter praebet Rev.mo Praesidenti Commissionis Pontificiae Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico sequentia vota:

I. *Quoad Episcopatum*

1) ut, data certa aetate, episcopum senescentem facilius et regulariter ad requiem invitari vel etiam cogi possit;

2) ut facultates Episcoporum, praesertim ad dispensationes impedimentorum matrimonii concedendum, augeantur.

II. *Quoad Apostolatum*

1) ut penitus tollatur inamovibilitas parochorum;

2) ut in *C.I.C.* dioeceses magis ad ordinem ad apostolatum fidelium quam in ordinem ad administrationem reordinentur;

3) item ut Actio Catholica locum habeat in *C.I.C.*;

4) ut Ordo diaconorum, etiam uxorem habentium; in auxilium sacerdotum instituatur;

5) ut migrantes evangelizentur.

III. *Quoad vitam religiosam*

1) ut tempus probationis ante vota perpetua usque ad decem annos prorogetur;

2) ut sorores externae monasteriorum monialium intra clausuram durante tempore noviciatus degant et deinde regulariter et facilius intrare possint;

3) ut a iure facultates dentur ad fusionem vel saltem ad foederationem congregationum mulierum, praesertim eiusdem familiae spiritualis;

4) ut Ordo Seraphicus in unum iterum readunetur sub unicum Ministrum generalem.

VI. *Quoad Orientales*

1) ut secundum antiquam disciplinam usque ad XVIII saeculum vigentem, sacramenta licite etiam orientalibus heterodoxis administrari possint;

2) item, ut ad normam antiquam disciplinam, usque ad annum 1949 vigentem, matrimonium inter partem catholicam orientalem et partem orientalem heterodoxam, validum sit.

Diniae, die 11 augusti 1959.

✠ Fr. B. COLLIN, O.F.M.
Episcopus Diniensis

31

Exc.mi P. D. GUILELMI SEMBEL
Episcopi Divionensis (Dijon)

Dijon, le 31 Août 1959

L'Evêque de Dijon a l'honneur d'adresser à Son Eminence le Cardinal Tardini sa réponse au questionnaire de la Commission antepréparatoire du Concile.

Il le prie d'agréer l'hommage de ses sentiments bien respectueux et soumis en Notre-Seigneur et Notre-Dame.

✠ Guillaume Sembel
Evêque de Dijon

Placeat Eminentiae Vestrae Reverendissimae Divionensem Antistitem vestris litteris de die 18 iunii 1959 rescribentem, mentem admovere quaestionibus insequentibus, quae primum ad clericos, dein ad christianam plebem totamque Ecclesiam pertinent, quibus venerabilium Sacri Concilii Patrum animos intenturos sibi utile videatur.

I. *De clericis*

1. De auctoritate ecclesiastica et de obedientia ei debita.

Apparet necessitas auctoritatem Ecclesiae eique debitam summam obedientiam denuo affirmandi non tantum in Fidei materia sed de liturgicis quibusdam rebus ministerioque apostolico.

Etenim haec auctoritas in conventibus inter fideles et etiam clericos in dubium revocatur, iuvantibus doctrinis quibusdam quae, aut nimis conscientiae libertati indulgent, aut nonnulla mandata vel praecepta, ut seniora et obsoleta, pro nihilo tenent.

Ex opinione igitur quorumdam, gratia valentium vel etiam theologorum ficta auctoritate, in hoc poneretur conscientiae libertas quod quisque a complexu Ecclesiae legum praeceptorumque liber, sua propria disciplina et arbitrio regeretur, remotisque praecipuis Fidei articulis, hinc cuique facultas credendi quod verum iudicat de Fide danda esset, illinc ius illi esset de praeceptis quae ad mores vel liturgiam aut munus apo-

stolicum pertinent, eligendi (etiam contra leges et sententias e Pontifice Maximo aut episcopis vel superioribus emanantes) quod apparet melius, id est, hominibus huius saeculi magis accommodatum vel maxime tendens ad facilem exitum.

Quod cogitandi institutum nonnulli theologi capientes potiusque in disciplina sua quam in experientia Ecclesiae mandatisque fidentes, quaecumque in mente conceperunt regulis Ecclesiae et interdum Iuris Canonici praescriptis potiora habent. Exempli gratia sunt sacerdotes quidam aut religiosi qui se facilius accessuros ad turbam allegant, si quaedam liturgiae sacrae omissuri sunt aut de illis aliquid derogaturi quod ad coeremonias antiquiores attinet, ut, in quibusdam Missae locis lingua vernacula utendo.

Hic obiter dictum sit saepius confligere Ordinarium loci cum nonnullis Moderatoribus maioribus Societatum Actionis Catholicae; unde apparet hos conflictus optabile a Magisterio Romano subtiliter studendos esse et singulatim — cum ex his obscuris conflictus nascantur — statuere quod sit eorum moderatorum dominium, quae iura, et, si gravius quid acciderit, quae ratio ab eis reposci possit, denique, ne multa dicam, in qua coniunctione debeant esse cum loci Ordinario.

Fortasse necesse erit quaedam revocatio solemnis auctoritatis Ecclesiae et eiusdem Unitatis in oboedientia unanimi et filiali Sanctissimo Patri personisque Episcoporum debita, et de illis agitatis quaestionibus clara disceptatio ad remedium mentis omnium tam de clero quam de plebe.

2. De clericorum vestitu.

In Galliis habendus est saeculari iam more habitus pianus colore niger; cuius gestio interdum in nonnullis ecclesiasticis conventibus dispungitur et quae vestis, si occasio data fuerit, etiam obiter tollitur, quod novos mores sequi vel vitae modernae exigentiis aut temporum opportunitate accommodari oporteat.

Attamen, ut mea fert opinio, christianorum fidelium plerique repente mirarentur si mutata esset vestis talaris vestitu urbano aut peculiari ut in quibusdam gentibus gestant. Multi sunt enim qui putarent hanc vestis mutationem reddituram sacerdotes liberiores in discursationibus, ergo, ni fallor, minus circumspectos minusque assueti presbyteri speciem praementes.

Ceterum mihi consentiunt episcopi frequentes habitum pianum simul tutelae loco esse sacerdoti, eum a periculis vitae prohibendo et ad quamdam modestiam et ad adspectum semper divinis officiis congruentem adiuvando. Sacerdotes autem nonnulli sunt qui vestem talarem exuant ut incogniti ad ambiguum spectaculum se conferant, aut ad iter suscipien-

dum vel ad quemdam invisendum: omnia quae postea animae ruinae sint etiamque interdum acerbo sacerdotii effugio.

E contrario illi qui in locum vestis talaris habitum decentem substituat, si hortum vult colere aut cum hominibus iuvenibus ascensiones disponere, venia sit, sed in tempore sacerdos semper veste talari esse debet indutus.

3. De clericorum coelibatu.

In hac re fit interdum ut clericorum coelibatus in quibusdam conventibus in controversiam veniat ab nonnullis theologis aut sacerdotibus, quod in aliis gentibus christianis non iniungatur vel apud haereticos protestantes non incommodo sit pastorum ministerio.

Mea sententia, sit opportunum Concilium sacram huiusmodi vivendi opportunitatem et etiam necessitatem revocare et firmissime in medium proferre, non modo ut rem semper praesentem sed Ecclesiae moribus omnino consentaneam et, audeo dicere necessariam:

a) propter officiorum sacerdotalium sanctitatem, quibus presbyter Deo tam penitus devincitur segregaturque a grege, v. g. in celebratione Missae aut in Tribunali Poenitentiae;

b) ut sacerdos religiosis quibus virginitatem hortatur et christianis, praecipue iuvenibus, quos puritatem docet, huic virtuti vita sua roboris sit;

c) propter facultatem vivendi et agendi ut velit, quae illi opus est ut omni cura in Deum atque animas incumbat;

d) denique ut, in hac re, divinum exemplar, Iesum Christum Sacerdotem aeternum, imitetur et plane sit Deo, ut Christus ipsemet.

4. De activismo sacerdotum eorumque vita spirituali.

Propter tam multa societatum Actionis catholicae incaepta, quae ministerium pastorale premunt, etiamque pusillum sacerdotum numerum, qui parochiarum magnarum aut eis adnexarum administrationi suppeditent, inclinantur sacerdotes, praesertim inter eos iuveniores, ut arbitrentur quam maxime esse minuendum tempus ad interiorem vitam omnino necessarium, si unionem cum Salvatore Iesu, cuius sunt legati et sine cuius ope in rebus spiritualibus nihil possunt facere, velint retinere. Se igitur obiiciunt periculo quod ad animam pertinet, si tempus Missae praeparationi, gratiarum actioni, Breviarii orationi, Divini Sacramenti visitationi, ne multa, orationi impensum habeant pro tempore, si non perdito, at saltem minus efficaci quam illud actioni datum.

Quae cum ita sint, hoc periculum sine dubio constat. Sane presbyteri qui ex Ordinarii iurisdictione pendent, non sunt contemplatores, sed eos recordaturos decet quam, in ministerio, sibi unione constanti cum Christo opus sit ut sint certe Domini imagines et animabus lumen por-

rigant easque ad divina extollant, ut peccato adversentur et ipsi denique in malum non delabantur.

Proinde oportet quotidie apostolatum suum circumdent ferventi oratione, vitae praestantiae renovandae Dominique assiduo amori alendo necessaria.

Sit igitur quod denotetur ille activismus qui nonnullos presbyteros impellat ad temporis remissionem, tamen omnino necessarii, si velint se stare in vita spirituali eique incrementum dare.

5. De ficta erga proximum caritate.

Caritas erga proximos in mente inceptisque aliquorum sacerdotum principatum in fidelium vita tenere debet et numquam, quoquo modo sit, amori Dei servitioque immisci.

Res ita se habet, in aliquibus parochiis, cum, in officiis religiosis et in predicationibus nunquam de Deo alloqui neque de spiritualibus animarum bonis auditur; conversa auditorum mentis intentione unice ad narrationes exemplaque caritatis et devotionis actuum erga fratres in suis propriis miseriis vel angustiis temporalibus. Ordinentur nunquam allocutiones de miseriis animarum et de requisitis in ordine spirituali.

Attamen prior deligendus Deus, fons et principium amoris proximorum quos diligere debemus tanquam Dei filios et a Deo Patre dilectos.

Ergo de hac re statuendum necesse est.

6. De periculo deviationis aliquorum consortium Societatum Actionis catholicae circa diffusionem doctrinae evangelicae in operarios tam urbanos quam rusticos post eorum elevationem ad socialem statum humaniorem.

Laudentur quaedam diurna incaeptaque Soc. Actionis catholicae, quae opificum omni genere, elevationem socialem, cui christiani debent studere, palam facere nitantur, bene sit! At sunt qui videantur fingere interdumque proferre religionem venturam introrsus ut semel haec elevatio stabilita fuisset. Nonne autem sic praetermittitur res praecipua? Utrum sacerdotes coetusque Soc. Act. cath. ab Ecclesia missi sunt ut ad omnes homines ex omni statu aut conditione Christi mandata, an non?

Certe interdum erit opportunum ab initio loqui de re sociali, ut contactus cum hoc genere hominum ponatur, sed num exspectandum sit donec mundus ab omnibus impedimentis ex ordine sociali liberatus sit et ad summum perventus (quod Deus avertat), ut ad eum Evangelii lumen amorisque mandatum Christi tradatur?

Ceterum si hic status perfectus ad bonum exitum perduceretur, si omnes homines felices essent et bonis terrae repleti, se ad Deum vertere necesse non haberent, et tunc verbum divini Magistri « Vae

divitibus » quorum cupiditates sunt expletae, ad suum atrocem effectum adiret.

Est igitur optabile ut memoraretur utramque curam in aeque futuram esse et si prior Ecclesia in tribulationes iniuriasque se inclinat, eius filii oblivisci nequeunt nihil peius esse pro homine quam virtutum fidei, spei caritatisque christianae perditionem.

II. *De plebe christiana*

1. Quo modo haereticarum sectae suas phantasias diffundendo nocive agant. Nonnullae haereticae sectae ut Adventistae, Testes de Jehovah et caeterae, aperte sunt strenui propagatores errorum apud nostros fideles tam urbanos quam rusticos eorumque legati ostiatim se conferunt ut libellos de materia biblica prave tractantes vel de religione suo sensu accommodata venditent, et occasionem non spernentes, catholicos ad sua conventicula specie fraternitatis vel orationis invitant.

Inde accidit ut multi ex nostris rem mirati sed benevolis salutationibus delectati scripta oblata accipiant et non sine periculo fidem perdendi aliquot eorum circulis intersint, de qua re frequentes quaerelae a sacerdotibus perventae sunt ad Ordinarios qui in periodicis dioecesanis res in normam restituerunt.

Idcirco quaerimus num monitione graviori magisque solemni opus esset, quae fideles, praesertim cultura ampliori, faceret certiores quid periculi adeant cum sectarum propagatores harum accipiant, libros legant audiantque in cenaculis et illis admisceantur?

2. Auctoritas Ecclesiae revocanda.

Sola in his rebus iure divino Ecclesia potestatem habet christianae conscientiae afferendi lumen firmitatemque; quod mihi videtur rursus dicendum atque firmiter revocandum, praesertim cum depravationes de quibus in tit. I n. 1 in plebem christianam et maxime inter intelligentes inseruntur.

3. De perditione Fidei maiori vel magna ex parte in plebe, praesertim apud opifices. Quas ob causas haec fidei perditio?

a) Praecipue ob doctrinae catholicae ignorantiam incolentium quosdam quarterios aut insulas urbium sive districtus agrorum, exortam non modo a sacerdotum inopia qui omnibus puerorum, iuvenum adultorumque animabus consulerent, sed etiam ab exiguo numero militantium valentium Actionis catholicae.

b) Deinde ob nimis multorum litterarum generum appulsum, de quibus auctores ante omnia pecuniam quam maxime trahere cupiunt.

c) Denique ob actionem perversam spectaculorum imprimis cinematographicorum quae pudorem offendentia et, quanquam iuvenibus minus sexdecim annos natis interdicta, adultis christianis necne vetanda essent, cum fieri non potest quin haec spectacula, ad extremum, plurimae gravitatis et diebus tentationis voluntatem eorum debilitent.

Quae huius mali remedia?

a) Inprimis mea fert opinio, multum diligentiae afferre ad Vocationum inquisitionem, tutelam, felicisque earum exitus studium tam a parentibus quam parochiarum sacerdotibus.

b) Obsistere omni modo saltationibus spectaculisque omnis generis, cinematographicis praecipue, quorum vi nefaria homines huius saeculi magis ac magis labuntur in supernarum rerum negligentiam.

c) Omnes, quantum cuique potest, societatibus Actionis catholicae, ut dicuntur J.O.C., A.C.I., augescendis studere, et sic orare, ut militantes A.C. melius eruditi, fervidiori ardore latiusque Christi mandatum tradant ad istos homines qui terrena unice sollicitant.

d) Requirere et agitare omnes accessus possibilitates ad homines istius generis.

Ut concludamus mihi videtur has instantes difficultates quae cum angore tenent merito occupatum Sanctissimum Patrem totamque Ecclesiam posse feliciter solvi, magis in posterum adiuvantibus spiritualibus praesidiis prudentiaque Concilii Patrum venerabilium experimentis universi mundi edoctorum.

4. De reditu anxifero ad unitatem Ecclesiae in Christo Iesu.

Concilium Oecumenicum annuntiando, Sua Sanctitas IOANNES XXIII P. M. sic locutus est ut omnes catholici perceperint quam magnae curae sit Patri fidelium communi hic reditus: tam gravis apparet privatio Unitatis Ecclesiae, praecipue isto tempore cum unionis necessitas maxime percipiatur et optetur haec unio ad doctrinas contra fidem efficacius repellendas.

At vero tot et tanta seu dogmatice seu practice huic unioni obstant! Saltem ardenter expetimus hanc difficilem unionem Ecclesiae diligentissime considerandam esse, et, gratia Dei succurente, id quod oratione constantique labore omnes fideles et etiam permulti dissidentes exquirunt, Unitatis progressus efficere maximos.

Haec sunt inter multa quae Divionensis Antistes et secum qui in agro Patris laborant arbitratus est esse permissura sententiae iudicioque Patrum Commissionis ad Concilium praeparandum et in ea feliciter praesidenti.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae, a qua petit humiliter ut dignetur benigne recipere, cum suarum precum fide ad optimum Concilii exitum, suae venerationis obsequium.

Scriptum Divione in Palatio nostro episcopali, die 29 augusti 1959.

✠ Guillaume Sembel
Episcopus Divionensis

32

Exc.mi P. D. ALPHONSI GAUDRON
Episcopi Ebroicensis (Evreux)

Evreux, le 10 septembre 1959

Eminence Révérendissime,

En vous adressant les vœux formulés en vue du Concile Œcuménique, annoncé par le Saint-Père, permettez-moi d'exprimer d'abord la joie et la reconnaissance de l'Evêque et de ses diocésains, provoquées par cette résolution.

Tous, nous suivons avec grand intérêt ce qu'on nous fait connaître de la préparation. Surtout nous prions avec ferveur pour le succès spirituel de cette exceptionnelle Assemblée de l'Eglise.

Nous attendons les précisions de date, de lieu, afin de nous unir encore davantage aux fidèles du monde entier, dans une fraternelle croisade spirituelle.

Daignez agréer, Eminence Révérendissime, avec nos vœux, nos respectueux hommages.

✠ Alphonse Gaudron
Evêque d'Evreux

Circa doctrinam

Perficere opus quod sibi Vaticani Concilii RR. Patres proposuerant adimplectendum: scilicet summam imponere manum expositioni doctrinae quae Ecclesiam spectat. Quoddam « de Christi Ecclesia » summarium RR. Patribus accurate praefiniendum nec non evolvendum, fuerat traditum, in quindecim capita dispositum. Quibus e partibus una tantum (ea cui undecimus assignatus locus) deficiente tempore, agitata est ac diligenter perpensa: nempe quae ad Romani Pontificis attinet pri-

matum. Optabile sit, nostro quidem iudicio, ut quid episcopatum, quid sacerdotium, quid denique laicum contingat statum similiter dilucide planeque exponatur.

Curandum est generatim ut doctrina « de mystico Christi corpore », nostris sane in lucem revocata temporibus, arctius praefiniatur ac evolvatur uberius. Optandum in specie, tanquam opportunum salutareque, ut quanta membris connexio, nec non suus, in illo « corpore » unicuique apertius designetur locus.

Plerique errores hodiernis per societatem serpentes temporibus, ex Ecclesiae tum constitutione ignorata, tum eius missione vitaque provenire constant. Contra quos nova « Tractatio de vera Christi Ecclesia » expectatur editio, studiose recognita et aucta, nostro accommodata saeculo, cuius lumine manifestior appareat et iam infirmetur error.

Quorum in primis errorum, nostra aetate saevientium, recensentur: « materialismus dialecticus », « materialista evolutio », « determinismus scientificus » (technicus », « laicismus », qui « adversatur et extollitur » supra omne quod spirituale est, et favet homini ab omnis auctoritatis tutela emancipato: « laicismus » sensim in morum sive practicam immo et historicam illabens disciplinam; « nationalismus » demum, ad extrema ductus, cuius immoderatione scinditur quidem animorum coniunctio, quin etiam inconsutilis laceratur Christi tunica, quae est Ecclesia.

Circa unitatem

Unitas Ecclesiae! Res maximi momenti, qua autem nulla alia accessu videtur abstrusior quaestio.

Cuius tamen ad enodationem problematis RR. proximi Concilii Patres rogandi sunt ut incumbant.

Qui laborum expectandi exitus?...

« Loco « unitatis » proprie dictae, si nondum venit hora, quando orationi Domini « sint unum » absolute respondebitur, arctior saltem ex illo celeberrimo Conventu tum quidem mentium, tum et cordium utinam exoriatur « unio »!

Quae « unio » nequit obtineri, ad nostrum quidem sensum, nisi restringatur ad extremum « quod dividit », « quod vero copulat » amplificetur; quaerantur omnes conciliationis occasiones, dissociationis arceantur; retineatur unice quod praecipuum est, caetera autem ad cuiusque arbitrium relinquantur; praefiniantur veritates quae non sinunt labefactari, ab eis de quibus disputatio est libera; ostendatur circa asperas contentiones quam sint noxiae, utpote suspicionis satores, indifferentiae, immo et contemptus erga personas et ipsam religionem.

« Unio » quae fraterna in caritate, mutua observantia, tolerantiaque esset fundata, nec non haud haesitante oratione firmata, quid aliud nisi via ad « unitatem » aperta!

Circa disciplinam

Nondum sedata ex duobus, sed praecipue recentiore bello exorta perturbatione, nec hucusque fraenata morum licentia, haud dubie expedit dilucide praefiniri:

1) quid sentiendum de clericorum coelibatu et quae eius normae; quae ratio presbyterorum ad laicorum statum reductorum;

2) quae exigenda, ratione coelibatus, a presbyteris sese denuo in verae gremium Ecclesiae recipientibus; necnon ab eis acatholicas antea prosequentibus sectas;

3) quomodo se gerat Ecclesia erga divortium et baptizatos qui ei indulgent;

4) quomodo excipiendi ii qui ab acatholicis allecti sectis, eas aliquamdiu sunt secuti, a quibus postea secesserunt.

Circa cultum eucharisticum

In exspectatione sumus cuiusdam Codicis, in quo tum novissimae eucharisticum ieiunium respicientes regulae, tum horas sive matutinas sive serotinas missae celebrandae, tum vulgaris usum idiomatis in sacris functionibus, tum denique Venerabile Sacramentum in ecclesiarum tabernaculo servandum, ad mentem Libelli (Directoire) in Gallia vigentis, sint relatae.

Pergrata, insuper, nobis esset S. Ecclesiae, circa « Artis sacrae » hodiernis temporibus processum, sententia.

Circa pastoralem

Regiones nostrae, speciem quidem vitae adhuc christianae offerentes, sed reapse quoad maiorem incolarum (praecipue operariorum) partem, areligiosae, « accommodatae Pastoralis » imponunt necessitatem. Hac de re, perdifficilis examussim pensetur expediaturque quaestio.

Prae efferventes perpetuo animos, de « sociali » diligenter disputetur Pastorali. Proferatur apertius « socialis » Ecclesiae doctrina, iuxta Volumen (Directoire) in Gallia editum.

Incumbant RR. Concilii Patres, in omnes « Actionis catholicae » partes, tam in genere quam in specie recognoscendas et exponendas.

Ingenti sint sollicitudini « Nationes novae », indigenae laboribus cleri aeque ac missionariorum evangelizandae.

Quibus autem problematibus valde orbis praestat unitas, quae, etsi iam nondum effecta non desperatur brevi perficienda, in fraterna dilectione, in fide, in plenitudine mere spiritualis instauratae vitae, qua favente emendati floreant mores, et oculi, mentesque, Patris memores, a terrenarum avocati studio, erigantur ad coelestia.

33

Exc.mi P. D. AUGUSTI IOSEPHI GAUDEL

Episcopi Forojuliensis ac Tolonensis (Frejus et Toulon)

Una cum ipso responsum dedit:

Exc.mus P. D. HENRICUS MAZERAT

Episcopus tit. Etennensis

Coadiutor c. s. Foroiuliensis ac Tolonensis

1 C/59-2552

Eminentia Reverendissima,

Magna cum laetitia nuntium Concilii futuri circa Unitatem Ecclesiae accepimus.

Benigne a nobis rogatum est ut communicaremus Pontificiae Commissioni antepreparatoriae animadversiones et vota quae proponenda iudicaverimus.

Ante omnia nos adhaerere declaramus omnibus suggestionibus quae curis communibus episcoporum Galliae responderent.

Unitas Ecclesiae est totis viribus prosequenda et quantum fieri potest procuranda.

Sed praeter divisiones quibus « christianismus » laborat sunt alia mala quibus remedia opportuna apponenda sunt. Optabile videtur ut Concilium de « laicisatione », ut dicunt, avertenda provideat. Multi sunt etenim qui nulla religione censentur et vivunt quasi Deus non exsisteret.

Sunt etiam qui in Deum Ecclesiamque Catholicam nisu toto luctantur et efformant quam vocare liceret quandam « novam Ecclesiam ». Inter eos communistae imprimis numerandi sunt et de « communismo » in ultimis decenniis Summi Pontifices omnes fideles intentos et cautos voluerunt.

In ordine practico

1. Quoad unitatem Ecclesiae fovendam et haereticos in primo cum Ecclesia catholica contactu non offendendos, suggerimus ut Ss. canonum speciatim cc. 1102 et 1109 § 3 rigor relaxetur ita ut matrimonium inter

partem catholicam et partem acatholicam semper in ecclesia celebretur: saepe enim in ecclesiis nullus locus aptus est in quo decenter sponsi consensum sibi mutuo dent.

2. Circa administrationem dioecesis, notamus eam de die in diem difficiliorem evadere. Mutationes parochorum ad bonum commune necessariae saepe impossibiles fiunt quia parochi sua iura obiiciunt et ad inamovibilitatem qua gaudent provocant.

Necesse videtur legislatio de inamovibilitate mutetur aut in dioecesi inamovibilitas ad maiores paroecias arctetur et episcopi maiore libertate gaudeant. De difficultatibus quibus episcopis obviam veniunt signum manifestum est praxis vigens in pluribus dioecesibus novas ecclesias seu paroecias amovibiles declarandi cum *Codex Iur. Can.* (c. 454 § 3) dicat « novae quae erigantur sint inamovibiles ».

Nobis denique maxime optandum videtur ut Concilium Beatissimae Virginis Mariae gloriam promoveat quae « serpentis caput virgineo pede contrivit » et cunctas haereses sola interemit.

Interim devotissimos sensus ex corde profitemur, Eminentiae Vestrae, et Illi faustissima quaeque a Domino adprecamur.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addict.mi

✠ Augustus Gaudel
✠ H. Mazerat

34

Exc.mi P. D. AUGUSTI BONNABEL
Episcopi Vapincensis (Gap)

Una cum Episcopo responsum dedit:

Exc.mus P. D. GEORGIUS JACQUOT
Episcopus tit. Irenepolitanus in Cilicia
Coadiutor c. s. Vapincensis

Le 30 mars 1960

Eminentissime Seigneur,

La Commission pontificale antepréparatoire du Concile Œcuménique ayant insisté auprès de S. Exc. Mgr Bonnabel pour qu'il manifeste ses remarques et ses désirs je demande à Votre Eminence la permission

de lui fournir un modeste travail élaboré en commun par l'Evêque résidentiel et son Coadiuteur.

En effet ayant été sacré le 30 septembre 1959 je m'étaits excusé de ne pouvoir répondre de façon compétente mais aujourd'hui il m'est agréable de soumettre à Votre Eminence quelques vœux comme fruits de mes premiers mois d'épiscopat en m'excusant encore qu'ils n'aient sans doute pas été mûris par une expérience suffisante.

Daigne Votre Eminence agréer l'hommage de mes sentiments très respectueux en Notre-Seigneur.

✠ G. Jacquot

Quoad doctrinam

Ut de episcopatu ac sacerdotio, sicut antea Summo de Pontificatu in Vaticano Concilio theologicae notiones prolixius ponantur.

Ut pessimi errores denuntientur v. g.: laicismus cum fideles vel « Action Catholique » dediti de Ecclesiae regimine vaticinentur et erga Magisterium « libre examen » reapse utantur, sicut apparet in Gallia aut de scholaria lege aut de sacerdotibus operariis, cum nonnulli asseverent Ecclesiam suo praecipuo fungi munere, dum ubicumque adsit, etiamsi taceat.

Ut Ecclesiae fideles enixe doceantur cum aliaque de magna quaestione habeant v. g. pays sous-développés, contrôle des naissances etc.

Ut incardinationis modus renovetur ad auxilium ferendum pauperrimis regionibus.

Ut structurae « Action Catholique » in iuris canonici codice evadant ad munus laicorum in Ecclesia determinandum.

Quoad disciplinam

Quaecumque edicentur ut sacerdotes, praesertim decurrentibus primis sui ministerii annis facilius sanctificentur, gratissime accipientur v. g. « troisième an pour noviciat pastoral », ut breviarii lectio renovetur ad magis fovendam sacerdotalem pietatem.

Ut episcoporum facultates amplificentur, speciatim in parochis mutandis atque in dispensationibus quibusdam iure riteque concedendis.

Ut episcopi sacerdotali modo solemnem Missam cantare possint.

Ut ad cuiusque ecclesiasticae Provinciae tribunal deferri possint quaecumque causae.

Ut Religiosarum perpetua vota differantur forsan ad decimum annum post professionem et praesertim post exercitia « troisième an », novi-

tiatu duos annos durante et acquisitis modo deliberativo consilii suffragiis.

Ut « Instituts séculiers » foveantur, praesertim pro fidelibus in matrimonio degentibus.

Ut leges circa mixta matrimonia temperentur.

Ut de eucharistico ieiunio leges simpliciores sint cum sacerdotibus tum fidelibus.

Ut abstinentiae ieiuniique leges hodiernis moribus magis aptentur.

✠ Augustus Callistus Bonnabel
Episcopus Vapincensis

✠ Georgius Jacquot
Episcopus tit. Irenopolitanus in Cilicia

35

Exc.mi P. D. ANDREAE FOUGERAT
Episcopi Gratianopolitani (Grenoble)

Grenoble, le 16 septembre 1959

Eminentissime Seigneur,

J'envoie aujourd'hui seulement à Votre Eminence, et par son intermédiaire a Sa Sainteté Jean XXIII, glorieusement régnant, les suggestions demandées aux Evêques à l'occasion du futur Concile.

Je m'excuse de ne les avoir pas envoyées plus tôt et de ne pas les avoir faites plus longues. Récemment ma mère a été gravement malade et s'est pieusement endormie dans le Seigneur. Et cette épreuve familiale a modifié assez serieusement nos possibilités de travail.

Daigne Votre Eminence agréer le respectueux et filial hommage de mon très religieux dévouement et de ma profonde déférence.

✠ André-Jacques Fougerat
Evêque de Grenoble

Beatissime Pater,

In primis, nobis liceat Sanctitati Tuae dicere magnum gaudium cordi nostro allatum, quando usque ad aures nostras pervenit bona nuntiatio de Concilio oecumenico instaurando, annis proximis, ac magnam gratitudinem quae Sanctitati Tuae legitime debetur.

Quaestiones quae nobis videntur, prae aliis huic Concilio esse deferendae, subsequentibus lineis breviter exponimus.

1. Affirmatio magis explicita de natura et de missione Sanctae Ecclesiae « Christi Mystici Corporis », ut errores de unitate Ecclesiae passim obscure serpentes, quae Ecclesiam dividunt in « Communauté » laicorum et in « Societate hierarchica » pure externa, facilius impugnentur.

2. Ut pressius definiantur natura et missio Episcopi et Episcopatus; ut clarius explicetur quo modo Consecratio episcopalis locum ac partem habeat in Sacramento Ordinis; ut progressus fiat in via aperta, temporibus Concilii Vaticani infeliciter interrupti, « de Episcopo », tam in finibus Dioeceseos suae munus exercente, quam ut membro Apostolici Collegii Summo Pontifici uniti.

3. Ut pressius definiatur distinctio inter Sacerdotium Episcoporum et Presbyterorum, et Sacerdotium, « sensu lato », laicorum.

4. Ut, de natura et de « actione » Diaconatus, in Ecclesia, magis promoveatur exquisitio.

5. Ut distinctius dentur normae « collaborationis » « cleri regularis » cum « clero saeculari », cum agatur de participatione religiosorum presbyterorum vitae pastorali Dioeceseos.

6. Ut clarius affirmentur et delineentur natura et missio Actionis catholicae (« Action catholique »).

7. Ut apertius tractetur, in mundo contemporaneo magis ac magis abtracto a phenomeno « socialisation », de relationibus « du temporel et du spirituel ». Multi fideles Ecclesiae usum largiorem faciunt de verbo Christi « Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo... », et concedunt Societati civili iura quae non sunt ei attribuenda; et sic, in mentibus, in moribus et in legibus fit confusio inter problema relationum duarum societatum, quae sunt Ecclesia et Status, et problema relationum « temporel-spirituel ». Tunc, quid de familia, de educatione, de « professione ».

8. Aliquando, magna principia, tam pulchre et tam lucide exposita a Papa Leone XIII, gloriosae memoriae, specialiter in Encyclica *Immortale Dei,* in usum invocantur tali modo ut beneficium verbi « Societas » unice attribuatur uni populo, uni patriae, uni nationi, ab aliis populis, patriis aut nationibus separatis. Evolutio actualis societatum temporalium, quae eas ducit ad novas formas iuridicas ampliores (« fédérations d'Etats », « communautés d'Etats », « nations unies »...) postulare videtur ut aliquomodo haec notio adaptetur huic evolutioni. Sic clarius iura nascentia illarum novarum « organisationum » paulatim elaborarentur, ac fortius iura Ecclesiae ante eas affirmarentur.

Manent multae aliae quaestiones, quae a nobis non sunt propositae. Illae nobis videntur maioris momenti, salvo iudicio doctiorum.

Non est data nobis facultas nec ampliores litteras scribendi, nec eas citius mittendi. Indulgentiam postulamus: velit Tua Sanctitas habere me excusatum, quia recenter mater mea graviter aegrotavit ac in Domino pie mortua est.

Magno cum gaudio, magnaque gratitudine pedibus Sanctitatis Tuae deponimus obsequium fidelissimum venerationis ac filialis obedientiae, quas in corde nostro, Deo iuvante, semper firmissimas esse speramus, ac humillime imploramus benedictionem apostolicam ut hoc votum Christo et Beatissimae Matri suae sit acceptissimum.

Datum Gratianopoli, 16 septembris 1959.

✠ André-Jacques Fougerat
Evêque de Grenoble

36

EXC.MI P. D. SAVERII MORILLEAU

Episcopi Rupellensis et Santonensis (La Rochelle et Saintes)

La Rochelle, le 31 octobre 1959

Eminentissime ac Reverendissime Pater,

Excusationem quaerimus propter moram interventam in annotationibus a te tam comiter petitis ab Episcopis, mittendis, ad futurum oecumenicum concilium apparandum.

Parum tempus ad cogitationes longas nobis relinquunt, eheu! onera pastoralia, graviora facta propter auxiliarium nostrorum parvum numerum.

A te quaero ut has nimium citatas ac modestas annotationes acceptare digneris.

Impensos et optimos sensus ex corde profiteor Eminentissimae Tuae cui fausta quaeque a Domino adprecor.

✠ Xaverius Morilleau
Episcopus Rupellensis et Santonensis

Necessaria videtur nova assertio notionis « oecumenismi ». Etenim aliqui, insciter, sibi fingunt « oecumenismum » sicut « syncrethismum

doctrinalem ». Assentirentur, non abdicationi talium vel talium veritatum, sed earum celationi ad unitatem facilius obtinendam.

Mens horum temporum enim, quandoque sonore, obsistit « dogmatismo » (ut aiunt), unde, apud aliquos, doctrina situm redolet « Intuitionismi » vel « Immanentismi ».

Itaque reaffirmetur valor obiectivus fundamentorum rationalium fidei christianae, imprimis illius probationis quae ex miraculis eruitur.

Maxime opportuna videretur repetitio damnationis « pantheismi », et periculorum « evolutionismi ». Aliquorum scriptorum recentium effectus postularet affirmationem nove expressam creationis totius mundi ex nihilo sui et subiecti.

Declaretur imprimis peculiaris creatio cuiuslibet animae humanae in quantum est actio divina transcendens merum concursum naturalem cuilibet agenti creato collatum.

Denuo enuntietur transcendentia et gratuitas omnium bonorum ordinis supernaturalis, tam in ordine finalitatis quam in ordine efficientiae.

Valor absolutus et independens « magisterii Ecclesiastici » quod semper exerceri potest sine « mediatione theologorum vel laicorum ». Confirmanda est extensio huius magisterii non tantum ad veritates divinitus revelatas sed etiam ad veritates naturales seu cum fide seu cum moribus christianis connexas.

Reaffirmentur:

Assensus publicus fidei, ex ipsa lege naturali, Deo revelanti debetur.

Perfecta constitutio civitatis christianae nequit abstrahere ab explicita Dei recognitione, nec a lege divina, sive naturaliter sive supernaturaliter proposita (Encycl. *Quas primas*).

Declaretur valor primarius virtutum theologalium quae sunt intrinsece supernaturales, et praesertim Caritatis notio authentica.

Ostendatur necessitas universalis orationis et contemplationis in quolibet statu vitae christianae, ut docetur in Encyclicis.

Asseratur valor proprius et praecipuus sacramentorum in ministerio pastorali.

Pro certo et solemniter doceatur Theologia, praesertim efficientia Sacrificii Missae, ad firmandam et stabiliendam renovationem liturgicam.

Doceatur et praedicetur maxima utilitas Confessionis Sacramentalis.

Declaretur praeeminentia Sacrae Virginitatis relate ad matrimonium christianum. Renovetur lex coelibatus pro clericis « in sacris » ritus latini.

Ostendatur valor peculiaris votorum religiosorum, ad sanctificationem tam ea profitentium quam totius Corporis Mystici.

Nobis quidem pariter necessarium esse videretur de novo notionem

« Catholicae Actionis » in optimo definitam esse, inhabitis quae, proximo Internationali Congressu de Saecularium (Laicorum) apostolatu, illustraret desideratus Pius duodecimus Papa.

Accurate referenda esset notio « mandati ».

Auctoritatis cuiusque Antistitis (Episcopi) memoria renovanda esset: etenim « Nationalium Directionum » et « Capellanorum ad nationem universam delegatorum » structura efficit aliquando ut peculiaris alicuius Episcopi intercursus difficillimus fiat, in capitibus doctrinae quibusdam, vel in usu rationum a corporibus in universam nationem auctoritatem atque audientiam habentibus diffusarum.

Omnino necessarium est ad memoriam revocare « elementa socialia » elementis spiritualibus non anteponenda esse in docenda doctrina, in sacerdotum vel saecularium apostolatu.

Oporteret etiam intendere animos ad cavendum periculum evangelici mandati deminuendi ad structurarum socialium commutationis mensuram.

Nonne nimis temporalis est actio, in quibusdam Catholicae Actionis « motibus »?

Operae pretium esset ad memoriam revocare omnis « cleri » — saecularis et regularis — obligationem non scribendi de rebus ad fidem vel mores pertinentibus, vel ex disciplina ecclesiastica pendentibus, sine Superiorum permissu.

Superiorum in memoriam redintegrare imminentis necessitatis apparet esse, eos nonnisi theologis tutissimis in doctrina, ac plane Ecclesiae fidelissimis, posse facultatem dare de rebus antea dictis scribendi.

In nostro proprio nomine, vehementer dolemus proventu scriptorum librorum, libellorum statorum, vel articulorum a quovis scriptore de qualibuslibet rebus datorum.

Flebile est etiam clerum, saecularem aut regularem collaborationem quidem afferre libellis statis, vel cotidianis, quorum sanae et orthodoxae fidei non est semper doctrina.

Liberam disceptationem, in omnibus, non esse eis concessam, non esset eis obliviscendum.

Omnibus iterum conveniret dicere quantum « Catholicorum discissio » de doctrina, defectus in obsequio ergam Ecclesiae disciplinam, regno Dei noxia sint.

✠ Xaverius Morilleau
Episcopus Rupellensis et Santonensis

37

EXC.MI P. D. MAURITII PAULI ROUSSEAU

Episcopi Valleguidonensis (Laval)

Laval, le 18 avril 1960

Eminentissime Seigneur,

Vous voudrez bien trouver ci-joint une note relative aux questions que je désirerais voir traitées au Concile.

Je m'excuse du retard apporté à répondre à la lettre de Votre Eminence mais je comptais attendre la réunion plénaire de l'Episcopat de France à Paris pour me mettre au courant des positions prises par les autres évêques.

Daignez avoir la bonté d'agréer, Eminentissime Seigneur, l'hommage de mes sentiments les plus respectueux et les plus dévoués.

✠ MAURICE ROUSSEAU
Evêque de Laval

Suggestions en vue du Concile

1. Théologie de l'Apostolat des laïcs.

Fondement de l'apostolat des laïcs et place de cet apostolat. Il serait peut-être nécessaire à la fois de préciser et de synthétiser les nombreux documents pontificaux qui existent déjà.

2. Modernisme contemporain qui se caractérise:

a) par une fausse notion de la *liberté* qu'on a tendance d'une part à exagérer et d'autre part à diminuer.

A exagérer en ne tenant pas compte de notre destinée surnaturelle et de notre dépendance de Dieu, d'où un certain subjectivisme dans la Morale et la notion de « Morale de situation » condamnée par Pie XII.

A diminuer, en exagérant peut-être l'influence des complexes psychiques au point de réduire la culpabilité.

b) Par un certain relativisme dans la Foi.

Sans nier les vérités de la Foi, on a tendance à vouloir les accommoder aux opinions modernes et à minimiser les erreurs qui nous séparent des autres religions chrétiennes. L'union doit se faire dans la foi avant de se faire dans la charité.

3. Revision de la notion de Paroisse. Bénéfice qui n'a plus sa raison

d'être et qui peut-être une entrave pour l'Apostolat diocésain. Cela suppose un revision de la législation canonique sur les paroisses et les curés.

✠ MAURICE ROUSSEAU
Evêque de Laval

38

EXC.MI P. D. PAULI CHEVALIER
Episcopi Cenomanensis (Le Mans)

Le Mans, 14 septembre 1959

Eminence Révérendissime,

Veuillez trouver, ci-joint, la réponse à la lettre que Votre Eminence a daigné adresser à l'évêque du Mans. Prot. 1 C/2296.

La sécheresse de ce document, rendue plus rigoureuse par sa rédaction latine, peut sembler excessive et privée de nuances. Cependant, on peut constater et regretter les habitudes critiques et le désir d'agir en adulte de bien des jeunes prêtres et des militants qui, loin d'orienter leur apostolat conformément aux directives du Souverain Pontife, et des Dicastères Romains, adoptent sur les questions les plus graves l'opinion d'auteurs irréfléchis, dépourvus d'expérience pastorale mais non de fantaisie et de légèreté.

Il est navrant de constater que tant de générosité réelle soit peu efficace par suite du manque de coordination et d'unité d'action.

Daigne, Votre Eminence Révérendissime, agréer l'hommage du profond respect avec lequel je baise sa pourpre sacrée.

✠ PAUL CHEVALIER
Evêque du Mans

Angustia temporum coarctatis — nam quaestiones accepimus sub initio mensis augusti, quibus respondendum esse monebamur ante diem primam septembris — copia non fuit huic materiae studium adaequatum adhibere circa quam praeparatoriae Commissionis cura versari debet.

Haec interim pauca duximus esse suggerenda:

Optanda sane videtur communismi marxistae, quae nostrorum temporum maior est haeresis, formalis condemnatio.

Etiam inter catholicos deprehenditur nefaria facilitas ad utendum, sane in praxi, doctrinis et methodis illis, quas de educatione, saec. XVIII,

exposuit Ioannes Iacobus Rousseau, ratus hominem nasci bonum (« l'homme naît bon »), quin ratio sufficiens habeatur peccati originalis eiusque sequelarum.

Requiritur fixa determinatio statuti « capellanorum » Actionis catholicae, tum in ambitu nationis, tum in ambitu dioeceseos. Nam haud infrequenter ex huius Actionis sede centrali, ad dioecesanos capellanos directivae mittuntur inconsulto episcopatu, immo quibus nonnunquam contradicitur doctrinae Summorum Pontificum et generalibus episcoporum directivis.

Apostolatus laicorum et officia fidelibus « mandata » determinanda sunt, ne necessariam effugiant supervisionem et probationem.

Non sufficit bona voluntas. Nam ignorantia rerum religionis in iis ipsis quos « militantes » dicere mos est, opinionum concertati quidam motus in ephemeridibus et diariis, directivae quae dari contigit a theologis quibus deest tum auctoritas hierarchica, tum saepius pastoralis experientia, haec omnia confusionem necessario generant, et minus efficaces reddunt conatus, laude ceterum dignissimos, evangelizandis societatis diversis ordinibus impensos.

39

Exc.mi P. D. IOSEPHI CHAPPE
Episcopi Aniciensis (Le Puy-en-Velay)

Le Puy, le 6 septembre 1959

Eminentissime Domine,

Summo honori duco Eminentiae Tuae Reverendissime gratias referre pro litteris die 18 iunii 1959, sub Prot. N. 1 C/59-741 datis, eisque, licet valetudine praepeditus tempus excesserim, breviter rescribere.

Cum, annuente Summo Pontifice Ioanne XXIII, liceat votum exprimere ad praeparandum futurum Concilium Oecumenicum, haec erit suggestio mea: constituatur in praecipuis regionibus, utputa in nationibus, auctoritas potestatem habens tractandi et definiendi disciplinaria negotia quae nec Ecclesiam universam, nec unam solam alteramve dioecesim spectant, sed ad totam praefatam regionem pertinent. Sane in Gallia Coetus Cardinalium et Archiepiscoporum non semel in anno de talibus negotiis occurrentibus consilium init et mentem publice aperit, non tamen communem agendi modum praescribere valet. Mihi congruum et utile videretur seu huiusmodi coetum, seu aliquem Patriarcham Primatemve ceteris Episcopis, non honore tantum, sed delegata iuris-

dictione praeeuntem, in negotiis a Sancta Sede suae potestati commissis, non simplicem hortationem aut monitum exprimere, sed praeceptum dare vel etiam legem condere in tota sua regione servandam.

Hoc votum tamen Sapientiae Tuae omnino subiicio, interim humillimos animi sensus ex corde offerens,

Eminentiae Tuae Reverendissimae addictissimus famulus
✠ Iosephus Chappe
Episcopus Aniciensis

40

E.mi P. D. ACHILLIS Card. LIENART
Episcopi Insulensis (Lille)

Lille, le 27 juillet 1959

Eminence Révérendissime,

En réponse à la Lettre 1 C/59-9 que Votre Eminence m'a adressée le 18 juin, au nom de la Commission Pontificale Antepréparatoire, j'ai l'honneur de Lui remettre ci-joint la mémoire que j'ai établi pour formuler mes principaux désirs en vue du prochain Concile.

Je prie Votre Eminence d'agréer l'hommage des sentiments très respectueux avec lesquels j'ai l'honneur d'être

Son très humble et très obéissant Serviteur
✠ Achille Cardinal Liénart
Evêque de Lille
Prélat de la Mission de France

I. Res de doctrina

1. *De ulteriore dogmatis investigatione*

Ulterior doctrinae de Ecclesiae constitutione elaboratio desideratur secundum eamdem lineam ac Conciliorum Tridentini et Vaticani.

A) *Quoad episcopos.*

Complendum esse videtur capitulum « de Romano Pontifice » in Vaticano definitum, ab altero capitulo « de Episcopis ». Optamus ut incumbeatur studio de Collegio apostolico cui Dominus docendi sancti-

ficandi gubernandique potestatem concredidit; quod collegium, in longitudine ac successione annorum a Romano Pontifice et Episcopis continuatur. Maxima adhibenda erit cura ut definiantur episcoporum residentialium potestatis natura, extensio, limites.

Quam episcopalem potestatem in meliore luce sitam fore desideramus relate ad Romani Pontificis potestatem et ad omnes ordinarias delegationes huius romanae potestatis quas concedit Sancta Sedes. Quo in genere delegationum duae praecipue considerandae sunt relationes:

Relatio episcoporum residentialium cum Dicasteriis Sanctae Romanae Ecclesiae.

Relatio eorumdem cum Ordinibus religiosorum exemptorum.

Si re vera episcopus dicitur caput et dux apostolatus in sua Dioecesi, meliorem in lucem collocandum erit et vinculum et immunitas potestatis episcopalis quoad duas illas delegationes.

B) *Quoad plebem christianam vel laicos.*

Clare et firmiter exponenda essent puncta doctrinae de statu laicorum eorumque in Ecclesia actuosa participatione. Quaedam de vocabulis elucidanda essent ea mente qua secundus de apostolatu laicorum congressus mundialis adlaboravit contradistinguendo sacerdotim ministeriale a sacerdotio universali. Idem elucidandi essent modi varii et complementarii quibus in illis tribus ecclesiae activitatis generibus scilicet magisterii, ordinis, regiminis hierarchia ac laicatus adlaborantur.

Idem, respectu eiusdem adlaborationis elucidationis, explananda esset doctrina de Confirmationis sacramento.

2. *De nova meliorique doctrinae expositione*

A) Desideratur iurisdictionis potestatis renovata ac positiva elucidatio ac melior iurisdictionis fori externi defensio.

B) Intuitu ulteriorum Mariologiae investigationum possibilium, desideratur in primis conspectus generalis de Mariali dogmate melius expressus in sua intima connexione ac dependentia cum unius mediatoris Iesu Christi et sponsae eius Ecclesiae mediatione. Quam connexionem non sufficit esse theologiae peritis compertam sed etiam apertam esse necesse clarae intelligentiae totius plebis christianae.

C) De novo examinetur quaestio intricata de formulis iurisiurandi pro Ordinandis ecclesiasticasque dignitates suscepturis.

Duae existunt iurisiurandi formulae scil. Pii IV et Pii X. Quarum altera, iuramentum scil. antemodernisticum, nimis videtur referri ad quasdam praeteritas quaestionum positiones nec intelligitur in hodiernum diem nisi a perpaucis. E contra idem iuramentum nullomodo requi-

ritur erga eos qui hodie peculiariter vigent errores ac contra quos magis animi muniendi essent.

Desideratur formula iurisiurandi magis positiva quae interiorem relationem exponeret cum iis omnibus vitae hodiernae problamitibus ubi fides magis implicatur. Quae formula maximae esset utilitati ut praesentaretur omnibus, tam cleris quam laicis, ecclesiastica munera suscepturis. Coram mente regnante quae quasdam sibi seligit symboli veritates, omissis aliis non convenientibus, necessarium aestimatur ut praesentetur et clare sciatur universitas ac totalitas rerum quae sunt de fide. Quae praesentatio maxime utilis erit etiam iis omnibus de fide catholica interrogantibus.

II. Res de disciplina

Operi maximi momenti a proximo incumbendum erit concilio scil. continuare et ad finem usque perducere in quibusdam magnis negotiis motum reformationis a Tridentino incoeptum. Forsitan necessaria fuerint tria ultima saecula maximeque ultimum hoc dimidium ut capax evaderet Ecclesia aggrediendi illud opus cum maiore vi constructiva.

1. *De cura animarum*

Attentis modernis investigationibus in meliorem lucem exponi deberent quaestiones de natura curae animarum, de iis rebus circa quas versatur, deque condicionibus ad eam exercendam.

A) *De natura curae animarum.*

Fundatur in Ordine et Missione a Christo diffluentibus. Qui (ordo et missio) communicantur et ad nos usque praesentes fiunt mediante successione apostolica a Summo Pontifice episcopisque detenta.

B) *De iis rebus circa quas versatur cura animarum.*

In memoriam revocanda videntur, in capitulo peculiari studio composito ac in Traditione fundato, omnia quae ad nuntium evangelicae praedicationis, ad catechesim, ad educationem religiosam referuntur. Qua in re authentica catholica reformatio ad felicem eventum duci non poterit nisi firmiter ac clare ad verbum Domini « Docete » referatur. Elucidanda erunt principia quibus ab intra conscientiae ligantur hodiernorum apostolorum ultra omnem controversiam.

Admittatur in actibus concilii illa cultus liturgici notio quam recentia pastoralis liturgicae incrementa et scripta decisionesque ultimorum Pontificum a Sancto Pio X ad Pium XII, in claram lucem adduxerunt scilicet actuosa fidelium participatio sacris Liturgiae actionibus.

In meliorem lucem ponenda videtur illa spiritualis regiminis potestas

quae sacrae Ecclesiae Hierarchiae demandatur, et recte assimilatur auctoritati paternae vel maternae, scilicet quia ab intra ad uniuscuiusque personae totiusque plebis in fide et caritate incrementum ordinatur. Maximi interest ut in memoriam revocetur auctoritatem sacerdotalem in cura animarum intuitu paedagogico exercendam esse. Quae consideratio hodie magis quam antea necessaria videbitur, si meminerimus laicos magis esse conscios de suo statu pleni exercitii in Ecclesia. Nec putandum quod illa consideratione restringatur momentum vel necessitas auctoritatis ecclesiasticae oboediendae, de qua oboedientia aliquo modo clare ac firmiter disserendum erit.

C) *De condicionibus ad curam exercendam animarum.*

Maxime insistendum in labore consociato sub regimine regulante Episcopi. In lucem et honorem ponatur ministerii pastoralis organica unitas circa Episcopum. Re quidem vera ad hoc accederet si maiores facultates concederentur concelebrandi cum Episcopo in ritu Latino. Identidem accederet in meliore luce posita organica sacramenti Ordinis dispositio qualis in praefatiis ad consecrandos episcopos, presbyteros, diaconos describitur. Quae faciliori modo perspiceretur si in usum realem reducerentur Ordines minores et diaconatus. Identidem accederet labor organice consociatus presbyterorum alicuius regionis, unius decanatus, unius paroeciae sub regimine archipresbyteri, decani, vel parochi ab Episcopo delegatorum.

Melius respective definiatur unitas et collaboratio parochi et vicariorum cooperatorum in cura animarum exercenda.

D) *De liberanda cura animarum a beneficii servitute.*

Nil stabile fiet sin ad effectum ducuntur conatus Concilii Tridentini ad abolendum aut saltem minuendum munerum ecclesiasticorum characterem beneficialem. Quae magna reformatio ducit ad illam difficilem de modis redituum clericorum quaestionem. Principium canonicum quo quis munus quoddam exercens suum facit fructum beneficii sat profunde repugnat menti plebis hodiernae. Si legitimum illi videtur eum qui inservit altari de altari honeste vivere, non rectum ab illa aestimatur eos qui ministerium exercent ita divites fieri ut thesaurizent.

Qua cum reformatione beneficialis systematis coniungi deberet illa parochorum inamovibilitas quae tantas ac tam multas affert difficultates.

2. *De sanctificatione cleri*

Huic sanctificationi maxima cura adhibenda est sicut necessitati primordiali vitae sacerdotalis ubicumque et quocumque tempore degitur,

sed tamen specialiori modo, si ita dicere licet, his in praesentibus mundi et ecclesiae difficultatibus.

Vita orationis. In memoriam revocandum est momentum orationis, vitae spiritualis, spiritualium exercitiorum, et moderationis spiritualis. Nec sufficit theoretica proclamatio; mediis accommodatis utendum erit: sacerdotibus cleri curam gerentibus, studiorum conventibus, pro clero pastorali exercitiorum spiritualium renovata ratione.

Coelibatus ecclesiasticus. Melius elucidandus erit cum sacerdotio coelibatus nexus internus et in meliore luce praesentanda illa lex coelibatus sicut clarius et magis apte praesentibus circumstantiis leges prudentiae rememorandae.

Breviarium. Desideratur reformatio necessitatibus hodiernis ministerii pastoralis magis adaptata, in ea linea de cuius cum consensu Sanctae Sedis quaestio fuit in quibusdam ecclesiasticis periodicis. Qua reformatione promulgata de novo clare insistendum esset de obligatione gravi officii recitandi.

Incitamentum apertius formis *vitae communis* in clero dioecesano.

Accuratior et efficacior structura quae *tempora* disponit in favorem cleri ut *refici possit* illius mens, intellectus et spiritus.

Impellat proximum Concilium omnem conatum quo de iis quae sunt suo ministerio essentialibus nutriri adiuventur sacerdotes scilicet: verbo Dei, Sacramentis, educatione spirituali.

Admoneantur sacerdotes de veteribus semperque firmis spiritualis observantiae ac disciplinae regulis.

3. *De Seminariis*

Illud quod circa annos 1944-1952 in iuventute Europae occidentalis advenit discrimen postulat ut moderatores seminariorum rei sibi commissae communi consilio studeant, sub auctoritate Episcoporum necnon Romanae Curiae Dicasteriorum competentium. Heu dolenter animum movet quod alterius cum altero colloquium cuiusdam animi aciei et sagacitatis non exsistat. Errores commissi sunt quos oportuit deplorare et corrigere. Sed ii errores facilius correcti essent si melior extitisset organica connexio Sacram Seminariorum Congregationem intra et seminaria diversarum nationum. Haec sacra Congregatio suas habet regulas, praxim, suis utitur principiis quae saepe saepius subditis non sunt sat cognita nec ad usum universalis Ecclesiae hic illic in rebus novis versatae, sat clarius explicita pro rerum circumstantiis. In aetate hodierna qua desiderantur magis ac magis relationes personales, dolendum nimis videtur de charactere anonymo et impersonali relationum huiusmodi.

Eo magis ceterum moderatores seminariorum praesidio privantur quod a pluribus Romanae Curiae Dicasteriis pendent in exercendo munere, scilicet S. C. de Seminariis, de Sacramentis, Sancti Officii. Hae quidem sunt quaedam magni momenti magnaeque difficultatis quaestiones ab ipsis aggrediendae quae unicam auctoritatem requirerent et quamdam velociorem et magis compositam praxim:

Primum agitur de lege coelibatus ecclesiastici deque discretionis aptitudinum in candidatis regulis. Qua de lege instructiones sapientissimae Ordinariis locorum a S. C. de Sacramentis nuper atque iterum mandatae sunt. Monentur Episcopi et moderatores Seminariorum ut maxima prudentia utantur in scrutiniis ad Sacros Ordines. In praxi concludendum est verum et insuperabile limen coelibatus obligationis in ordinatione sacerdotali esse positum, cum admittat haec Sacra Congregatio dispensari diaconos vel subdiaconos de hac lege et ad statum laicalem reduci si post receptos ordines aliquod dubium intercesserit de eorum aptitudine ad ulterius scrutinium subeundum. Qua de praxi legitime concludi videtur ad necessitatem pro quibusdam experimenti extra seminarium ut in paroecia aliqua exerceantur sine coelibatus definitivis obligationibus opera ministerii. Evenire enimmodo potest ut Seminarium integrum non revelet indolem et aptitudines genuinas candidatorum. Sed in hoc eventu cum altero Dicasterio tractari debetur quod habet suas proprias regulas, scil. Sacra Congregatione de Seminariis.

Secundo agitur de immenso scientiarum psychologicarum campo deque earum in discernendis inaptitudinibus candidatorum legitima contributione. Rectores et patres spirituales progredi conantur in via sat nova ac periculis plena nec multum a positivis instructionibus alicuius Dicasterii auxilium obtinent, donec quadam die de condemnatione quadam certiores fiant, secretis tamen servatis condemnationis causis. Quem post auctoritatis interventum de novo proetentatu progrediendum est.

Tertio agitur de pastorali initiatione clericorum circa finem seminarii... Frustra usquemodo interrogares documenta authentica S. C. de Seminariis. Si tamen de sensu Ecclesiae certior esse velis Constitutio « Sedes Sapientiae » a S. C. de Religiosis promulgata tibi legenda erit.

Quarto tandem — et maximum quidem — si ultimas de natura ecclesiasticae vocationis praecisiones cognoscere velis, de novo, constitutioni Sedes Sapientiae tibi studendum erit.

Quam documentorum instructionumque multiplicitatem ad unitatem a ministerio episcopi reducendam si dicis quomodo putas id facile faciendum si raro directe consulitur ac saepe ad simplicem executionem mandatur episcopus?

Si addamus insuper regulas de electione ad laureatum in sacris scien-

tiis candidatorum et frequentatione universitatum, quomodo facile omnes seminarii necessitates curabimus? Regulae S. C. de Seminariis de frequentandis ab initio philosophiae cursus Theologiae facultatum lectionibus quae in Romanas vel maximas mundi catholici Facultates incidunt non facile in nostris casibus teneri possunt. Vires multas deperdimus. Cur omnia ad unitatem unius typi reducere velle?

4. *De statu religioso*

Ad conandum hortentur pastores ut plebs christiana meliore pretio aestimet religiosam consecrationem.

Ad conandum hortentur superiores religiosorum ordinum — et specialiter foeminarum — ut eorum ordines magis necessitatibus hodiernis adaptentur.

Altius inquiratur de vocatione religiosorum laicorum in ecclesia et impulsu accommodato caveatur ne, ex defectu culturae, deficiat haec vocatio omnimode Ecclesiae necessaria.

Adaptetur menti hodiernae testimonium religiosae paupertatis ordinum religiosorum. Praecipue si velimus mundum a membris ordinum congregationumque occulte exercitam paupertatem intelligere nonne necessarium erit cum maxima vigilantia curare ne apparens domorum magnificentia idem testimonium eidem mundo offendat.

5. *De plebe christiana*

Instandum erit cum maiore vi pastoralis liturgicae reformationi quae tot ac tantos iam attulit fructus. Desideratur reformatio primae partis missae (usque ad offertorium) ut ei detur omnis docendi possibilitas. Legi possint optandum est lingua vernacula, vulgata ac authentica traductione, epistulae et evangelia quin necessaria sit lingua latina duplicata proclamatio, reformentur scripturarum pericopae quae in missa leguntur ut plebi christianae possibilis evadat plenior cum tota Scriptura familiaritas.

Insistendum est laicorum in re catechetica participationi actuosae scilicet cum adaptata laureataque praeparatione.

Praecisiones exarentur ad usum universalis Ecclesiae de iure laicorum quoad cultum, magisterium, regimen. Pariter de oboedientiae in Ecclesia necessitate et condicionibus. Item de momento valoreque directivo Doctrinae Socialis Ecclesiae.

6. *De internis in Ecclesia ligamentis seu nexibus*

Plures horum temporum Ecclesiae difficultates ex hac partim causa diffluunt quod ligamenta seu nexus munere suo apte non funguntur.

Prima series ligamentorum: ea quae theologicam reflexionem cum actione pastorali vinciunt. Nullum praevidetur organicum vinculum. In sua dioecesi tenetur Episcopus ad consilium vigilantiae constituendum. Quod consilium efficacius et utilius operaretur si quasi centrum quoddam coordinationis conciperetur actionis pastoralis cum reflexione theologica. Item dici posset de gradu nationali aut universali seu Romano.

Secunda series ligamentorum ea quae locales cum superioribus vinciunt auctoritates. Desideratur ut in iure canonico quaestio fiat de nationali structura ecclesiastica. Quae si clarius elucidata esset eo minus videremus earum quas super cognovimus frictiones.

Tertia ligamentorum series ea quae personam Romani Pontificis cum ordine Episcoporum vinciunt. Curiae Romanae reformatio ac magis effectiva internationalisatio magni momenti quaestionem movent quam aggredi oportebit proximum Concilium.

Quarta ligamentorum series ea quae fontes informationum rivulis religiosarum vinciunt, tam pro campo nationali quam dioecesano ac universali.

III. Alia diversa

1. *De missionaria Ecclesiae expansione*

In vulgo tradatur doctrina ecclesiologiae qua apertum sit omnibus missionem esse vitae Ecclesiae essentialem et Ecclesiae toti incumbere: hierarchiae ac laicis.

Faveatur meliori cleri et virium catholicarum in partibus infidelibus repartitioni. Item omnimode faveantur relationes et commercia Christianitatis ecclesias locales inter ac missionis ecclesias. Item faveatur missio laicorum missionariorum ad laicatus opera in missionum territoriis exercenda.

Promoveatur omnimode operariorum evangelisatio, ratione habita peculiarium huic evangelisationi difficultatum. Speciatim studio incumbatur de relatione mundi operariorum cum sacerdotio.

Promoveatur praesentia Ecclesiae mundo scientiae ac technicae qui nunc aedificatur. Item necessitatibus hodiernis hominum cuiuscumque nationis: pax scilicet, fames, progressus technicus populorum minus evolutorum.

Promoveatur Catechumenatus adultorum institutio in singulis dioe-

cesibus, ut respondeatur in linea veteris catechumenatus traditionis necessitatibus modernis adultorum ad fidem serius conversis. Ecclesiae exigentiae ad baptismum accuratiores esse et iura religiosa catechumenorum pressius definiri deberent ne veniretur cum nimia celeritate ad baptismata quae non veram conversionem provocarent.

2. *De Oecumenismo*

Contactus, informationes, mutua documentatio ab expertis in dioecesibus sacerdotibus faveantur.

Curetur ut quae sunt communia quaeque diversa in clariorem lucem adducantur.

Quaeratur talis dogmatis catholici expositio qua intellegentiae fratrum separatorum proficiat.

3. *De habitu ecclesiastico*

Pergatur conatus a Pio XII incoeptus ad simpliciorem formam apparatus vestium in Ecclesiae omnibus gradibus.

Permittantur pro nationibus vel regionibus leges particulares ab episcopis latae de forma habitus ecclesiastici.

✠ ACHILLES Cardinalis LIÉNART
Episcopus Insulensis
Praelatus Missionis Galliae

41

EXC.MI P. D. LUDOVICI RASTOUIL
Episcopi Lemovicensis (Limoges)

Le Sacerdoce est la clé de solution de nombreux problèmes d'aujourd'hui dans l'Eglise et autour de l'évangélisation du monde actuel.

Il nous manque en Théologie un traité sur le Sacerdoce.

Ce traité est impossible à réaliser parce que nous manquons de définitions et précisions sur le Sacerdoce:

en Jésus-Christ,
dans le Pape, dans les Evêques,
dans les Prêtres, dans les Baptisés,
dans les Confirmés, dans l'Eglise, et aussi en Marie.

Ces définitions et précisions seules permettraient de mettre au point les rapports entre:

le Pape et les Evêques,
les Evêques et les Prêtres,
les prêtres et les baptisés et confirmés,

et aussi aideraient à fixer les pouvoirs (qui ne peuvent venir que du Sacerdoce (Cf. *S. Thomas* III, q. 6, 3 et voisines),

à fixer, dis-je, les pouvoirs spéciaux du Pape (infaillibilité) les pouvoirs sacrés des Evêques, des prêtres, de laïcs chrétiens.

Ces définitions et précisions seules peuvent mettre fin aux discussions, aux disputes acerbes entre la hiérarchie et les prêtres, entre la hiérarchie, les prêtres et les laïcs chrétiens.

Comment, en quoi, jusqu'où?

Comment, en quoi, pourquoi, jusqu'où le Sacerdoce de Jésus-Christ est (suivant l'exp. de St. Thomas d'Aquin, III q. 63 a. 3 et autres) *dérivation dans l'âme du Pape, des Evêques, des Prêtres, des chrétiens?*

Comment, en quoi, jusqu'où le Sacerdoce de Jésus-Christ est dérivé dans l'Evêque:

vraie notion de la consécration épiscopale,
vraie notion des pouvoirs qu'a l'Evêque et que n'a pas le prêtre,
liens entre les *Apôtres* (les 12) et les Evêques.

En somme. Comment, en quoi et jusqu'où le sacre de l'Evêque:

1. le configure à Jésus-Christ;
2. le configure aux Apôtres;
3. le place au-dessus des prêtres et des fidèles.

Comment, en quoi, jusqu'où, le Sacerdoce de Jésus-Christ est dérivé dans le prêtre: comment le caractère sacerdotal:

1. configure le prêtre à Jésus-Christ?
2. distingue le prêtre des fidèles (baptisés et confirmés) Jésus-Christ, prêtre essentiel, le Prêtre; le prêtre, prêtre sacramentel?

Comment le prêtre, c'est Jésus-Christ qui agit, parle, pardonne, consacre; explication de l'in persona Christi.

Permanence du caractère et perennité: St Thomas, III, q. 63, a. 5; *Remanet caracter;* Pie XI, Pie XII.

Différences *essentielles,* dit Pie XII, entre le Sacerdoce du prêtre et celui du fidèle.

Comment le prêtre est un appelé, un consacré, un séparé, un mêlé à la Masse (nécessité, conditions, limite de la vie du prêtre dans les milieux).

Comment le Sacerdoce du prêtre requiert en lui le celibat; et aussi *une tenue* qui le distingue, l'impose moralement, l'aide à se présenter toujours et en tout en prêtre.

Corollaire: la prière, la Messe, l'oraison, le bréviaire.

Bréviaire valable pour la piété sacerdotale: possible dans la vie pastorale actuelle.

1 seul Nocturne (comme à Pâques et Pentecôte); psaumes courts et nourrissants; 1 leçon Bible; 2 leçon Biogr.; 3 l'Evangile.

Missel: messe votive élargie; latin conservé pour l'unité interne.

Comment, en quoi, jusqu'où le Sacerdoce Unique de Jésus-Christ est dérivé (St Thomas, III, q. 63; suppl. q. 40) *dans l'âme du baptisé* par le caractère du baptême;

grâce et sacerdoce dans l'âme du baptisé;

rapports, dépendance; le pouvoir sacerdotal du baptisé qui peut jouer même dans une âme en état de péché; rôle et pouvoirs (sacerdotaux, médiateurs du baptisé: exemple, certains devoirs);

... *dans l'âme du confirmé* par le caractère de la Confirmation.

Valeur du témoignage du confirmé *ex officio, ad alios* (dit St Thomas); témoignage d'exemples, d'actes d'apostolat, de paroles mêmes.

D'où rôle de la Confirmation en vue de la vie apostolique dans la famille, dans les milieux de vie.

Le Sacrement de Confirmation n'est-il pas réellement, par ses dons, ses effets, ses grâces, le Sacrement de l'Action Catholique?

Comment, en quoi et jusqu'où le Sacerdoce de Jésus-Christ est dérivé dans l'Eglise:

Le Corps Mystique,

Comment le Sacerdoce de Jésus-Christ en est le lien,

Interprétation plus objective, de *I Petr,* II; *Apocalypse,* I, 5.

Comment, en quoi, et jusqu'où le Sacerdoce de Jésus-Christ est dérivé, d'une manière supérieure, dans la Sainte Vierge,

qui n'est pas le *Prêtre,* Jésus-Christ,

mais qui en est la Mère, mère du Prêtre Unique, et Mère (pour sa part) du Sacerdoce lui-même.

Marie qui n'est pas *prêtre, non plus,*

parce que son Sacerdoce de maternité divine la place dans l'ordre hypostatique, au-dessus de tout sacrement.

Comment la Sainte Vierge n'a pas à être prêtre, elle en serait diminuée?

Comment elle ne célèbre pas la Messe: elle y est dedans, puisque la Messe est le renouvellement du sacrifice du Calvaire.

Comment, dès lors que Marie est Mère du Sacerdoce, elle est mère de ce qui est sacerdotal (du sacerdoce de Jésus) dans les Evêques, les prêtres, les baptisés et confirmés.

Imprécision de théologiens et auteurs

1. Donnent le nom de prêtres aux baptisés:
Saint Augustin, Saint Léon le Grand, Saint Jean Chrysostome, Bossuet, Bourdaloue, Giraud, Hugon, Mersch, Marmion, Glorieux, Plus, etc.

2. Donnent notion vague du Sacerdoce des fidèles:
Mura: « une certaine dignité sacerdotale ».
A. d'Alès: « une certaine part de Sacerdoce, au sens large ».
Masure: « Sacerdoce au sens large de la I-ère Petr. sorte de Sacerdoce diffus ».
Charrière: « participation au Sacerdoce du Christ, mais plus lointaine que le caractère sacerdotal ».
Souben: « les chrétiens participent dans une certaine mésure au Sacerdoce de Jésus-Christ ».
Plus: « Sacerdoce d'un autre ordre sans doute mais royal encore ».
Cuttaz: « premier degré de cette participation sacerdotale ».
Delaye: « participation commencée seulement et incomplète au baptême ».
Marmion: « par le baptême, nous participons en quelque manière au Sacerdoce de Jésus-Christ ».
Goupil: « Sacerdoce au sens large... ».

Limoges, le 30 avril 1960.

✠ Louis
Evêque de Limoges

Qui s'excuse de retard et du caractère schématique de ces notes, à la suite de difficultés de santé, puis d'occupations multiples de ministères, d'Ostensions des Saints etc.

42

EXC.MI P. D. ANTONII M. CAZAUX
Episcopi Lucionensis (Luçon)

Prot. N. I C/59-779 Luçon, le 28 août 1959

A) *Quod ad doctrinam pertinet*

1. Cum hodierna systemata philosophica hominis rationem in analysi internorum ipsius « phaenomenorum » includant, et sic ad veritatem obiectivam et immutabilem intellectui aditum occludant, Episcopus Lucionensis optat ut futurum Concilium iterum pronunciet veritatis obiectivitatem et immutabilitatem, necnon dogmaticarum definitionum valorem absolutum.

2. Cum saepius minoris momenti habeatur Ecclesiae auctoritas doctrinalis, praesertim quoad Magisterii ordinarii exercitium, Episcopus Lucionensis optat ut futurum Concilium huius Magisterii ordinarii naturam, et adhaesionis ipsi debitae qualitatem exponat.

3. Cum nonnulli proni esse videantur ad Ecclesiae iurisdictionis potestatem plus aequo restringendam, ne in « clericalismum », ut aiunt, incidant, Episcopus Lucionensis optat ut futurum Concilium hanc Ecclesiae potestatem iurisdictionis in meliorem lucem edat, ipsius obiectum determinando et competentiam Ecclesiae in rebus diversis indicando.

4. Cum nonnulli errores serpant circa generis humani elevationem supernaturalem primitivam et peccatum originale, necnon et circa hominum novissima et salutis aeternae conditiones, Episcopus Lucionensis optat ut futurum Concilium doctrinam catholicam circa statum hominis primigenium et peccatum originale praecisius exponat; item quaedam de novissimis, et salutis aeternae conditionibus, praesertim nempe mortem hominibus esse terminum viae, post quem non amplius locus datur merito, et pueris usum rationis non habentibus, post promulgatum Evangelium, non dari salutis medium nisi baptismum in re receptum.

5. Cum in his quae matrimonium spectant, multa nunc confuse scribantur et exponantur, Episcopus Lucionensis optat ut futurum Concilium iterum exponat quae, ultimis decenniis, clare iam S. Sede exposuit circa matrimonium, statum virginitatis et castitatem.

B) *Quod ad disciplinam pertinet*

6. Cum saepius clerici et fideles, etiam optimi, in detrimentum orationis et studii ad activitatem intensivam trahantur, et ad vitam faciliorem in detrimentum mortificationis,

Episcopus Lucionensis optat ut futurum Concilium iterum in mentem omnium, et praesertim clericorum, revocet orationis et studii necessitatem, et virtutis prudentiae, speciatim in his quae castitatem spectant, obligationes, et, modo generaliori, mortificationis necessitatem ad vitam spiritualem promovendam.

7. Cum adhuc desideretur organizatio Apostolatus Laicorum, et inde sequantur nonnullae difficultates,

Episcopus Lucionensis optat ut futurum Concilium praecisius, quantum fieri potest, hanc Apostolatus Laicorum organizationem determinet.

Luçoniis, die 28 augusti 1959.

✠ ANTONIUS MARIA CAZAUX
Episcopus Lucionensis

43

EM.MI P. D. PETRI M. CARD. GERLIER
Archiepiscopi Lugdunensis (Lyon)

I. *Ad doctrinam spectantia*

1. *Vinculum inter Sanctam Sedem et Episcopos diversarum nationum*: Suggeritur vinculum intimius statuendum inter labores qui a Congregatione Sancti Officii peraguntur et Episcopos diversarum nationum.

Nonne praecipue optandum esset ut Sanctum Officium Episcopis frequentius forma positiva transmitteret indicationes earum rerum quibus Sancta Sedes praeoccupatur, quin interventiones eius ad decreta indolis negativae limitarentur?

Etenim maior pars deviationum, quae nostris diebus oriuntur, ex mala intentione non procedunt; sed ratio humana in conspectu multiplicium problematum, quae considerationi eius praesentantur, perplexa manet. Inde inquisitionis opera procedit, in cuius decursu interdum deviationes oriri possunt.

Attamen huiusmodi deviationes ipsae signum sunt problemata in rerum veritate adesse, et optandum esset ut, in collaboratione cum Sancta

Sede et in conformitate cum normis eius, manus moveantur modo positivo ad solutionem satisfacientem horum problematum procurandam.

2. *Finis et media*: Inter deviationes quae directe a Concilio Oecumenico respiciendae essent, quaedam sunt quas sub hoc titulo « finis et media » adunare liceat.

Nonnulli enim putant licitum esse, dummodo finem bonum prosequuntur, omnibus mediis uti quae ad hunc finem obtinendum necessaria videntur.

Ita statuta est quaedam « moralis efficacitatis », quae dicitur (« morale de l'efficacité »), quae perversionum gravissimarum in omnibus dominiis moralis individualis, familiaris, socialis, politicae et internationalis introductarum causa fuit.

Applicationes vix numerari possunt. Ita, exempli gratia, nomine « moralis efficacitatis » introductae sunt praxes anticonceptionales et etiam abortus; nomine « moralis efficacitatis » iustificare conati sunt torturam physicam aut psychicam, obsidum occisionem et innocentium violentas exactiones.

Hae deviationes repercussionem habuerunt etiam in religiosas personas. Accidit enim, exempli gratia, quod in Congregationibus religiosis Antistitae quaedam graviter discretionem offendunt, eo praetextu ut informationes utiles obtineant. Aliis circumstantiis datis, vera et propria mendacia etiam proferuntur variis simulationibus, interdum etiam ea specie ut divisiones et rebelliones contra decreta data vitentur.

Demum, non tantum deviationes particulares animadvertuntur, sed et vera deformatio conscientiae moralis. Non tantum isti male agere non putant, sed sibi persuasum habent quod ita agendum est et rectificationes necessarias facere recusant.

Oblivioni tradita principia theoretice in mentem revocare non sufficit, sed viam invenire oportet, quae deformatam conscientiam dirigere permittat. Primo quidem, ut mihi videtur, accurata analysis increscentis deformationis facienda est; deinde recordandae conditiones necessariae ut actus quilibet moraliter bonus fiat (moralitas finis, moralitas obiecti, moralitas mediorum, moralitas circumstantiarum); demum consequentiae gravissimae quae ex « morali efficacitatis » resultant patefaciendae sunt.

II. *Ad disciplinam spectantia*

1. *Facultates Metropolitarum*: Nonne optandum esset ut Metropolitae facultatibus amplioribus disponant, eo praesertim fine ut activitas pastoralis organica et communis in omnibus dioecesibus provinciae ad meliorem effectum perducatur?

2. *Reorganisatio Provinciarum ecclesiasticarum*: Nonne etiam optanda esset reorganisatio Provinciarum ecclesiasticarum secundum modum ad activitatem pastoralem exercendam melius aptum? Sunt, exempli gratia, dioeceses rurales quarum problemata sunt communia (Le Puy, Mende, Rodez, Saint-Flour), quae tamen ad diversas Provincias pertinent.

3. *Officium Episcoporum Auxiliarium in magnis dioecesibus*: In magnis dioecesibus, quae impraesentiarum sine gravi difficultate dividi non possunt, sive quoad organisationem apostolatus, nonne legitimum esset circumdare Episcopum residentialem compluribus Episcopis Auxiliaribus, qui non essent mere auxiliares personae Episcopi residentialis dati, sed qui, dependenter ab eo, *vera auctoritate pastorali instructi essent.*

Hac dispositione enim observata, liceret, quin organisatio pastoralis periclitaretur, obviam ire difficultati, qua Episcopus residentialis, de nimio numero animarum sibi creditarum rationem reddere coactus, opprimeretur. Sanctae Sedis est, uti patet, hanc quaestionem dirimere, sed medium praedictum conveniens commendatur, ubi agitur sive de magnis urbibus, quarum divisio in plures dioeceses extremas difficultates patitur, sive de quibusdam regionibus quarum unitas indistincta administrationi imponitur.

4. *Coniunctio paroeciarum ruralium*: Nonne normae pastorales edicendae essent pro nova divisione organica et coniunctione paroeciarum ruri, incolis derelicto, erectarum?

In futuro forte fieri non potest ut de missae celebratione omnibus diebus dominicis provideatur.

Hodierna dispositio paroeciarum problemata maximi momenti pastorali curae imponit, quod ut solvatur exspectat; nimia disproportio observatur inter sacerdotes ministerio animarum ruri affectos, quibus interdum vix paucae centenae animae creduntur, et sacerdotes ministerio urbano affectos, quibus cura complurium millium animarum committitur.

Demum cogitandum est de necessitate liberandi a ministerio paroeciali certum numerum sacerdotum, qui sive muneri cappellani in scholis publicis incumbunt, sive muneri alteri determinatae rationis: instructioni religiosae, formationi catechumenorum, etc., vel etiam qui Actioni Catholicae vires impendunt.

5. *Adunatio sacerdotum ruralium in communitatibus*: Manifeste patet, sacerdotem solum in paroecia dechristianisata viventem magis magisque materialibus absorberi, proinde conditio eius interdum periculosior est quam conditio sacerdotis in officina laborantis.

Nonne magnae utilitatis esset si Sancta Sedes normas ediceret ut sacerdotes ministerio ruri affecti in ratione vitae communis adunarentur?

Sola interventio Sanctae Sedis capax esset ut certae oppositiones vincerentur.

Conditio sacerdotis singillatim viventis supponit paroeciam vere christianam.

6. *Partitio sacerdotum in una natione vel inter nationes diversas*: Status cleri dioecesani hodiernus obstare videtur partitioni aequiori sacerdotum in una natione et in mundo universo.

Nonne ad hunc propositum dispositio in lucem efferenda esset, qua et regulae canonicae molliores efficerentur, et sacerdotum mens ad considerandas indigentias universi adduceretur?

Saepe scandalum est laicis videntibus id quod deteriore sermone « egoismus dioecesanus » vocari posset.

7. *Facultates Episcoporum*: Cum certa indulta a Sancta Sede semper concedantur, nonne aequum esset Episcopis tribuere potestatem ea concedere, salva expressa conditione ut de concessis in quinquennalibus relationibus Sanctae Sedi fideliter rationem reddant?

III. *Ad sacram liturgiam spectantia*

1. *Nova recensio Pontificalis Romani*: Magnopere utile videtur accedere ad novam recensionem faciendam Pontificalis Romani, quod in variis partibus conditionibus huius temporis amplius non respondere videtur. Citari liceat speciatim ritus consecrationis ecclesiae.

2. *Usus linguae vernaculae in sacra Liturgia*: Dum usus linguae latinae strictissime servandus est in omnibus quae spectant ad validam administrationem sacramentorum et ad sacrificii Missae celebrationem, dum etiam in clero et insuper in populo paroeciarum certa notio linguae latinae fovenda est, ut unitati Ecclesiae testimonium reddere liceat, nonne ampliandae essent licentiae a Sancta Sede iam concessae, quae spectant ad usum linguae vernaculae, quam nonnulli « linguam maternam » vocare malunt?

a) Nonne concedendus esset usus linguae vernaculae in prima parte Missae, *usque ad Offertorium,* ita quidem ut celebrans legere aut cantare valeat lingua vernacula orationes et lectiones?

b) Quod Rituale attinet, nonne concedendus esset usus linguae vulgaris, *iis exceptis quae ad formam sacramentorum spectant*; potissimum concessio usus linguae vernaculae utilis esset in ritu funerario. Hac occasione enim saepe christiani, qui praxim religiosam iam dimiserunt, et etiam increduli ad ecclesiam veniunt; usus linguae vulgaris eis esse posset occasio evangelisationis salutaris.

c) Nonne concedendus esset usus linguae vernaculae, saltem ali-

quoties, pro cantu fidelium in Missa solemni, ea conditione ut quolibet anno in omni paroecia aliquo numero Missae solemnes cum cantu in lingua latina celebrentur, ut fideles ex diversis regionibus oriundi una communi lingua ad Dominum orent, quando simul adunantur, occasionem nacti, exempli gratia, a Congressu vel a peregrinatione?

3. *De reformando Breviario*: Valde optandum est ut nulla mora interposita ad Breviarium reformandum procedatur, ita ut hodiernis conditionibus aptetur. Officium divinum tempus unius horae in diem ne excedat. Officium tamen sit ita compositum ut non tantum recitationem Psalmorum, sed etiam quasdam lectiones et insuper paulisper orationem mentalem complectatur. Recitatio Psalterii integri in mensem dividi possit.

Optandum esset praeterea ut Episcopi iis sacerdotibus qui lingua latina parum eruditi, licentiam recitandi Breviarium lingua vernacula concedere valeant. Nostris diebus, quod valde dolendum est in plerisque regionibus studium linguae latinae maximopere debilitatur, nec via patet hominum viribus huic depressioni obviare. Ratio cur nonnulli sacerdotes interdum recitationem Breviarii omittant, in eo comperta est, quod recitatio sibi non iuvamen praestat, sed potius causa defatigationis est, quae ab oratione avertit.

IV. *Ad curam pastoralem spectantia*

1. *Susceptio curae pastoralis ultra limites dioecesis, in ordine totius nationis*: Optandum esset ut Episcopi immediatius attrectarent curam pastoralem in universa natione, non tantum in sua quisque dioecesi.

Sunt enim nonnulli « motus » nationales vel quaedam scholae pastoralis curae, quae de facto plus influunt in sacerdotes et fideles, quam suis normis singuli Episcopi.

2. *Necessitas determinatarum normarum pastoralium edicendarum*: Multi sacerdotes dolent non adesse, in ipsa dioecesi, normas pastorales indicantes determinate voluntatem hierarchiae respectu diversarum curarum quas suscipere debent. Valde commendandum propterea videtur, ut apud quemlibet Episcopum comitatus peritorum habeatur, qui eum adiuvent ad huiusmodi normas elaborandas et exsecutioni mandandas.

3. *Tirocinium activitatum pastoralium*: Nonne eligendi essent sacerdotes, experientia praecellentes et spiritu supernaturali ducti, quibus potius committantur iuniores sacerdotes, e Seminario egressi, ut eos introducant, tirocinii instar, in varias activitates curae pastoralis?

Multi iuniores sacerdotes enim animo deficiunt, quatenus, instructione theoretica recepta, his methodis recte uti in vita practica nesciunt.

4. *Habitus ecclesiasticus*: Sacerdotes in quibusdam coetibus secun-

dum normam consuetam esse non possunt. Attamen, oportet eos interdum cum hominibus illorum coetuum coniungi, et habitus ecclesiasticus huic usui videtur obstaculum parare. Optandum propterea esset ut Episcopi fruantur licentia ampliore concedendi sacerdotibus usum habitus civilis, quando *hoc ex fine apostolico consiliari videtur.* Ex altera parte tamen oportet corroborare obligationem portandi habitum ecclesiasticum. Ne credatur enim licitum esse habitum ecclesiasticum relinquere propter rationes maioris commoditatis, aut eo fine ut facilius libertates, id quod esset licentiosum, admittantur.

5. *Diaconi matrimonio iuncti*: Sacerdotes paroeciales saepe numero inferiores sunt pro muneribus adimplendis, quae eis incumbunt. Nonne inquisitiones, de quibus Pius Pp. XII f. m. in oratione in secundo Congressu mundiali de Apostolatu Laico habita locutus est, ulterius prosequendae essent, de diaconis, scilicet, qui, etiamsi matrimonio iuncti sunt, determinata munera ecclesiastica assumere possent?

6. *Instituta saecularia*: Cum sacerdotes in quibusdam coetibus modo consueto vivere non possint, nonne optandum esset, ut officium fratrum et membrorum Institutorum saecularium eo dirigatur ut sint testimonium verum praesentiae Ecclesiae in medio illorum coetuum et sub forma valde variata?

✠ Petrus Maria Cardinalis Gerlier
Archiep. Lugdunensis

44

Exc.mi P. D. MARCI ARMANDI LALLIER
Archiepiscopi Massiliensis (Marseille)

Ref. I C/59-816 — Die 3 octobris 1959

Eminentissime Domine,

In primis, Vestra interposita Eminentia, mihi liceat, qua maxime decet filiali reverentia, gratum animum verbis effingere Summo Pontifici Ioanni XXIII qui, ad proximum oecumenicum Concilium parandum, optavit ut omnium Episcoporum Praelatorumque, mox huius Concilii Patrum, impulsus votaque colligantur.

Liquet certe et facile intelligi potest curam oecumenicam in primis Suae Sanctitati in animum induxisse novum congregandum Concilium. Oportet enim, in nostra aetate, in qua magis ac magis doctrina ad terrestria vergente afficiuntur homines (1) ut viae ad resarciendam tendentes

unitatem, palam iam a mille annis dilaceratam, sedulo perspiciantur. Conscius autem me imparem esset ut Eminentiae Vestrae utilia suggerere possim, volo tamen perceptam significare iucunditatem ubi primum « Notam » a Coetu qui praeest « Catholicae Conferentiae de oecumenicis quaestionibus » redactam legi. Non me praeterit eam in Vestrae Eminentiae potestate esse et valde gaudeo eius conditores mihi videri nostram fiduciam absolute promereri et iam diuturna experientia necnon relationibus cum disiunctis fratribus cultis, et Ecclesiae nostrae catholicae doctrinae disciplinaeque vero studio.

Ex altera parte tamen, breviter respondere in primis cupio. Quamvis nihilominus omnia de quibus acturus sum esse de Concilii potestate contenda, necessarium duxi, prout ad doctrinam sive rem pastoralem disciplinamve reducuntur, meos agglomerare impulsus.

I. *Quoad doctrinam*

Ab exordio, maxime videtur necessarium elaboratam a Concilio Vaticano dogmaticam « de Ecclesia Christi » constitutionem perficiendam esse.

Exacta quaestione de Petri Pontificisque Romani principatu huiusque infallibili magisterio, theologicae quaestioni Episcopatus Ecclesiaeque alicuius loci in suis cum Summo Pontifice universalique Ecclesia relationibus studere interest. Necessarium quoque videtur de idonearum Episcopo facultatum natura statuere.

Sed a Concilio non praetereunda esset « laicatus » theologia. Illa « integra Ecclesiae res velut mysticum Christi corpus » (ut optime ait P. Spiazzi O. P.) praesentem aetatem valde tenet sed notio « Actio catholica » saepe subtilitate caret. Patribus congruit hac de re Concilii Vaticani opus persequi.

Item subtiliter exsequendum esset quid sentiat Ecclesia de doctrinis vulgo « marxisme, capitalisme, laïcisme ». Non praeteritis aliis, quae nostra aetate pessima auctoritate valent, philosophicis oeconomicisve disciplinis, tribus supradictis doctrinis enucleatissime studendum est. De illis perfecte cognoscendum est et, quo visum fuerit modo, a Coetu plenario Ecclesiae docentis damnandum. Ad hoc haud facile opus praeparandum, nonne a peritis (quibus theologi, philosophi, rerum scriptores et oeconomistae adiungerentur (2) susciepiendum esset excussum studium multorum doctrinae marxistae huius temporis aspectuum in quibus regionibus maximum affert malum?

Cavendum est tamen etiam ante Concilium coadunatum suumque opus persequens ne modo unice condemnante tantum, neglectis autem

partibus bonis, hic fiat labor. Simul ac in nomine Domini iudicaturi condemnaturique erimus, nostrum erit in curis aetatisque nostrae rationibus omnia quae vera et iusta sunt caritatemque non fictam denuntiant et agnoscere et colligere. Et praesertim nostrum erit unicam Christi doctrinam humanis mentibus in vero gaudio « inter mundanas varietates » statuendis aptam esse ostendere.

II. *Quoad rem pastoralem*

In mundo nostro semper in motu cuiusque tam cito praeterit figura, pastorale officium nostrum ab omnibus supervacaneis impedimentis expediendum et ad res maximi momenti dirigendum est.

In multis ac in Gallia regionibus, mea sententia, duae Episcoporum curam zelumque sollicitant quaestiones: ex una parte ab Ecclesia seiuncti sunt opifices et mente, et studiis, et praeiudiciis quibus ita longissime ab Evangelii prospectibus convertuntur animi voluntatesque ut, simul ac quaevis familia huius ordinis est, in maximo versetur periculo fides eius. Ex altera parte, seclusis opificibus, adest multitudo hominum qui ut christianos, sed extrinsecus tantum, se gerunt sive quodam more sive quod in eis haud omnino exstinctus est ignis divinus. Exquiritur tamen an eorum fides talis sit ut tutissime eis tribui possint Christi sacramenta praesertimque Baptisma et Matrimonium.

Quonam modo Evangelium praebere his supradictis hominibus, id est: ad eos pervenire, cum eis loquelam loqui divinam, divinamque Vitam eis infundere? Quod si Concilium quodvis ad has resolvendas quae modo tam diverso in diversis terrae regionibus habentur quaestiones impar sit, quaedam normae necessariae videntur et in primis de re Sacramentorum pastorali necnon de hoc nuncupato « la morale de situation » quod Summo Pontifici Pio XII in animum induxit tam magni pretii doctrinam.

Sed « quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? ». In hoc praecipue pastorali respectu habetur cruciabilis quaestio de minimo sacerdotum numero in certis dioecesibus aut regionibus terrisve universis velut Africa vel latina America. Si diversos modos de intimiori inter sacerdotes dioecesanos strenuosque religiosos Ordines intra fines uniuscuiusque loci ecclesiarum cooperatione non perspiceret Concilium, si arduam de aequali cleri distributione (3) quaestionem non perstringeret, optimos inter Christianos, mea sententia, deciperet.

Item ad Dei verbum efficacius nuntiandum, nonnulli ecclesiastici « ordinis medii » gradus iure factoque reapse restituendi essent, ut ec-

clesiasticae provinciae nunc tam dissentaneae respectuque ordinis pastoralis plerumque fere inefficaces, velut etiam provinciarum coetus eiusdem nationis.

III. *Quoad disciplinae iura*

Nonnullae inter tot alias sententiae Concilii mox habendi Patribus fore videntur curae.

1. Nonne opportune, positiva lege, vernaculae linguae concederetur usus in liturgicis officiis ut primum postulatur a fidelibus docendis? Indultis concessis (v. g. pro Sacramentorum rituali duabus linguis scripto necnon Epistolae Evangeliique in lingua vernacula pronuntiatione, peracto latino cantu) factum est ut melius intelligeret perfectiusque participaret christianus populus. Secluso Kyriali et evidenter omnibus ad ipsum Eucharisticum Sacrificium pertinentibus, nonne decet in unice pastorali prospectu necessarias mutationes prae oculis habere? Quae mutationes postularent ut Missale Romanum per partes immutetur iterumque typis mandetur, quod omnino necessarium videtur (de mutationibus istis non tantum pastores et « liturgistae » sed etiam rerum scriptores quibus esset apprime nota praesentis Missalis conformatio consulendi essent).

2. Exoptandum esset ut a Concilio accepta habeatur Breviarii Romani editio nova huius temporis ministerii necessitates haud neglegens, ampliorem Scripturae Sacrae lectionibus adiudicans partem et, quod ad Sanctorum Officii rationem pertinet (eo Officio multo magis diminuendo), historicae scientiae vestigia multo magis tenens.

Et dum de hac ageretur quaestione, opportune a Patribus supplicationis universalis Ecclesiae ordo praecipuus praesertimque in vita sacerdotali « Operis Dei » principatus renovaretur.

3. Haud minime laesis iunctis seiunctisve Ecclesiis quarum a nostris de disciplina differunt leges, haud leve videtur allatis rationibus ecclesiastici caelibatus legem denuo confirmare.

Quoad diaconatum quemdam haud necessario neque Presbyteratum in futurum recipiendum neque caelibatum comprehendentem, hoc item expediendum esset.

4. Tandem est mihi cordi me gratissimum in Summum Pontificem praebere qui pluries totius corporis *Codicis Iuris Canonici* recognoscendi voluntatem ostendit. Inter tot iuridicas quaestiones aspectusve sine dubio aetate affectos, notiones de « beneficio » et « immutabilitate » tractantes diligens studium audacemque emendationem praecipue postulant. Si totaliter obligat erga personas verecundia, clericique, nedum necessario careant, tenuiter vivere debent (quod Evangelium sensusque fidelium

communis postulat) quot graves dioecesibus paroeciisve attulit dolores lex de disciplina haud de bono communi imperante satis curans!

Cum valde conscius sim imperfectas nimisque breves has esse notationes, Eminentiae Vestrae gratias ago quod acceptas habere velit deferreque ad Pontificiam cui praeest Commissionem.

Et sacram eius purpuram osculans, precor ut summae reverentiae meae gratum habeat obsequium.

✠ MARCUS ARMANDUS LALLIER
Archiepisc. Massiliensis

45

EXC.MI P. D. GEORGII DEBRAY
Episcopi Meldensis (Meaux)

Meaux, le 15 décembre 1959

Excellence Révérendissime,

J'ai l'honneur de vous faire parvenir sur la Note ci-jointe quelques vœux en vue du futur Concile. Je suis très confus de mon long retard à m'acquitter de ce devoir et je m'en excuse bien vivement.

A l'approche de la douce fête de Noël, permettez-moi de vous assurer de mon union dans la prière aux grandes intentions de l'Eglise et de Notre Saint-Père le Pape Jean XXIII.

Avec mes vœux les meilleurs pour vous-même, Excellence, je vous prie d'agréer l'expression de mes sentiments très respectueux et dévoués en N.-S.

✠ GEORGES DEBRAY
Ev. de Meaux

DIOCESE DE MEAUX

Circa res quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt, Episcopus Meldensis, in Gallia, subiicit humiliter vota quae sequuntur:

I. *Quaestiones dogmaticae*

1. Plura Capita non examinata in Concilio Vaticano, ratione interruptionis, considerari forsan possent, praecipue Capita de Constitutione Ecclesiae.

2. Post proclamationem dogmatis Assumptionis, definitio dogmatica Mediationis Universae Beatae Mariae Virginis populum christianum gaudio repleret.

II. *Quaestiones canonicae*

1. Can. 136 *Codicis Iuris Canonici* de habitu ecclesiastico examinari deberet.

2. *De Curia Romana*: Optatur ut ampliores quaedam facultates Ordinariis concedantur in negotiis administrativis, saltem minoris momenti.

3. *De Sacramentis*: Quoad ieiunium eucharisticum, presbyteri qui bis vel etiam ter litant, exoptant ut mora unius horae post sumptionem alicuius potus inter primam et secundam Missam non requiratur.

Videntur possibiles quaedam reductio impedimentorum matrimonii circa consanguinitatem, affinitatem... et etiam impedimenti spiritualis cognationis suppressio.

4. *De Cultu divino*: Ut Breviarii recitatio facilior evadat, in votis esset quaedam simplificatio secundum lineam inceptam in decretis anni 1955, v. gr. per suppressionem novem lectionum ad Matutinum, quando de festis saltem secundae classis non agitur.

Num possit dari dies fixa « ne varietur » pro solemnitate Paschae?

In votis est recognitio librorum Pontificalis et Caeremonialis Episcoporum. Nonne ritus non principales in consecratione ecclesiae, altaris ac Sanctorum Oleorum necnon in benedictione campanae ad breviorem formam reduci possint et etiam supprimi, quando dupliciter fiunt.

Cum maxima reverentia.

✠ Georges Debray
Ev. de Meaux

46

Exc.mi P. D. RENATI BOUDON
Episcopi Mimatensis (Mende)

Mende, le 1er septembre 1959

Res et argumenta qua in futuro concilio tractari poterunt, desumenda sunt ex circumstantiis et condicionibus in quibus Ecclesia missionem suam adimplet, inter quas eminent:

I. *Diffusio stupenda materialismi atheistici.*

II. *Laudanda participatio fidelium ad apostolatum.*

III. *Difficultates propagationis Fidei in Asia.*

I

Diffusio et progressus materialismi, forma actualis atheismi, est maximum periculum et maxima tentatio, tam in populis christianis quam in non christianis.

Causae huius diffusionis dignoscendae sunt, ita ut lux Evangelii, quae sola cor humanum satiari potest, cum magno fulgore eluceat omnibus hominibus.

Inter causas numerari possunt:

1. Divisio christianorum.
2. Civilisatio « technica » quae naturalismum fovet.
3. Miseria operariorum et conditiones eorum vitae, quae facile provocant divortium — de facto — inter massam operariorum et Ecclesiam.
4. Ignorantia veritatis christianae etiam in hominibus cultis.

Unde optandum est:

1. Ut foveatur reditus dissidentium in sinu Ecclesiae.
2. At assumetur et « evangelizetur » civilisatio technica, per praesentiam Ecclesiae (sacerdotes) in sic dicto mundo « inventionis scientificae ».
3. Ut protrahantur tentamina et conatus — sub patrocinio hierarchiae — ad mundum operariorum evangelizandum: ita ut Ecclesia huic mundo sit « praesens » ut fermentum.
4. Quaedam « renovatio » praedicationis ad fidem solide et complete nutriendam, tam in adulescentulis quam in adultis.

Ad hunc scopum, multum praestabit renovatio liturgica a Summo Pontifice Pio Papa XII feliciter concessa: fructus optimos iam fert; optandum est ut sacra liturgia magis ac magis fons vitae et veritatis sit, praesertim, si fieri potest, per usum linguae vernaculae in lectionibus sacris: « fides ex auditu ».

II

Laudanda et necessaria participatio fidelium ad apostolatum hierarchiae postulat ut elucidentur quaedam puncta tum dogmatica tum disciplinaria:

1. Desideratur synthesis dogmatica « de Ecclesia », praesertim « de membris Ecclesiae ».
2. Theologia « sacerdotii » clarificanda est ut amoveatur ambiguitas huius termini relate ad fideles.
3. Obedientia Ecclesiae restauranda est quin minuatur responsabilitas laicorum in Actione Catholica.

4. Quaestio « diaconatus » iam existit: optandum est ut studeatur satis complete, praesertim sub aspectu disciplinari ut videatur si possibilitas adsit amplificandi quantum necessarium est numerum eorum qui totaliter servitio Ecclesiae sese devovent.

Relate ad conditiones hodiernas apostolatus, optandum est ut:

1. Formatio clericorum sit longior ita ut magis apti sint ad munus suum exercendum in mundo hodierno.

2. Quaedam unitas directionis pro rebus magni momenti obtineatur in aliqua natione, v. g. per restaurationem « auctoritatis patriarchalis »: Exigentiae apostolatus trascendunt saepe fines unius dioecesis.

III

Propagatio fidei mirabilis est in Africa; sed in Asia, numerus fidelium semper est « pusillus grex », et hoc non imputandum est zelo congregationum et missionariorum.

Fortasse quaestio est relationis inter Ecclesiam et « civilisationes »: Evangelium trascendit civilisationes, etiam sic dictam civilisationem occidentalem. Eius trascendentia et « puritas » magis inveniendae et manifestandae sunt ut realis insertio fiat in civilisationibus Asiae: opus difficillimum sed nihil est impossibile Deo et gratiae eius.

✠ RENATUS BOUDON
Episcopus Mimatensis

47

EXC.MI P. D. PAULI SCHMITT
Episcopi Metensis (Metz)

Quae mihi videantur quaestiones S. Concilio proponendae?

Velut alta pharus lumen effundit, praesidium nautis indicium fretis, ita Sancta Ecclesia a Divino suo Auctore instituta est, ut cuiusvis aetatis regionisve homines ad suum quemque portum salutis perducat.

Quam ob rem mihi quidem id maxime e re esse videatur, ut nostrae aetatis hominibus summa ope in memoriam reducatur ut sibi persuadeant quem ad finem supernaturalem tendant et qua via et ratione eum contingere possint.

Quae instituta et rationes bene vivendi, etsi saeculis praeteritis nunquam desierunt tradi cum patientia et doctrina, tamen nostris imprimis

temporibus Ecclesiae est hominibus ea revocare in mentem, refutando eorum errores qui serpunt velut cancer.

Haereses detegendo et proscribendo et exstirpando decursu temporum ortas nonne Ecclesia id ipsum effecit, ut depositum fidei a Deo sibi traditum accuratius intellegeret et clarius profiteretur?

Inter quaestiones a Patribus S. Concilii disputandas et in luce ponendas, mihi quidem haec videntur digna quae tractentur.

1. Contra eos qui Deum esse negantes omnia referunt ad materiam seu contra materialismum qui audit, Concilii Patres definiant, quis sit finis supernaturalis hominis, si eum consideras ut personam, generis vero humani, in quantum est corpus.

2. Contra novatores recentiores seu contra modernismum qui dicitur, Concilio incubuerit definire, quantum Deus eiusque dona velut fides, gratia, etc. ordinem creatum omnino transcendant. Si hodie rarinantes scriptis profitentur modernismum seu, uti ait S. Pius X, « omnium haereseon collectum » (Pascendi), quis negare potest non deesse eheu! qui vita moribusque colludant cum his falsis placitis?

3. Ecclesiae originem naturamque divinam nemo sane intelligere potest nisi qui fide et baptismo ei adgregatus est. Nihilominus, nostra memoria haud secus ac temporibus praeteritis, Ecclesia exstare pergit velut « signum in nationes levatum » (Isaias). Sed, ut homines bonae voluntatis maiore cum virtute ad se alliciat, nonne id omnibus pateat quorum interest, ut eius vindicetur origo divina in quantum est mysterium fidei et fons salutis?

4. Insuper, nisi omnia fallunt, nonne videmur eo processisse, ut clare tandem definiatur, quas partes in apostolatu exercendo teneat hierarchia, quasve laici. Etenim, ex quo Actioni Catholicae student non minus quam aliis societatibus adhaerent, quae haud invita Ecclesia regno Dei promovendo institutae sunt, laici, quis id sibi nondum persuasit?, conscii facti sunt se quoque esse membra Ecclesiae quantumque negotii una cum sacerdotibus sustineant. Sed quis est quin videat, quam diligenter vitare debeant scopulos apostoli regno Dei dilatando addicti tam apud operas quam apud technicos et rerum naturas indagantes?

5. Cum brevi ante in Ecclesia Galliarum ortae sint controversiae de quibusdam viis rationibusque innovandis ad regnum Dei augendum — quae quidem quod attinet mentem auctorum non sunt improbandae, quod vero spectat pericula inde subitura, cavendae sunt — S. Officium iustum esse id censuit et salutare, ut in mentem omnium quorum interest, revocetur, quaenam sint antiquitus traditae tam ministerii quam vitae sacerdotalis dotes. Tanti momenti quaestionem iterum a patribus S. Concilii disputari haud scio an opportunum.

6. Cum non desint hodie inter probatos auctores qui putent esse redintegrandum ad opera caritatis gerenda ordinem s. diaconatus eo animo, ut sacerdotes aliud iam nihil nisi officia quae spectant ipsam naturam divini sui muneris, maiora cum libertate servare possint, velit S. Concilium hanc rem disceptare.

7. Postremo, cum prae temporum necessitate satis multi suo solo patrio coacti sunt discedere eorumque profugorum salus implicetur difficultatibus haud raris ac spinosis, nonne accomodum esse videatur has quoque quaestiones enodari?

Multae aliae quaestiones in disputationem vocari posse Nobis videntur quin his de rebus necessarium sit edere definitiones.

Metis, die 2 octobris 1959.

✠ Paulus Iosephus
Episcopus Metensis

Metz, le 6 octobre 1959

Eminentissime Seigneur,

Son Excellence Monseigneur Paul Joseph Schmitt, Evêque de Metz, souffrant depuis six semaines, s'excuse de n'avoir pu envoyer le rapport demandé concernant le Concile (Prot. n. 1C/59-846) dans les délais exigés.

Daigne Son Eminence avoir la bonté d'excuser Son Excellence.

Son Excellence Monseigneur l'Evêque me charge d'envoyer ce rapport.

Daigne Votre Eminence agréer l'hommage de mes sentiments très respectueusement soumis en N. S.

Monseigneur Caré, *Official*

48

Exc.mi P. D. LUDOVICI DE COURREGES D'USTOU
Episcopi Montis Albani (Montauban)

Prot. N. I C/59-867 Montauban, le 28 septembris 1959

Eminentissime ac Rev.me Domine,

Humiliter Eminentiam Vestram adprecor ut mihi veniam praebere dignetur et velit pro tarda responsione facta Litteris Suis, circa Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico, 18 iunii 1959 datis.

In foliis adnexis expositionem aliquarum quaestionum quae mihi videntur in Concilio utilius pertractandae esse reverenter remitto.

Interim sacram purpuram vestram deosculor, et omni quo par est obsequio me profiteor

Eminentiae Vestrae Rev.mae
observantissimum et addictissimum
✠ LUDOVICUS
Episcopus Montis Albani

Episcopus Montis Albani, in Gallis, quasdam quaestiones, quae ipse in Concilio disputandas esse exoptat, per summa capita notat infra:

1. *De mysterio Ecclesiae*

1) Constitutio et Missio Divina Ecclesiae. Corpus Mysticum.

2) Fundamenta auctoritatis in Ecclesia et summa necessitas oboedientiae tam clericorum quam laicorum (relate ad aliquem subiectivismum hodierna die nimis pervulgatum).

3) Missio constans totius Ecclesiae: Evangelizatio.

2. *De potestate episcopali, seu de episcopatu*

Extensio et fines Missionis Divinae Episcoporum residentialium.

3. *De Religiosis*

Status religiosorum in Ecclesia, specialiter in Dioecesi.

Relationes religiosorum cum Episcopo in actione pastorali per Dioecesim.

4. *De Laicis*

Status laicorum in Ecclesia, eorum obligationes et iura.

5. *Quaestiones apostolatus*

1) Status christianorum qui, nomen retinentes christianum sine negatione pertinaci veritatum Fidei divinae (can. 1325), de facto a Fide Christiana recesserunt.

Quid de eorum admissione ad Sacramenta?

2) Intra fines regionum christianarum multitudines, praesertim opifices, a fidelitate Ecclesiae recesserunt: Quomodo Ecclesia eis Evangelium tulerit? Quae sint obligationes pastorum?

Quid de ministerio suppletorio, laicis absentibus, a sacerdote efficiendo?

3) Evangelizatio migrantium.

6. *Problema unitatis*

Cum dissidentibus: orthodoxis, schismaticis et haereticis.

✠ Ludovicus
Episcopis Montis Albani

49

Exc.mi P. D. CYPRIANI TOUREL
Episcopi Montis Pessulani (Montpellier)

Eminence Révérendissime,

En priant Votre Eminence de bien vouloir excuser le retard que nous avons mis à lui répondre, nous osons invoquer en guise d'excuse, et notre santé quelque peu compromise par les fatigues du Saint Ministère, et les retraites pastorales que nous avons tenu à présider.

Notre bref rapport, reflet de la sollicitude pastorale que nous devons plus spécialement aux âmes du Diocèse de Montpellier, se limite à l'horizon de la région Languedocienne dans laquelle nous visons, sans pour autant omettre l'appartenance de cette région à l'Eglise de France parfois audacieuse, et même téméraire, mais toujours profondément consciente de son attachement indéfectible au Siège de Pierre.

La réponse ci-incluse à votre aimable invitation comporte trois parties schématiquement rédigées et une conclusion:

1. Une vue d'ensemble sur le comportement religieux des prêtres, des séminaristes et des fidèles.

2. Des vœux concernant:

a) L'Action Catholique.

b) La Sociologie religieuse.

c) Les institutions d'Eglise.

d) Les relations entre clergé séculier et régulier, ainsi que leur nécessaire collaboration en vue d'une presse catholique.

3. Des observations sur:

a) Le protestantisme.

b) Le renouveau liturgique.

c) Les bienfaits insignes des documents pontificaux ayant pour objet les matières les plus diverses.

4. Une conclusion soulignant une tendance générale au Néo-Libéralisme.

Après avoir baisé de Votre Eminence Révérendissime la pourpre sacrée, nous la prions de nous accorder son indulgence et d'accepter l'ommage de notre respectueuse vénération in Christo et Maria.

✠ Cyprien Tourel
Evêque de Montpellier

I

De Sacerdotibus

I. *Pericula quoad vitam spiritualem*: oriuntur de plurimis causis:

A) *Vita spiritualis ipsius sacerdotis,* id est vita interior: parum propensi sunt (sacerdotes) *ad pietatis exercitia ab Ecclesia constanter ac rite ordinata*: oratio mentalis; visitatio apud sanctissimum Eucharistiae sacramentum; examen conscientiae; sacramentum poenitentiae et directio spiritualis.

B) *Adiuncta rerum externa et profana in quibus versantur sacerdote*: *effusio* ad exteriora impellit eos extra domum immoderato modo.

Intempestive oblectationes desiderantur: verbi gratia: cinema (italiano: cinematografo); télévision (ital.: televisione).

Deambulationes otiosae.

C) *Vita spiritualis communis in neglectu non raro cecidit*: officium divinum; recollectiones sacerdotales; exercitia spiritualia.

II. *Pericula quoad vitam intellectualem.*

Alii negligentes, alii incuriosi immo, alii e medio penitus obiicientes curam studiorum se praebent.

Quae studia:

a) *privatim,* ab ipso sacerdote, circa scientias sacras et praeparationem ad ministeria pastoralia requiruntur;

b) *vel in communi, per collationes ecclesiasticas procurantur.*

III. *Mutua caritas inter sacerdotes,* nec sufficienter ad invicem se visitant nec adiuvant.

IV. *Vita apostolica.*

Si re vera zelus fervet, saepe non sufficienter internus est quia magis innititur mediis « technicis » (vulgo dicto: « les techniques ») quam

genuinae vitae interiori. Ex quibus imminent *pericula plurima*: verbi gratia:

animi demissio ipsius sacerdotis;

lapsus caritatis apostolicae ad affectum mere humanum vel inquisitionem aut etiam satisfactionem cuiuscumque efficaciae iam *speciose* obtentae;

visitationes et frequentationes, quae parum cum prudentia sacerdotali adaptatae sunt, multiplicantur sub praetextibus diversis necessitatis pastoralis invisendi non omnes, sed praesertim aliquos qui videntur plerumque esse iidem. Allegant etiam sic propius se venire cum aliis in rebus profanis et humanis et arrogant sibi, ut licita, nimia quae dedecent clericis.

N.B. *Influxus huius modi secundant*:

A) 1. *Ephemerides et opuscula* etc. quae animos prostrant cum inquietudine et pessimismo sub specie idealismi nebulosi necnon illusorii vel aliorum systematum quae ab experientia rata esse non possunt.

2. *Materialismus* qui circumdat omnes et civilisatio quae tale venenum vehit.

Orationes, sacrificia, sanctificatio sacerdotalis pro parvo videntur esse prae oculis aliquorum, et sic isti vivunt « ad extra » scilicet sensum Ecclesiae.

B) *Nec amplius satis praedicatur doctrina catholica* sed nescio quis « evangelismus » incertus, qui appellaret, ut ferunt, ad quamdam caritatem quae non est alia quam « *subiectivismus* ».

C) *Sequitur ut* minuatur sensus peccati et obligationis obiectivae clare definitae.

De Seminaristis

Si res vera fluxus qui supra enumerantur praesertim poenes *iuniores clericos,* nemo miratur utrum etiam in ipsa sacerdotali institutione inveniantur *sub specie obstaculorum* ex quibus duo potiores modi delineantur:

1. *In primis* scilicet principium in quo innititur educatio iuvenum aetatis nostrae sic definiri potest: « l'enfant est le maître à étudier et à servir » ... « *puer est magister qui perspici et serviri debet...* ». Sic ille institutione vere adaptata personalitati gaudebit, ut dicunt. Sed principium illud quod iam per se controvertitur, psychologicam consequentiam secum affert. Etenim puer primo, deinde adolescens, ut *magister* et *dominus* de facto denique se habebit.

Pedagogia quo puer libero arbitrio cognoscat, et decidat vult eum erudire.

Ad animum eius augendum, admirationi erit, si experimenta motu proprio, vel aliquid per seipsum incipiet.

Quis stupebit, cum puer in applicationem regularum huius modi cum integra et interna earum logica serio ingrediatur?

Logice enim in factis experientia anti-christiana derivatur: non amplius in illa institutione locus manet virtutibus obedientiae, reverentiae, humilitatis, abnegationis, earum virtutum quae tamen ad essentiam vitae christianae pertinent.

Altera incidentia: Exemplar quoddam seducens praebetur, quod puer qui a praecise illud seducens est, et iucunditatis et pulchritudinis, et gaudii gratia, sibimet eligat.

Ergo: obligatio quae modo absoluto imponitur, quia desursum oritur, mentalitati aetatis nostrae, quam mentalitatem ipsa hodierna institutio fovet, penitus repugnat.

2. Praeterea adolescentia notam sui generis addet. Iuvenes qui per seipsos unice statuere apud animos quid velint opinantur, ut adolescentes tantum qua tales consilium capiunt.

Attamen isti proh dolor! se adultos esse putant, et tanquam adulti qui non amplius conciliariis neque magistris indigent tractari volunt.

Cum ad Seminarium maius pervenerint, eadem cogitare et agere non desinent. *Per se ipsos institui cupiunt nec auctoritative* (par voie d'autorité) consilia, nec a fortiori praescriptiones, qui intuitu praeparationis ad sacerdotium dari possunt, accipere volunt.

Pater spiritualis iam non habetur ante omnia pro legatione fungens Dei et Ecclesiae, sed ut *amicus* cui libenter *secreta credita sunt,* et qui cum sympathia quaecumque a clerico cogitantur vel dicuntur « *intelligit* » et practice inclinationibus eius cuiuscumque generis patrocinia quaerit.

Hodie, apud iuvenes, haud procul dubio, maior spontaneitas et sinceritas quam olim verificatur, sed *homines voluntatis et firmae fidei* scilicet homines egregiae et constantis indolis desiderantur.

Cum agatur de his qui sacerdotes promovendi sunt, hoc nos maxime angit...

Nonne sacerdotes *viri integrae voluntatis Dei et custodes legis* (obiective sumptae) *Ecclesiae debent esse?*

De fidelibus

Hac vice, in aperto et cum maximo vigore, inclinationes hominis viventis modo independente et sub imperio felicitatis palpabilis se manifestant.

Appetitus distractionum et voluptatis, specialiter apud iuvenes: saltationes, cinema (italiano: cinematografo) etc.

Mollitia corporalis et defectus pudoris... omnia videntur licita et imperiosa.

Aversio circa edicta, auctoritatem etiam Ecclesiae.

Quaenam remedia in ista situatione offeri possunt?

1. *Necessitas magisterii* doctrinalis non nebulosi « evangelismi » et moralis « de facto ».

In traditionali cursu Ecclesiae, duo auxilia tradita sunt a Concilio Tridentino.

A) *Praedicatio* (in missa dominicali): urgendo in dogmatica expositione; non parva exhortatio devota, vocatio ad apostolatum, vel diffusa apologetica inspirata a quotidiana vita (« a facto diverso » v. d. faits divers); dogmata clare exposita in theologico vocabulario, non incertis verbis.

B) *Catechismus*:

a) Quoad adultos iam non est, miserabili eventu!

De hoc non utitur, sicut olim, opportune, verbi gratia: in sacramento paenitentiae et matrimonii et baptismi, specialiter quoad patrinos.

Auctores morales postulant cognitionem veritatum ad salutem ordinatarum et necessariarum: opiniones Sancti Augustini et Sancti Thomae.

b) Quoad pueros catechismus requirit constanter perseverantem sollicitudinem parochi.

C) *Magisterium doctrinale* diligentius cognitum ab aliquibus eligendis christianis « l'élite » verbi gratia: catechistis; participibus Actionis Catholicae.

Hic, iterum magisterium « *ex professo* », non explicatio occasionalis (fortuita).

2. *Necessitas vitae* spiritualis certae:

orationis personalis et saltem quam maxime exercitiorum pietatis. *Spiritualitas actionis* magnum periculum includere potest;

vitae sacramentariae: praesertim sacramenti paenitentiae (sensus peccati tam magno minuitur) et Eucharistiae;

etiam recollectionis pro selectis fidelibus (« l'élite »).

3. *Actio disciplinaria ex parte Ecclesiae* circa aliquos casus, v. g.:

pudor corporis praesertim apud feminas;

dispositiones Ecclesiae revocatae circa saltationes... etc.

II

Vota

I. *Ad « Actionem Catholicam » quod attinet.*

1. *Praecise enucleare naturam Actionis Catholicae* ex Summorum Pontificum definitionibus desumptam, cum distinctione clara inter naturam laicorum, sacerdotii, et presbyterorum, in lucem praemittenda dum iam iura, praerogativae et potestates Domini N. Papae, Hierarchiae in genere, et uniuscuiusque Episcopi in specie, revocarentur in memoriam.

2. *Pro certo affirmare obiectum suum et terminos.*

3. Statuere relativitatem « methodorum, technicarum et industriarum » (v. d.: activités), bene notando distinctionem inter participes Actionis Catholicae: provectioris aetatis (adulti) et iuvenes seu adolescentes.

N.B. De hoc quaeritur praesertim: num « recognitio vitae » (Gallica lingua: révision de vie) et testimonium (témoignage) qui possunt esse utilia auxilia vitae christianae fovendae, non aliquoties adiuvent quamdam « subiectivismi idealistae » formam, potiusquam perfectam fidei traditionem: ita evenit ut etenim, hic se referat ad unum testem, et alius ad alterum, cum omnes discipuli Christi solam et eamdem fidem catholicam invocare debeant.

4. *Definire: naturam, munus, et locum*:

a) Comitatuum et commissionum pontificalium; *b*) Comitatuum dioecesanorum; *c*) consiliorum nationalium; *d*) coetus negotiorum nationalium (v. d.: secrétariats nationaux).

Ita Actio Catholica sub diversis modis tam magna promissio pro bono animarum, Ecclesiae, civitatisque temporalis, iter faciet sub auctoritate directa Summorum Pontificum et Episcoporum, qui soli sunt auctores generalis Pastoralis (v. d. pastorale d'ensemble).

5. *Distinguendam est actionem catholicam* in quantum sanctificationis, formationis doctrinalis, et apostolatus instrumentum:

a) actionis economico-socialis; *b*) auxilii socialis; *c*) actionis civicae; *d*) actionis professionalis et simul ostendendum Institutionum temporalium super christianae moralis principia fundatarum, earum valorem necessitatem et pondus. Sic v. g. Syndicatus christianus.

6. In finem, notare nobis licebit, salvo beneficio rei bene definitae, ambiguitatem vocabulationum sequentium:

spiritualitas medii (v. d. spiritualité de milieu); spiritualitas actionis (v. d. spiritualité d'action) non sufficienter hae locutiones distin-

guunt quod requiritur a spiritualitate communi pro omnibus fidelibus et « coloratio » proponenda in quibusdam adiunctis vitae christianae.

7. Denique, per *modum conclusionis, fortasse optandum esset ut*:

a) Congregatio Romana erigeretur ad Actionem Catholicam organisandam et regendam; *b*) Daretur statutum Canonicum pro: capellanis generalibus (aumôniers nationaux); capellanis dioecesanis; sedibus principalibus dioecesanis (centrales) Actionis Catholicae, si haec vota non mature postulanda sunt.

II. *Ad Sociologiam religionis quod attinet*:

a) Pericula quaedam determinare, maxime pro populo christiano et sacerdotibus non clare monitis, scilicet: periculum cuiusdam posivitismi materialistae; periculum phenomenologiae naturalistae.

b) Definire eius obiectum; ambitus; methodos; usumque practicum.

III. *Ad institutiones Ecclesiae quod attinet*:

earum fundamenta; gravitas;

pericula *novationum* sine maturitate sufficienti;

pericula *experimentorum,* effectus temeritatis potiusquam rationis et consilii.

Speciatim memorantur « novationes » et « experimenta » quoad:

Seminaria (maius et minus); Institutiones religiosae obiectorum diversorum praesertim institutiones circa instructionem; Parochiae; Missiones parochiales et regionales; Opera pietatis; Actio Catholica... etc.

In colloquiis, saepe quaedam locutio profertur, sed saepe saepius super labia novorum presbyterorum, quod denotat levitatem animi et conscientiarum erronearum... haec locutio est: « Seminarium maius... aut « Seminarium minus... Parochia... sunt temporis acti, nostro saeculo aliena ».

Sunt quae, profecto mutari debeant in meliora, accomodationes possunt esse faciendae, attamen sine detrimento boni animarum et Ecclesiae; quaedam novationes (ut dicunt « adaptations ») non possunt imponi institutionibus Ecclesiae.

IV. *Ad commercium et collaborationem clericorum saecularium cum religiosis exemptis.*

Sine ulla dubitatione et cum gaudio extollimus bonam et solidam commercii voluntatem ordinum religiosorum, tam hominum quam feminarum, in vita apostolatus cum clericis saecularibus.

Attamen, *ordinatio pastoralis generalis* in dioecesi, quae est auctoritatis episcopi, pluribus vitiis est affectata. Evenit ut conventus quidam velut « *super parochiam* » in urbe se manifestat. Ordo necessitatum urgentium nec placet, nec admittitur.

Item, *opera apostolica in ordine instructionis* (v. g. distribuere) perdifficile est. Magnum est damnum nostro tempore quo non solum omnes

pueri ab omnibus ordinibus totius nationis scholam adeant, sed scholaritatis probatio comparata est. Possibile esset diversae instructionis portiones distribuere secundum necessitates, si Episcopi auctoritas effectum subsecuta esset.

V. *De materia nuntiorum* (vulgo: presse).

Sive regionalis, sive localis, quotidiana vel hebdomadaria, in aliquibus dioecesibus graviter deficiunt. Sed quaestiones circa pecunias et personas facile resolutae essent, ut nobis videtur, si cooperatio strictior esset et necessitatibus Ecclesiae Catholicae sub modis diversis sic maxime subvenirent.

Ad nostram mentem vere elucidendam, exempli gratia, notamus sequentia: Clinica, deservata a religiosis, fit fons singularis fructuum. Haec omnia compendia a Congregatione utuntur in favorem scholarum, missionum, sororum magnae aetatis, vel socialium operum gratuitarum. Optandum esset ut Curia Romana vel dioecesis partem fructuum perciperent ad bonum communem spiritualem promovendum.

Considerationes illae, forsan aliquibus temerariae videntur pro nostro tempore, tamen maximae utilitatis, nobis videntur.

III

Observationes

I. *De haeresi, vulgo dicta « protestantisme ».*

Occasione oblata proximi Oecumenici Concilii quod cum quadrigentesimo anniversario « Reformationis » (v. d. « Réforme ») concurrit, pro certo habuimus exstitisse apud Pastores et haeresim sectantes:

a) quamdam benevolentiam circumscriptam ad quosdam homines exultos, sed parum eruditos doctrina catholica, qui videntur esse pauci;

b) apud plurimos ex istis pastoribus exstitisse inimicitiam sectae recrudescentem erga Romanam Ecclesiam, de qua in hac dioecesi collocutiones hic atque illic habitae testantur.

De hac re, videtur nobis multum prodesse patefacere in hac Occitana regione, quasi laqueos Pastorum qui intendunt animum ad presbyteros trahendos in haeresim, vulgo dicto: « protestante ». Horum Pastorum plerique pertinent ad Evangelicam Reformatam Gallicam Ecclesiam, suntque saeculares aut regulares sacerdotes prolapsi in haeresim.

Contra has observationes non possumus non notare apud aliquos iuniores clericos:

a) perniciosam propensionem ad quemdam « evangelismum » v. d.

« évangélisme ») id est in praesenti casu, ad Sanctarum Scripturarum privatam interpretationem extra omnem traditionem legesque institutas ab Ecclesia;

b) veram difficultatem, voluntatem et regulas ecclesiasticas suscipiendas circa coelibatum.

Unde oritur vis attractiva ab haeresi (« protestantisme ») in eos exercitata.

Denique in fine huius brevis capituli, animadvertimus haereses, ductas motu sensibili, non repugnare invitationi ad colloquium pro Unitate, tamen non videri ad accuratam cognitionem catholicae fidei, multum intendere animum.

II. *De beneficiis renovationis liturgicae* et Sanctae Scripturae diffusionis in populo christiano.

Labor per multos annos de illis duabus rebus perfectus ut accommodatae sint intelligentiae populi christiani Sancta Scriptura et liturgia, plurimos fructus efficit. Pontificia documenta, « Directoria » perfecta in diversis gentibus (gallice lingua: « directoires nationaux »), liber ritualis scriptus in duabus linguis, tota eius substantia non adhuc est extracta, videntur nobis esse magni pretii.

Nihilominus, in aliquibus locis, fecundidatem ingenii enatam ex privata industria adnotamus, quae re vera nocet renovationi liturgiae. Saepius sunt quorumdam religiosorum opera.

N.B. Videtur nobis, propter omnia quae fieri possint progressu scientiae omnium artium, civiliaque instituta civitatis, opportunum esset extensum documentum de sanctificatione Dominicae diei proferri, quia longius produceret documenta quae restitutioni Sacri Tridui praefuerunt.

Si dominica homilia in suum locum regressa est, hoc saepe detrimento est catechismo cuius disciplina didascalice convenienterque congruens cum praeceptis Tridentini Concilii traditur.

In urbibus, et maius maiusque in dies ruri, variis de causis, ex quibus aliquae nobis videntur bene fundatae, celebratio Missae maioris, si iam nunc non abolita sit, abolitioni proxima est: unde est detrimentum magnum, et animis et communitatis cohaerentiae, et testimonio impertito coram universis hominibus non colentibus religionem (gallice: « le non pratiquants ») et infidelibus.

Postremo notabimus erga divinum officium quosdam iuvenes sacerdotes non habere curam quae habenda esset eis.

Si potest fieri publicam orationem Ecclesiae, sacerdotalem escam ante omnes, multo melius incastratam esse in pastorali vita, et melius accomodatam ad pietatem sacerdotis, hoc erit nobis magnae laetitiae. Sed

putamus quoque solemne graviterque renovare in hac re, memoriam voluntatis Ecclesiae, necessarium et urgentius esse.

Audeamus denique exprimere votum plurimorum pastorum fideliumque qui optant impetrare potestatem celebrandi vesperalem missam in occasione obsequiarum aut nuptiarum.

III. *De amplissimis beneficiis enuntiatorum magni momenti Ecclesiae in doctrina*: internationali; nationali; oeconomica; technica; civica; culturali.

Est nobis filii devoti officium erga Summum Pontificem et illustrissimos antecessores, proferendi in lucem beneficia magna documentorum pontificiorum in his omnibus tam variis materiis:

Non solum pastores fidelesque, ex repetitionibus et definitionibus datis a Petri Apostoli Sede, hauriunt disciplinam, admonitiones, omnia ad subtile quae necessaria sunt eis, sed etiam increduli et infideles.

Hoc est, ut opinamur, *quoddam genus oecumenismi magni pretii* in aetate nostra militantes in catholica actione, observaremus quam plurimi sunt viventes extra Romanam Ecclesiam, aut discedentes a fide eius, qui curae habeant sententiam eius cognoscere, et confidant in ea, etiamque existiment se esse suos aliquo modo.

Conclusio

Propensio ad neo-liberalismum (v. d. néo-libéralisme) videtur manifesta in:

a) mentibus et modo vivendi in re pertinente ad communem disciplinam;

b) in cogitatione de vita morali, tam personali quam sociali;

c) in acceptione et expositione materiae dogmaticae.

Hae sunt inter plurima alia, aliquae rationes quae comprobant nostram sententiam:

a) abdicatio auctoritatis ut, sic sub multiplici specie falsa, quia fundamentum auctoritatis in Deo non est sufficienter perspectum in lumine fidei.

Qui in internationalibus rebus debent rationem reddere alicuius auctoritatis, semper adversantur alii aliis. Amara beneficia doctrinae Caroli Marxi (de Karl Marx, v. d. « marxisme ») et dialecticae eius de pura efficientia, et de eius contrario, deletricis (dialecticae) omnium fundamentorum moralis et metaphysicam negantis.

Talis habitus, omni necessitate impressus est in quacumque ecclesiastica auctoritate.

b) Falsa cogitatio humanae personae cui licet se gerere non secun-

dum superiorem legem, sed secundum sua propria consilia (v. d. « autodétermination ») ipsa persona commune definita ex modo vivendi certi ordinis et corporis hominum (gallice « d'un milieu déterminé et d'un ensemble »).

Omnia quae dicta sunt de ethica aptata ad condiciones, valde salutaria fuerunt.

c) Quia scientiae horum temporum exstructae sunt in hypothesi, clerici et fideles aliquando solliciti sunt verbo transferre scientificam huiusmodi rationem ad ea quae sunt dogmatis, Scripturae Sacrae et liturgiae. Quidam curiosi bonae voluntatis, saepe non sufficienter advertunt animum in re pastorali cum utuntur modis diffundendi inventiones.

Contra talia facta, summa necessitate videtur nobis clare repetere memoria: naturam, missionem, et modum agendi hierarchicae Ecclesiae sine qua « Communitas Salutis » (v. d. « Communauté de Salut ») non valeret vivere, nisi auctoritas ei tradita a Divino Conditore, sapienter confirmaretur.

Idem, utile, etiam necesse videtur nobis quantum insigniorem facere Traditionem tantum aequum est in mente et vita populi christiani, retinendi traditioni suum momentum et simul definiendi exactissime quid sit progressus in Ecclesia.

Attamen in fine huius brevis relationis nolumus concludere super verba tristitiae, sed libenter ostendamus in luce florentem effusionem Religiosorum Ordinum, devotorum contemplatione vel actione. Ii, cum nihil reliquerunt essentiale, tum feliciter cohaeserunt cum novo ingenio vitae, et idem novis apostolicis officiis, nonnunquam arduis et saepe ingratis.

Idem, in dioecesano clero, etiam apud iuniores, fervet ardens zelus sacerdotalis, insertus in certissima voluntate gerendi spiritualem vitam, et viget non minus desiderium eruditionis accrescendae ut meliores servi facti essent.

Testes sumus passim in dioecesi liturgiam, Sanctam Scripturam esse in honore, quod tam frequenter optatum est ab Ecclesia: sic enim parochiales communitates, vivae vigentesque florebunt.

Adulti maius maiusque intendunt animum ad institutionem catechismi.

Catholica Actio excellentes christianos finxit, ardentes, eruditos, et fortes qui passim manifestant Ecclesiam praesentem, et servire unice volunt Christum et fratres, saepe impendio vel gravissimis sacrificiis.

Cum magna laetitia accepimus nuntiationem proximi Oecumenici Concilii et cum devoto corde filii respondebimus voluntatibus S. S. in qua pergratum est nobis dignum successorem Petri discernere.

In vinculis fidei caritatisque, omnibus Episcopis in pace cum Roma iuncti, feremus in fraterno spiritu modicam petram nostrae humillimae cooperationis aedificationi sacri aedificii, cum sola cura ut Iesu, Salvatori nostro, Summo Sacerdoti inserviamus.

50

Exc.mi P. D. FRANCISCI ALBERTI BOUGON
Episcopi Molinensis (Moulins)

Moulins, le 25 augusti A. D. 1959

Eminentissime Domine,

Tuas litteras, diei 19 iunii 1959, de futuro concilio oecumenico episcopatum interrogantes cum reverentia et gratitudine accepi.

In quantum onus pastorale, hodiernis temporibus tam aggravatum id permisit, hunc eventum maximi momenti perpendi, aliquot sacerdotes interrogavi et haec puncta humiliter Suae Sanctitati refero, ut Patribus Concilii, si opportunum iudicet, proponere dignetur.

1. Ut prosequatur « Schema de Ecclesia » ex quo Concilium Vaticanum tantum de Summo Pontifice definivit, optandum esset in ordine ad unitatem Ecclesiae ut Episcopatus clare definiatur.

2. Mundum hodiernum technicis scientificis imbutum postulare videtur ut denuo tractetur problema de relationibus inter scientiam, philosophiam et fidem.

3. Pius XII, felicis memoriae, saepe de quibusdam quaestionibus ad ius publicum Ecclesiae pertinentibus fuse disserit. In statu moderno illa problemata cotidie urgent magis ac magis complicata. Sane opportunum esset ut Iura Ecclesiae imprescriptibilia et iura societatis temporalis legitima, mente laicista huius temporis praefulgeant.

4. Gratias Sanctissimo agimus quod ius canonicum reformandum inter labores Concilii intendat. De hac reformatione in specie nihil dicam sed, meo humili iudicio, spiritum novum invenire vellem id est quod ius non tantum ad conservationem fidei dirigatur. Dolendum est quod in multis regionibus fideles vix a paganis differunt. Hoc factum Patres in mente habeant dum revisionis codicis curam habebunt.

5. Ut restauratio liturgica, recenter pro Hebdomada sancta felicissime inaugurata, eodem spiritu extendatur tam ad pontificalia exercenda quam ad sacramenta ministranda vel ad alias functiones liturgicas

exercendas. Fides, hodie, tam periculose minatur quod etiam actio liturgica illam fidem fovere debet.

Ut exemplum, quoad Pontificalia, afferam, optarem ut Tertia in secretario a clero cantata, intret Pontifex dum a choro cantatur Introitus; item ut non teneatur Pontifex lectionem aliquam repetere quoties cum omnibus adstantibus illam audire debet.

Ex alia parte, officium est functio propria pro clericis in sacris constitutis, sed optare audeam quod prudenter allevaretur ita ut sit simul ad laudem Dei et ad vitam supernaturalem sustinendam.

6. Etiam congruum esset discussionem instaurare de diaconatu forsitan de lege caelibatus exonerato sed sine spe ad sacerdotium progrediendi. Saltem in missionum locis haec institutio opportuna videtur.

7. Se liberet Ecclesia a multitudine dignitatum quae vanitati favet et spiritui evangelico praeiudicium affert.

Interim...

✠ FRANCISCUS ALBERTUS BOUGON
Episcopus Molinensis

51

EXC.MI P. D. AEMILII PIROLLEY

Episcopi Nanceiensis et Tullensis (Nancy e Toul)

Resp. ad Prot. N. 1 C/59-896 Nanceii, die 25 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Eminentiae Vestrae Reverendissimae Litteris, diei 18 iunii 1959, pergratum Nobis est heic responsionem facere, in qua indicabimus praecipua argumenta seu thema, quae peropportunum Nobis videtur in proximo Concilio Oecumenico tractanda esse:

1. De conditione Ecclesiae Catholicae coram agressione ac progressibus materialismi athei, enixe exoptamus:

proposita, rationes ac definitiones doctrinae omnino explanatae atque firmissimae;

diligentem exquisitionem quoad causas quae revera edissere valent hodiernos ac momentaneos successus sectatorum Marxii.

2. Adversus gravissimas istas alicuius neopaganismi minas, duplex modus habetur, Nostro iudicio, eas vitandi necnon superandi:

a) conatus iam incepti ad cunctarum confessionum, quae nomen Christi profitentur, coadunationem;

b) interna reformatio Matris Ecclesiae Catholicae, quae ambo argumenta insimul pertractari possunt ac debent, uno verum momentum super alterum constanter retinente, tum quia interna Ecclesiae reformatio ad unificationem extranarum confessionum cum Ecclesia plurimum adiuvare valet, tum quia illud unionis consilium multam afferre lucem potest de incipiendis ac persequendis in Ecclesia reformationibus necessariis.

3. Quoad Ecclesiae unitatem:

Examen de conducendis variis accessibus ad Ecclesiae unitatem a solis peculiaribus Commissionibus perficiendum esse Nobis videtur. Oportet tamen generalem fidelium opinionem pie suscitare, eamque insigni Unitatis Ecclesiae bono obtinendo omnino favorabilem paulatim reddere, ac speciatim ad illum finem universas coram Deo Omnipotenti supplicationes ac preces per totum orbem multiplicando.

4. De interna Ecclesiae reformatione:

a) Attenta universa per mundum ac hodierna, ut aiunt, « democratizatione », cum opportunum Nobis videtur Ecclesiae praelatos, seclusa ex eorum parte omni pompa, simplicioris apparatus externi usuros esse, tum omnino necessarium est Sacrae Hierarchiae naturam, characterem, iurisdictionem ac omnia iura rite ac firmiter asserere, necnon verum ac purum « sensum Ecclesiae », saepius neglectum, imo derelictum sub variarum doctrinarum perversarum influxu, speciatim quoad disciplinam et obedientiam ecclesiasticam, clero denuo infundere ac sollerter reddere.

b) Nonnullis sacerdotalibus obligationibus, insimul ac privilegiis aut praerogativis, sicut v. gr. sacri coelibatus lege, his temporibus plus minusve in discrimen adductis, rite affirmare atque definire denuo oportet dignitatem necnon officia omnia quae defluunt e statu sacerdotali. Insuper opportunum esset, utilitatem sacri Diaconatus ordinis atque status alicuius hodiernae restitutionis examinare.

c) Necessarium etiam videtur, in futuro Concilio argumentum agitari de Ordinibus aut Congregationibus clericorum regularium: etenim nonnullae, ut aiunt, « crises » pluribus e praedicationibus, scriptis aut factis eorum membrorum recenter ortae sunt. Ideoque oporteret

praecisum dependentiae gradum definire cunctorum Religiosorum erga Locorum Ordinarios: notio enim antiqui privilegii exemptionis hodiernis necessitatibus, ac speciatim plenae apostolatus agendi unitati, omnino aptanda est;

Religiosorum — saltem nonnullorum ex eis — dependentiam strictiorem statuere erga proprios eorum Superiores.

d) De autem Congregationibus Religiosarum, tum Iuris Pontificii, tum praesertim Iuris Dioecesani, plures inter antiquiores languescunt, dum satis multae novissimae plus minusve forte eriguntur. Quare opportunissimum Nobis videretur:

una ex parte, aptissimum schema unionis obligatoriae inter parvas Congregationes, quarum et ipsa existentia periclitatur, saltem in quaque Dioecesi, praevidere atque imponere;

altera ex parte, firmiores ac severiores regulas statuere pro novis fundationibus admittendis, ita ut inveniatur in Ecclesia uberior disciplina.

e) De informandis vocationibus sacerdotalibus et educandis in Seminariis clericis nostris temporibus, haec notanda sunt:

Vocationes sacerdotales apud alumnos ortae, qui intellectualem educationem potius scientificam, modernam aut technicam, ut dicitur, multo facilius nunc accipiendae sunt in Seminariis;

sed praesertim clerici in Seminariis magis ac magis hodie educandi atque informandi sunt, ac speciatim cuncti omnino obtinere debent:

pietatem ac vitam spiritualem firmiorem et validiorem,

acutiorem doctrinam et scientiam theologicam,

probam informationem, sed securiorem ac prudentiorem, de hodiernis doctrinis atque ideologiis,

strictiorem probationem de primis neosacerdotum ministeriis.

f) In casu quo in futuro Concilio argumentum tractandum fuerit de innovanda aliqua distributione proportionali numeri sacerdotum inter diversas nationes aut dioeceses, huiusmodi distributionis propositum cum tali discretione certo persequendum esset, ut omnino viteretur gravissimum periculum vocationum sacerdotalium fontes ab imprudentibus inceptis exsiccandi.

5. Tandem pro maximo Ecclesiae bono supremae utilitatis erit futurum Concilium melius ac praecise definiturum principia, conditiones ac diversas modalitates Apostolatus apud populationes seu, ut aiunt, classes a fide christiana disiunctas, ac speciatim Apostolatus apud operariorum classes, praesertim quoad modos diversos agendi apud illas classes

ex parte sacerdotum: an possint et ipsi aliquem laborem manualem assumere atque perficere, vel toto diei tempore, vel per determinatum plurium horarum tempus: quod, Nostro iudicio, sub utraque forma illis non optare posse videtur;

ex parte laicorum, periculo omnino vitato alicuius « compromissionis » cum sectis politicis vulgo dictis « de gauche », atque praesertim in Gallia, « la nouvelle gauche socialiste ».

Insuper necessarium erit, Nostro iudicio, eadem definire de Apostolatu apud classes, sicut dicitur, medias atque superiores.

Cum pleno obsequio reverentiaeque sensu, deosculando Sacram Purpuram, me profiteor

Illustrissimae ac Reverendissimae Eminentiae Vestrae
humillimus atque obedientissimus servus
✠ Aemilius Pirolley
Episcopus Nanceiensis et Tullensis

52

Exc.mi P. D. IOANNIS J. VILLEPELET
Episcopi Nannetensis (Nantes)

Nantes, die 24 augusti 1959

Responsio ad Litteram I C/59-898

Argumenta tractanda in futuro Concilio Oecumenico

1. Terminatio Concilii Vaticani quoad Constitutionem *De Ecclesia* praesertim:
De episcopis;
De relationibus inter Ecclesiam et societatem civilem;
De erroribus modernis, de « communismo ».

2. De episcopatu et de natura eius considerata cum presbyteratu. De natura consecrationis episcopalis.

3. De diaconatu tanquam functione permanenti in Ecclesia.

4. De determinatione diei Paschae ut sit immobilis festus.

5. De abbreviatione:
a) quarumdam coeremoniarum: consecratio ecclesiae et altaris; consecratio sanctorum oleorum;
b) et Breviarii pro sacerdotibus ministerii pastoralis.

✠ Ioannes Iosephus Villepelet
Episcopus Nannetensis

53

Exc.mi P. D. PATRICII FLYNN
Episcopi Nivernensis (Nevers)

Nevers, 15-XI-59

Eminentissime Seigneur,

Avec mes excuses pour le retard apporté à cet envoi je prie Votre Eminence de daigner agréer mes religieux hommages.

✠ Patrice Flynn
Evêque de Nevers

Optandum videtur

I. Ut reassumentur quaestiones, maximi momenti, quae in Concilio Vaticano absolutae non fuerunt, praesertim:

1. De natura Ecclesiae tanquam mysticum corpus Christi consideratae.
2. De unitate visibili Ecclesiae.
3. De necessitate Ecclesiae ad salutem. De vero sensu axiomatis « Extra Ecclesiam nulla salus ».
4. De Iure publico Ecclesiae et de eiusdem relationibus cum potestate Status civilis.

II. Ut pro causis matrimonialibus, ratione inopiae peritorum in iure canonico, loco Tribunalis dioecesani, instituantur Tribunalia regionalia primae et secundae instantiae, quae ob peritiores officiales ceterosque administros, oneribus sustinendis, aptiora evadent.

III. Ut provideatur ad evangelisationem exulum, vel e patria migrantium, quorum numerus, in quibusdam regionibus, singulis annis, admodum augetur.

IV. Ut in vita Ecclesiae fiat integratio « Operum caritatis catholicae » ad expellendas paupertatem et miseriam populorum ex patria exsulum, iuxta votum operis « Secours catholique » vulgo dictum.

V. Ut detur definitio vocationis ecclesiasticae et religiosae, de cuius natura inter auctores nimium disputatur.

VI. Ut detur status iuridicus Actionis catholicae, determinando quaenam conditiones requiruntur ut talia vel talia opera ad eam pertinere possint.

VII. Ut libri liturgici, nempe: Pontificale, Rituale, Breviarium novis dispositionibus liturgicis sint accomodati.

VII. Ut B. V. Maria mediatrix et gratiarum dispensatrix a Concilio declaretur.

Datum Nivernis, die decima quinta mensis novembris 1959.

✠ Patricius Flynn
Episcopus Nivernensis

54

Exc.mi P. D. PAULI RÉMOND
Archiep. Episcopi Nicensis (Nice)

Nice le 13 juillet 1959

Eminence,

Je reçois votre lettre du Comité préparatoire au Concile Œcuménique et je vous en remercie.

Voulez-vous cependant me permettre une petite remarque, aussi respectueuse que discrète, mais que mon grand âge m'autorise peut être à faire.

La date à laquelle vous réclamez les réponses des Evêques et des Commissions qu'ils pourront réunir et consulter est très incommode. Elle tombe au milieu des vacances, qui vont du 15 juillet au 14 septembre et il sera très difficile de réunir les prêtres séculiers et réguliers que nous désirons consulter. Surtout dans des régions comme les nôtres où le climat torride du midi oblige beaucoup de personnes à s'éloigner de la Côte d'Azur.

En somme, les vacances officielles commencent aujourd'hui pour se terminer dans deux mois, le 15 septembre. D'ici là tout le monde déserte la côte et fuit vers le nord.

Si l'on avait pu reculer la date du 1° octobre les inconvénients signalés auraient disparus et le travail eut été plus sérieux et plus fécond.

Je m'excuse, Eminence, de vous donner ces détails, mais le désir que j'ai de contribuer activement au travail préparatoire du Concile, me pousse à vous exposer très simplement les graves difficultés en présence desquelles nous allons nous trouver. Ou alors il faudra que l'Evêque se contente de son propre jugement et de ses lumières personnelles.

Pardonnez, je vous prie, Eminence, l'audace que je prends en vous exposant les obstacles auxquels nous allons nous heurter et veuillez, je vous prie, agréer l'hommage de mes sentiments très respectueusement dévoués.

✠ PAUL RÉMOND
Archevêque Evêque de Nice

Prot. N. I C/59-914.

Ut primum litteras a Pontificia Commissione antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico die 9 iulii missas accepi quibus Episcopi in illo Concilio sec. can. 223 ex iure vocandi rogabantur ut quamprimum communicarent res et argumenta praecipua doctrinam, disciplinam, actuositatem multiplicis generis et ceteras causas respicientia Ecclesiae, Cleri et populi christiani quae in futuro Concilio tractari poterunt, rescripsi atque indicavi tempus brevius esse et, propter aestivas ferias, plerosque viros ecclesiasticos peritos prudentesque abesse, ita ut difficilius esset praecipuorum argumentorum summam quae a me postulabatur ante diem primam septembris exponere.

Ideo mihi liceat si placet, ad diem dictum summatim proponere supradictae pontificiae Commissioni indicem, ut ita dicam, quaestionum quae institui possint, quin sententiam certam expromam ad quaestiones has solvendas.

DE MAIORE USU LINGUAE VULGARIS

Cum lingua vulgaris in bilinguibus ritualibus et partes quaedam liturgicorum officiorum utatur, cur usus ille extendi non possit? Certum est quasi universum populum christianum et fortasse quosdam ex ministris latinum sermonem non satis intelligere et ita minoris profectus partem in precibus et Ecclesiae officiis capere; quod incommodum neque apud orientales sive uniatos, sive orthodoxos, neque apud fratres protestantes invenitur. Ideo partes quaedam Breviarii, Missae, praesertim Epistola et Evangelium, officia quaedam liturgica in una vel altera lingua ita dici possint ut lingua latina locum maximum non perdat qui iamdiu secundum traditionem in Ecclesia Catholica servatus sit.

Profectus liturgicus huic intentioni obsecundabit et ex ea facile utilitatem capiet. Constat populum christianum magis in dies caeremoniis studere quia eas mente comprehendit et ministri verba interpretando explanant; quod usus Ordinis Novi Hebdomadae Sanctae evidenter con-

firmat, impellens ut fideles magis participes cultus liturgici fiant qui non spectent tantum sed in actione liturgica cum vero sensu et intelligentia intersint.

De mutationibus in Breviario et Pontificali faciendis

Saepe his annis de emendatione Breviarii actum est, eo magis optanda quod, ob mutationes in Psalterio factas, difficile evadit ministro in Ordinibus Sacris constituto Breviarium communiter recitare, Psalterio differente.

Immo non solum de textu Psalmorum agitur, sed de diversis horis et singulis earum partibus ut simpliciores et fortasse breviores reddantur.

De editione nova Pontificalis etiam dictum est. In hoc libro, sicut in Breviario, quaedam caeremoniae et textus mutari possint, quod laborem in hac materia peritissimi exigit, sed in Concilio tactum et decretum esse in aliquo respectu possit.

De habitu clericorum

De hac re sermo persaepe est nunc et in diversis nationibus disputationes oriuntur eo quod usus et mores ubique non similes sunt: veste talari hic fideliter servata, illic vestibus laicis communiter indutis quas tamen notae particulares in vestes ecclesiasticas mutant, scilicet quae vulgo dicuntur « clergyman », « soutanelle », « col romain » vel habitus nigri coloris aut specialis formae etc. ...

In praesenti, ex his diversitatibus turbatio venit qua plures abusive utuntur ad obligationes suas eludendas et more laicorum magis vivendum adeo ut aliquando, omnibus notis ecclesiasticis detractis, vestem ab omni parte laicam quidam induant quia hodierni mores in itineribus, ludis, maritimis, balneis, theatris et locis similibus, diversis certaminibus, operibus apostolicis v. g. « colonie de vacances » persaepe in occasionem inducunt et, ut melius dicam, in tentationem deponendi vestem talarem et omnem habitum quo clericus signetur.

Necesse praesertim est, sicut iam in casibus particularibus factum est, legibus certis regere mores et habitus sacerdotum qui puellas comitantur in ludis et quae vulgo dicuntur « camps de vacances », nam saepe iam oportuit episcopos denuntiare ut supradicti sacerdotes recta ratione vestirentur et non more eorum qui « boy scouts » appellantur, quod in partem itinerum et exercitationum cum iuvenibus venirent.

Ex eo fit ut maxima incommoda oriantur quae iam ab Ordinariis indicata sunt. Utile igitur erit generales regulas iterum enuntiare quae ubique

et semper observandae erunt ut principia moralia christianae vitae, cum secundariae diversitates in diversis populis esse possint.

Hoc caput communis disciplinae cito statuendum est ne mores novi invalescant qui cursu temporis in legem vertantur.

De divortiis et dissolutione vinculi coniugalis

Familia, quae pars essentialis tam societatis civilis quam Ecclesiae sit, nunc in magno discrimine adducta et matrimonia temeritate a iuvenibus ineantur insufficienter in hac re principiis religionis instructis posteaque tam faciliter ut contracta solvantur dum proles domum non habet ubi amor coniugalis, simul paternus et maternus exstet. Deinde coniuges divortio disiuncti plerique volunt alteram familiam constituere ut prolem a lege civili sibi datam educare possint et ita socium vel sociam ad partes coniugis absentis suscipiendas quaerunt. Hi autem miseri, qui lege civili tantum iuncti sunt, saepe christiani vere esse profitentur et maxime optant ut secundum legem Ecclesiae vivere possint. Etsi eis monstratur in quanto discrimine sint quia a sacramentis arceantur et post mortem ecclesiastica sepultura privari debeant, maxime desiderant ut liberos, ex prima vel altera unione natos, in christiana fide educant et iis exemplo vitae christianae sint; sed non audentes de sua difficultate dicere filiis qui mirantur, silent et, ut ita dicam, clandestini vivunt. Sacerdotes quidem quos consulunt cum iis dolent ita tamen ut solum illos hortantur Deo confidere et magna cum sollicitudine quaerant quomodo liberari possint.

Tum causae dissolutionis vinculi investigantur, si quae sint, in priore unione, et coram tribunalibus actiones intenduntur rationibus quae legitimae videantur. Tum incipiunt diutini processus, magnis saepe impendiis, in quibus actores, quia saepe decipiuntur, venalitatem iudicum immerito accusant. Si quae decisio benigna invenitur, ea pecuniae vel favori attribuitur. Praeterea non dubium est quin tribunalia quaedam nimia severitate exigentiaque sint dum implicatos labores et multiplices concursationes postulant atque videantur dissolutionem aut nullitatem nolle a priori proclamare. Ex eo fit ut uniones mere civiles contrahantur quibus in longum pseudo-coniuges connexi sunt, dum prius matrimonium semper eos obligat.

Nonne fieri potest ut statuantur leges vel consuetudines largiores et benigniores quae minus se ad servitutem Iuris Canonici adstringant et maiora celeritate cum minore sumptu exitum consequi sinant?

De mixtis nuptiis

Regulae quae in praesenti vigent et in multis dioecesibus servantur constituunt ut matrimonia inter partem catholicam et partem acatholicam, plerumque protestantem, extra ecclesiam celebrentur sine ullo ritu sacro quo nempe anuli benedicantur et sine ulla exhortatione, solo consensu emisso.

Atqui ex hoc procedendi modo saepe oriuntur graves difficultates praesertim quando acatholicus minister omnes caeremonias sui cultus promittit. Inde molestae controversiae non raro nascuntur et aliquando pars catholica in haeresiam vertitur.

Cum pars acatholica saepe ex his malo animo invenitur et odium quoddam suscipit non in alteram partem sed in ecclesiam catholicam, parochus, ad praecavenda ista mala, consensum in ecclesia accipere patitur, anulos benedicere, adhortationem pronuntiare, etiam Missam celebrare in qua tamen benedictio nuptialis non datur.

Sed illa agendi ratione nonnulli scandalum recipiunt et tam optata cum ecclesiis christianis reconciliatio non fovetur, dum multi quaerunt cur quoad ab illis vetetur, ab his permittatur et in stricta observatione iuris indicium inimicitiae vident.

Cum unitas fortiter et opportune desideretur, nonne oportet quaestionem hanc iterum instituere non ut cautiones de liberis et fide tollantur, sed ut leges in ritibus et caeremoniis, in quantum necesse erit, immutentur.

De multiplicatione, quae non explicari posse videtur minorum religionum feminarum

Permultae minores Congregationes religiosarum iuris dioecesani ab hoc saeculo conditae sunt et ex sororum parvo numero constant qui inter duodecim et quinquaginta includitur et raro maior est; v. g. in mea dioecesi novem domus religiosarum Dominicarum erectae sunt, sed quaeque domus diversae religionis est. Ex his Congregationibus sunt quae ierint, ut numero crescant, in externos populos ubi magis quam in patria proficiunt. Attamen, cum minore numero sororum, non habent quae Moderatrices Supremae vel Magistrae Novitiarum feliciter esse possint. Etsi quaedam ex his Congregationibus in unum redactae sunt et maiore sororum numero facilius eligere potuerunt idoneas ad haec munera gerenda, aliae misere vivunt, languescunt magno detrimento vocationum quae in

eas venerunt et non inveniunt quae in viam perfectionis cum veritate, gaudio et pace ipsas ducant.

In hoc respectu quaedam ex Congregationibus Monialium feliciter in melius mutatae sunt: sic Supremae Moderatrices aut Antistitae aliquarum domorum Congregationum Carmelitarum, Cisterciensium, Sanctae Clarae atque Visitationis convenerunt ut colloquendo inter se doceant, rationes et vias peculiares tradant atque aliae aliis praestant ad tempus aut in perpetuum moniales quibus his Congregationibus multum opus sit ad munera exercenda.

De missione apostolica Ecclesiae

v. d. « Eglise Missionnaire »

His diebus magis magisque vias et rationes Missionum in Ecclesia diffunduntur: nam Actio Catholica sive generalis, sive specialis, mandatum recepisse recte putat ut in diversis coetibus, ex quibus sodales suppletur, missione apostolica fungatur, cum Ecclesia tota in paganas nationes magis penetret in quas plures in dies societates sacerdotum, religiosorum religiosarumque, et laicorum mittit.

Merito etiam quod populus, et praesertim operarii, sicut pagani vivant sollicitatur Ecclesia quae perquirit quomodo in his multitudinibus esse possit sive per laicos Actionis Catholicae sive per sacerdotes qui totaliter missioni apostolicae in operariis se dedicant. Ideo audacter, et aliquando temere, ita tentatum est ut et felices eventus consecuti essent et sacerdotibus munus cum debita prudentia et fidelitate non exercentibus aliqua turbatio venisset quia in his res externae interioribus praevaluerunt qui preces sanctificationemque suam neglexissent.

Tamen de hoc apostolatu necesse videtur quaestionem iterum instituere et inquirere quibus cautionibus curisque praefata mala vitari possint a sacerdotibus semper in insidiis versantibus et inter homines mentibus et moribus tam diversis ab illis qui paroeciarum et dioecesum nostrorum sunt.

Insuper dignum notatione est quod sodales Actionis Catholicae quae vulgo dicitur A.C.O. (Action Catholique Ouvrière), J.O.C. et J.O.C.F. (Jeunesse Ouvrière Catholique masculine et féminine) numero crescunt et eventu saepe felices sunt. Quamvis magna virtute sint, prudentia et consiliis peritorum necesse est utantur quia in praelio cum operariis sunt et illis periculum est ne Actionem Catholicam cum actione mere sociali commisceant. Etenim, quanquam sociorum dolores et aegritudines animo plene percipiunt et cum iis meliora recte optant, mandatum ab Ec-

clesia illis commissum non in eo consistit ut sicut ceteri operarii pugnent, quod quidam ex his christianis fecerunt et fortasse etiam nunc faciunt, sed ut Ecclesiam cum sua doctrina et virtutibus apud socios praesentent quorum plerique eam ignorent.

De Ecclesia et rebus civilibus

In multis nationibus, respublica ecclesiam, quaecumque est, vult servituti subiicere et ea ad regendum uti. Saepe quoque eiusdem est suprema potestas in populo et in ecclesia. Ideo, si populi princeps tollitur, tollitur simul ecclesiae auctoritas et pondus apud fideles; saepe etiam populus, qui potestatem spiritualem et civilem confundere solet, in Ecclesiam saevit eodem studio quo regem regno expellit, exsilio mulctat, morte afficit. Itaque merito extra et supra factiones partesque semper sit. Partes, iudicio Ecclesiae nihil sunt, neque populares aut nobiles, neque occidentales aut orientales, quia illa solos fideles et infideles videt et hos invitat ut in ovile Boni Pastoris intrent. In Christo omnibus proclamare vult unum esse ovile et unum Pastorem.

Conatur in terra efficere cum partibus et populis adversis pacem Christi in regno Christi. Illi non sunt hostes, sed tantum fratres separati vel errantes qui semper fratres manent. Mittit, sicut Christus Apostolos, usque ad ultimas partes terrae, qui omnibus praedicant idem Evangelium, eumdem Salvatorem et exemplum dant fraternitatis inter filios eiusdem Patris qui in caelis est.

Quomodo ecclesiae ministri possint alicuius factionis esse, alicuius factionis doctrinas et mores diffundere, eo dissociantes fideles quos ex munere congregare debent? Sacerdotum est solum pugnare contra errores, mendacia, vim et odium, omnesque infestas doctrinas quae materialismus, naturalismus, rationalismus vocantur et reliqua inventa recentioris furoris quae a falsis prophetis disseminantur. Adversus haec pericula, omnes baptizati qui habent magistrum Christum et doctrinae evangelicae amoris et misericordiae credunt, in unum iungi debeant ut totis viribus fratrum salutem procurent.

In omni summa, res civiles essentialiter laicos spectent, ut et necesse sit cives in officiis civilibus a principiis christianis lumen recipere et nunquam ecclesiam factionibus et partibus illigare quarum lites componere totaliter alienum a missione propria est. Maximo periculo ecclesiae est quod quidam in rebus civilibus eam immisceri volunt.

De caelibatu ecclesiastico

Omnes ecclesiae, in hac re, eamdem disciplinam non servant: alia est in Orthodoxis et in Ecclesia Romana, alia in Ecclesia Orientali et in Occidentali, diversa in diversis Protestantibus, alia in ministris inferioris ordinis et in ministris maioris ordinis vel dignitatibus potestatibusque indutis. Omnes certe caelibatum viam optimam habent, sed multi sunt qui illum supra vires humanas esse affirmant. Ex moribus hodiernis et apostolatu novi generis et novis rationibus evangelizandi conservatio severi caelibatus difficilior evadit. Videtur sacerdotes in maiore periculo esse quam in aliis temporibus, attamen dicere oportet Deum gratiam suam ad discrimina tentationesque ministrorum suorum accommodare qui, ultro, scienter, cum prudentia et fide, obligationibus maiorum ordinum se obstrinxerunt: in Scriptura Sacra Christus respondit « sufficit tibi gratia mea » ad Apostolum humiliter quaerentem de stimulo carnis, angelo satanae qui eum colaphizet. Certum est occasiones fugiendo, precando, sacramenta recipiendo, sanctificationem colendo omnes securius posse in caelibatu vivere. Quamvis difficilis sit castitas fideliter servata iis qui solis viribus humanis confidunt, et certa evadit iis qui viribus supernaturalibus innituntur quas Christus ministris suis parat.

Attamen, recenter, in quibusdam circulis et libris, dictum est de ministris qui solos ordines minores reciperent vel de diaconis qui, in ecclesia, officiis temporalibus et institutioni christianae deputarentur; num illi iisdem obligationibus teneantur quibus sacerdotes, praesertim caelibatu ecclesiastico? Disceptationes de hac re aliquando institutae sunt, sed magis videtur imaginationis fructus quam clarum et certum propositum.

Quaestio quidem de dispensatione caelibatus fortasse proponi possit, quando agitur de sacerdotibus qui rogarint et forte impetrarint reductionem ad statum laicalem atque de monialibus quae dispensationem a votis perpetuis obtinuerint.

De pecunia in Ecclesia

Hac de re difficilis fandi ratio est, sed frequentissime a laicis sermones inferuntur. Etenim hi, qui fideles esse arbitrantur, Deo credunt itemque doctrinam Christi mirantur, sed ab Ecclesia arcentur quod sacerdotes pecuniae cupidi sint, Evangelio et religione Christi ad eam acquirendam utentes.

Omnes caeremoniae ecllesiasticae pecunia solvuntur, non certe sacra-

menta, sed praesertim funerum et matrimoniorum irae et querelae eorum qui, ex quibusdam abusibus dolendis, occasionem sumunt ut in clerum et Ecclesiam ementiantur magno damno religionis quae cum aliquibus ex ministris suis confundatur.

Etsi pecunia quae dicitur casualis, velut ea quae ex sellis et scamnis percipitur, necessaria est ad victum cleri et omnium qui Ecclesiae operam, quoquo modo, praebent, attamen hae creberrimae solutiones multorum reprehensionum errorumque causae fiunt.

Praeterea notare oportet artificia et negotiationes quibus religiosi religiosaeque obstricti sunt ad domos et vitam sustentendam, cum iis quae vulgo dicuntur « confiseries » et « liqueurs » mercaturam facientes sub nominibus ex diversis religionibus suis desumptis.

Multa dici etiam possunt de nundinibus et tabernis quae in peregrinationum locis multiplicantur et ibi pietati multum offendunt.

Ideo necesse est, in his temporibus ubi divitiae et, ut ita dicam, aureum vitulum, in animis plurimum possunt, spiritum et usum paupertatis in honorem iterum atque iterum adducere. Magni mendicantes Ordines, perseverantes in rationibus a conditoribus datis, missione speciali nostris temporibus gaudent, ut paupertatem re et verbis colant. Sed omnis clerus eamdem paupertatem in spiritu et veritate amare debet atque a vita moribusque removere omnem luxum, nimiam commoditatem, inutiles expensas, sumptuosa delectamenta, in memoriam habens Christum, in sua vita mortali, non habuisse ubi caput reclinaret.

In hac materia maxime vitemus imprudentibus scandalum dare, cum populus christianus, etiamsi non vitam plene christianam agit, erga sacerdotes severissimus sit quia certe eos magni pretii fecit.

De oboedientia sacerdotali

Oboedientia, qua Ecclesiae deliguntur sacerdotes auctoritate Superiorum, nunc remittere videtur, praesertim in iunioribus. Etenim licentia et libertas, quae, utile dictu, ex animo populari oriuntur, sicut ventus in iuniores sacerdotes et seminariorum alumnos saeviunt. Magistri, ratio disciplinae, Rectores facile vituperantur. Sacerdotes qui, die ordinationis, oboedientiam et reverentiam Episcopo promiserunt, cito promissionis suae obliviscuntur et non raro vicarii parochis obsistunt, ut parochi episcopis. Quaestiones movent cum iubentur, munera recusant quae eis mandantur, alia officia flagitant atque etiam expostulant.

Religiosi, sicut clerici saeculares, hoc incommodo afficiuntur: Superiores maiores et alii Superiores, cum magna difficultate quibusdam ex subditis imperant. Discordiae in domibus tam religiosorum quam

religiosarum insunt ubi sodales sine ulla facultate agere solent. In dioecesibus ubi ministerium implent, religiosi saepe Episcopo, sicut Superioribus propriis, minime oboediunt. Tandem capellani pro regione aut natione imperatorias partes sibi sumunt, rationes diversas enuntiant, auctoritate dioecesana ne monita quidem, ex quo veniunt controversiae, aliquando vere damnosae fidelibus.

Non raro Superiores, quicumque sunt, non posse subditis adversae voluntatis imperare confitentur.

Certum est hodie iuniores omnis iugi impatientes esse et moribus tam diversis a senioribus ut magistros parentesque sine ullo respectu et verecundia habeant quod maximas perturbationes gignit.

Scholae religiosae eodem malo subduntur: professores et rectores de isto quaeruntur ac fatentur vim et severitatem non magis posse quam suasionis et mansuetudinis usum.

Attamen ab omnibus his coetibus et personis, de quibus usque adhuc dictum est, exemplum oboedientiae et disciplinae observantiae maxime dare deberet.

Quid enim in hoc statu rerum faciendum? Cum societate quae enixe proclamat hominum iura, iuribus Dei omissis, quae libertate falsa quasi vino inebriata est, quae contentiones et sacrificia recusat, quae nullis legibus sive civilibus sive religiosis obstricta est quia caecus amor sui et ignavia sola plurimum potest, quasi sacrum bellum gerere necesse est ad mentes omnium recte formandas.

In hoc invitandi non solum ministri et discipuli Christi, sed omnes qui ordini publico praesunt et iuvenum institutioni ac educationi praepositi sunt. Magistri in scholis publicis et privatis, qui facile alii cum aliis pugnant, una agere deberent in unum hoc propositum quod salutem omnium spectat. Magistri autem qui in scholis publicis omnis gradus docent, quanquam ab aliquibus veteranis in civilibus rebus contra Ecclesiam militare iubentur, sine dubio vident hodierna pericula et ex illis multi, qui vere Christiani sunt fidentesque Ecclesiae doctrinae, laborare communiter ac pactiones cum republica simul servare parati sunt.

Dignum notatione est perniciem hanc nostrae iuventutis quae educationem impedit, non esse unius nationis, sed omnium gentium in quibus iuniores fere omnes omni modo emancipationem quaerunt.

De institutione religiosa

Certum est institutionis religiosae defectum maxime adiuvare ad difficultates iuventutis quae nihil de Deo audit, neque de legibus moralibus, neque de officiis erga proximum, neque de virtutibus colendis.

Magistri in scholis docere conantur quae ad mores civiles pertinent, sed haec officia, nisi a Deo, sola vi imponuntur. Timor autem Domini iam non est initium sapientiae.

In hoc proposito sacerdotes et laici christiani summa ope niti debent ut Christiana disciplina magis ac melius tradatur quia Christianus idem est qui apostolus. Fidei thesaurum Ecclesiae commissum nemo sibi soli servet. Oportet exemplum vitae christianae non solum iuventuti sed omnibus dare cum Christi doctrina atque curare ut doceantur pueri ratione recta quae diligentia et peritia requirit magistrorum psychologia et pedagogia doctorum. Sane doctrina servanda est, neque mutanda, neque minuenda aut minore modo exhaurienda, sed praebenda est verbis ad pueros et iuvenes tam accommodatis ut dum horum intelligentia proficit, magis ac magis in corda penetret eorum qui ante et etiam post primam communionem praelectiones religiosas obeunt.

In viam hanc studiose feliciterque a quibusdam ire tentatum est. Attamen necesse fuit minora emendare ut deflexiones periculosas vitarentur, quod fideliter et religiose ab omnibus acceptum est. Fovenda nunc sunt omnia quae institutionem christianam meliorem faciunt. Sacerdotes qui, in Seminario, didicerunt scientiam theologicam et propriis verbis uti soliti sunt, in ministerio verbi debent suam doctrinam auribus omnium, sive puerorum aut iuniorum, sive seniorum accomodare ut parvulos catechizent et ceteris predicent. Praeterea docere parentibus debent quomodo doctrinam dare possint liberis quos Deus ipsis committat, quaerentes speciatim inter matres quae hanc doctrinam ex professo tradant (v. d. « catéchistes »). Nam est omnium partium familiae institutioni christianae providere.

De reverentia erga Ecclesiam

Magis ac magis in animis fidelium reverentiam et amorem Ecclesiae defigere oportet, ad hoc propositum necesse est de ea Christiani doceantur quomodo immensa familia sit quam merito mirentur.

Haec Ecclesia, per viginti saecula, cum priorum temporum persecutiones in eam saevissent et civiles difficultates eam offendissent et dissensiones tunicam inconsutilem Christi discidissent, in fidelitate mansit sub auctoritate Summi Pontificis Episcoporumque. Vincula adstringere oportet quibus vinciuntur omnes dioeceses et religiones sedi Petri ac successorum eius cum in Summo Pontifice summa unitatis sit et ille custodiat depositum fidei, adiutorio Concilii Oecumenici, si opus sit, adhibito, dogmata proclamet, unitatem doctrinae, disciplinae, sacramentorum servet ita ut sine illo vel contra illum errores, divisiones, haereses

schismata sint, cum illo veritas Christi doctrinae. Ideo nunquam citius Christiani quam magnum sit « sentire cum Ecclesia » discent. Tum recte in Corpore mystico vivunt cuius caput Christus, dux invisibilis Ecclesiae quam semper gubernat per ducem visibilem, Summum Pontificem cui Sanctus Spiritus adest. Episcopi autem, una cum Christo et Pontifice, nituntur ut proprio gregi salutem parent. Ceterum, officium nostrum non est tantum tueri parvum gregem qui nobis commissus est, sed totam Ecclesiam universalem quae ad omnia tempora, ad omnes nationes extenditur et ad terras nondum evangelizatas ubi tamen populi vocati sunt in ovile Boni Pastoris.

Qui regunt et gerunt Ecclesiam non pro una natione nec uno genere agunt, sed ut ministri Christi, Pastoris omnium populorum, qui omnes salvari vult et discipulis dixit: « Euntes in mundum universum, predicate Evangelium omni creaturae ». Hoc universali mandato apostoli omnium gentium et populorum funguntur, ideo Ecclesia, in quaque natione, ex indigenis clerum, Episcopos, religiosos religiosasque creat. Ecclesia est Catholica: magis ac magis in Curiam Romanam, quae res Ecclesiae universales gerit, vocantur viri ex omnibus populis ut diversis Commissionibus adsint. Inter Cardinales Sanctae Ecclesiae, in Sacris Congregationibus Romanis, Summus Pontifex constituit homines omnium gentium, colorum, nationum ut una secum laborent. Mittit in omnes populos multos nuntios ut cum omnibus in amicitia vivat et Pater Christianorum omnium gentium ubique repraesentetur.

Iterum oportet dicere miramur nostram Ecclesiam Catholicam, Apostolicam et Romanam cuius gloriae et sanctitatis perennis haeredes sumus.

Sub limine huius responsionis ad litteram Commissionis antepraeparatoriae Concilii Oecumenici, Archiepiscopus, Episcopus Nicensis, provolutus ad pedes Sancti Patris, Caput totius Ecclesiae Sanctae, Catholicae et Apostolicae et Romanae, iterum et iterum dicit suam venerationem et oboedientiam erga Ioannem XXIII, gloriose regnantem, et nunc, in nostro tempore, convocantem omnes Christianos huius mundi, ut ingrediantur in « unum ovile » cuius est « pastor verus » successor Sancti Petri Apostoli, super quem, sicut supra Petram, Iesus Christus aedificavit Ecclesiam suam.

Anno 1959, Mensis Augusti die 30.

✠ PAULUS RÉMOND
Episcopus Archiepiscopus Nicensis
Assistens ad Tronum Pontificalem

55

EXC.MI P. D. IOANNIS GIRBEAU

Episcopi Nemausensis (Nîmes)

Evêché de Nîmes, 4 nov. 1959

Eminence,

Voici ma réponse au questionnaire sur le Concile Œcuménique.

Votre Eminence excusera le retard apporté à cet envoi. Il m'était difficile de faire plus vite.

Daignez, Eminence, agreér l'hommage de ma religieuse vénération.

✠ JEAN GIRBEAU
Evêque de Nîmes

Animadversiones aliquae quas in responsionem ad litteras de futuro Concilio Generali a Rev.mo et Em.mo Cardinale a secretis directas Rev.mus et Exc.mus Episcopus Nemausensis elucubravit reverenterque exponere non veritus est.

Ad doctrinam quod attinet, videtur quaedam capita Patribus Concilii Vaticani iam proposita, sed defectu temporis non definita, non sine magna utilitate de novo ita esse resumenda, ut veritates fidei in his schematibus contentae modo aetatis nostrae mentibus magis accomodato definiantur.

Et in primis ea omnia quae in tertia parte schematis Vaticani *de Catholica fide* discussa non venerunt, scilicet de *SS. Trinitate,* de hominis creatione, lapsu et salute, de Verbo Patris Incarnato et Redemptore, definiri obtabile esset et vi consequentiae dogma de B. Maria Mediatrice et Co-Redemptrice.

Optanda etiam videretur quaedam Apostolica Constitutio *de Ecclesia Christi,* praecise in quantum est Corpus Christi Mysticum et omnium mediorum, quae ad salutem sunt necessaria, unica et sola dispensatrix.

Non minimi momenti videretur definiendum Romani Pontificis *Magisterium* ordinarium et universale, in rebus fidei et morum auctoritate non minori pollere quam solemnes ex cathedra definitiones.

Ad ea quae spectant *Corpus Episcopale,* in sua relatione cum Sede Apostolica, confirmatis quae de Conciliis provincialibus iam sunt statuta, nonne aliquid videatur addendum de recentioribus colloquiis ad quae

omnes episcopi unius eiusdemque nationis conveniunt, et de eorum conditionibus, necnon de eorumdem doctrinali, pastorali et disciplinari auctoritate.

Et forte etiam de titulo muneribusque *Primatum* aliquid utiliter decernendum videretur, de eorum scilicet iuribus, muneribus et auctoritate, ad instar Ecclesiae Orientalis Patriarcharum, unitatis causa ferendae.

De presbyteris Episcopo ad modum organi arctissimis nexibus compacti, a multis optaretur manifestius istius coniunctionis argumentum, frequentior scilicet saltem in diebus solemnioribus, veri nominis cum Episcopo concelebratio.

Recentissime de *Diaconis* suggestum venit, ut ille ordo sacer non solum consideretur uti gradus necessarius ad sacerdotium, sed sicut in primis saeculis, pro seipso conferatur et diaconis ita ordinatis ista munia re exercenda concederentur, quae tunc temporis illis credebantur, temporalium scilicet administratio bonorum, sancti Baptismatis collatio solemnis, Eucharistiae distributio et Verbi divini proclamatio et etiam explicatio de pulpito. Ita presbyteri maiori fruerentur libertate ad munia proprie sacerdotalia exercenda. Coelibes an uxorati? De hoc non consentitur. Nobis videtur in proposita quaestione non inconsulte procedendum esse, diligentissime praecavendum ne gravissima incommoda, iam antiquis temporibus usu infeliciter experta, nunc iterum renoventur, non sine magno detrimento ecclesiastici decoris et pacis, maxime vero si uxorati admitterentur.

De statu laicorum et de eorum communicatione in *Actione Catholica,* exercitio hierarchici Apostolatus, opportunum valde videretur, si in ipso Codice, de hac communicatione, de natura scilicet, obligationibus iuribus et conditionibus mandati militantibus eiusdem Actionis Catholicae concessi, aliquid accuratissime praefiniretur, et conditio propria laicorum qui apostolica muneri episcoporum commissione dant operam ita ipso iure statueretur, ne ipsi partes vel iura cleri sibi unquam assumant et arrogent.

De institutis saecularibus recentissime conditis optabile videtur, ut eorum normae, munera et iura in ipso Codice recenseantur et definiantur, ne forte confusis quaedam cum religionibus proprie dictis exsurgat summo earum detrimento.

Cum autem temporibus nostris, status civilis fidem catholicam rarissime publice profitetur et tuetur, saepissime vero non omnes unius regni cives, immo in multis locis nonnisi minor incolarum coetus eam profitetur, adversantibus etiam aliquando civitatis moderatoribus et legibus, magni momenti videretur si aliquid definiretur de mutuis relationibus Ecclesiae

civilisque reipublicae, de modoque quo catholici in contrariis rerum adiunctis se gerere debent.

Et siquidem, aetate nostra, in periculo non modico videtur versari unitas catholicorum, ratione tam doctrinae quam disciplinae et etiam Sacrae Liturgiae, non esset forsan inutile si, in quibusdam saltem maioris momenti questionibus, recentissima Magisterii documenta, in pluribus Summorum Pontificum encyclicis Litteris dispersa, a futuro Concilio ita auctoritate iterarentur, ut, ne dicam opinionum diversitates, sed veri nominis dissidentiae tam in ordine considerationis quam actionis, non iam amplius deplorentur.

Et ideo per modum alicuius Directorii de statu operariorum eorumque promotione, de familia, de mutuis inter populos relationibus pacisque verae conditionibus, de sociali et politica gentium aetate non adhuc adultarum evolutione, de progressu scientiarum, aliisque eiusmodi multis, Ecclesiae doctrina utilitate summa elucubretur.

Et *ad fidem tuendam* forte esset optandum, conceptum haereseos ad multos hodiernos errores extendi, qui, licet philosophiae ambitum non excedant, fidem tamen catholicam in periculum certum adducunt, verbi gratia rationalismum, materialismum, Marxique doctrinam. Siquidem aliqua dogmata non solum eiusdem fidei negant, sed etiam omnem capacitatem homini auferunt Deum cognoscendi ordinemque supernaturalem expetendi et humanae personae, quae sibi sunt de essentia omnino detrectant, quod scilicet sit libera, ratione praedita et spiritualis.

Ad quod periculum vitandum, efficacissimum videretur remedium, si philosophiae perennis essentialia principia solemniter proclamarentur et thomistica philosophia, prae quacumque alia, iterum atque iterum commendaretur.

Ad disciplinam vero quod attinet, inter plurima haec notari possunt:

Utilissimum videretur maiorem episcopis potestatem attribui, in translatione vel etiam amotione parochorum in casibus can. 2147 enumeratis, et etiam extra hos casus, quoties bonum generale hoc postulat, quin semper sit recurrendum ad processum proprie dictum secundum normas in can. 2148 et seq., 2157 et seq., ac 2162 et seq. In plurimis enim casibus processus odiosus videtur et saepius ex modo hoc procedendi, maior occasio oritur scandali, cum multo cleri fideliumque detrimento.

Forte etiam cuiusdam saepe utilitatis esset si in *matrimonii impedimentis dispensandis* facultas ordinaria Episcopis concederetur sub clausulis quidem in fine can. 1043, etiam extra casus can. 1043, 1045 enumeratos, quin in singulis casibus ad Sanctam Sedem recurrendum sit.

Optatur maior diligentia in solutione causarum matrimonialium. Ad hoc multum faveret, si Officialitatibus dioecesanis Officialitates regiona-

les substituerentur, omnibus necessariis idoneisque officialibus praeditae, quibus nullum aliud crederetur munus. Multum siquidem difficile est, in singulis dioecesibus sacerdotes invenire iuris canonici satis peritos, qui munere Officialis, Iudicis, Defensoris Vinculi, Notarii, rite fungi possint, nec non advocatos et procuratores, qui partium rationibus utiliter consulere valeant.

Ad Sacram Liturgiam quod attinet, opportunum valde videretur, si reformatio iam feliciter inchoata, quamprimum ita perficeretur ut libri liturgici typis mandari possint, rubricis secundum novissimas normas.

Ad unitatem in tuto ponendam, perutile videretur si novissimae facultates concessae, de usu praesertim linguae vernaculae et cantilenarum in eadem lingua, intra Missarum solemnia et Sacra Officia, necnon de participatione fidelium Sanctae Liturgiae, de munere commentatoris et ceteris eiusmodi, vim legis ita obtinerent ut, absque ulla controversia, ab omnibus et in loco omni solae licite observarentur, contrariis vero et etiam minus consentaneis, omnino reprobatis.

De forma altaris et Tabernaculi Eucharistici, de forma etiam et amplitudine et ornatu vestium sacerdotalium, aliquid utiliter decerneretur, ad vitandam admirationem et scandalum fidelium, nimiamque singularitatem.

✠ Ioannes Girbeau
Ep. Nemausensis

56

Exc.mi P. D. ROBERTI PICARD DE LA VACQUERIE
Episcopi Aurelianensis (Orléans)

Prot. I C/59-959 Orléans, le 26 Août 1959

Eminentissime Domine,

Litteras quas Eminentia Tua Rev.ma mihi mittere dignatur de futuro Concilio Oecumenico praeparando, accepi et attente cum viris ecclesiasticis peritis et prudentibus de eis disputavi.

Huic Pontificiae Commissioni diversa vota heic adnexa humiliter submitto.

Deinde, qua par est reverentia me profiteor,

Eminentiae Tuae Reverendissimae
Servus addictissimus

✠ Robertus Picard de la Vacquerie
Episcopus Aurelianensis

I. *De studiis theologicis, philosophicis, historicis etc. ... Proponitur*

1. Prorogantes Concilium Vaticanum, iterum affirmare Institutionem « ex divino iure » Episcoporum tanquam Apostolorum successorum; extensionem simul ac terminium eorum potestatis indicere; quomodo iidem cum Pontifice Romano ad regendam universalem Ecclesiam cooperantur egregie explanare; tum Pontificis Romani, tum Conciliorum Oecumenicorum infallibilitatis condiciones declarare.

2. Mandatum dare aliquibus theologiae, philosophiae, historiae, oeconomiae etc. ... peritis, de praesentibus marxismi modis in diversis nationibus v. gr. Russia, China, Iugoslavia, Polonia, necnon et in Gallia et Italia diligenter planeque perquirere. Tunc haud dubie multae variationes ad applicandas diversis populis marxismi theses, Ecclesiaque recentissima et amplissima inquisitione sic monita, errores presse et firmiter denuo damnare posset; at contra possent etiam inveniri in communismo quaedam opiniones v. gr. in oeconomia et in historia, non absolute a catholicis repellendae.

3. Similiter de liberalismo in statu oeconomico v. gr. « capitalisme » inquirere, quomodo materialismi opinionibus in praxi invadantur notare, et reprobationes a Pontificibus necnon Pii IX undevicesimo saeculo indictas renovare.

4. De sacerdotio magis explicetur quae sit natura characteris spiritualis apud sacerdotes et apud laicos producti *a*) baptismate et confirmatione, *b*) Sacra Ordinatione apud diaconum, presbyterum et Consecratione apud Episcopum.

II. *De quaestionibus ad Oecumenismum pertinentibus*

1. Patres, temporibus Concilii Tridentini et iam Vaticani omnia documenta easdemque criticas rationes atque hodie non habebant ut amplius iudicaretur de controversiis propter quas Schismatis et Protestantismi fautores e Romana Ecclesia recesserunt. Nonne Patres per recentes historiae percontationes sciscitati, doctrinales fratrum aberrantium errores iterum condemnare atque etiam quorumdam theologorum propositiones plures esse paulo duriores humiliter fateri possent?

2. Fratres nostri dissidentes, si bona fide, rationem reddere et culpam solvere pro maioribus hodie non debent. Nonne Ecclesia Romana praesentem multorum bonam fidem schismaticorum agnoscere atque caritate mota singularum sectarum et errores et veritates accurate discernere posset?

Nonne bonum et necesse videtur primum inclinare corda ad com-

munionem ut postea unionem sperare possimus? Nonne hoc est prudens S. S. Ioannis XXIII sententia cum concilium indicit?

Episcopus Aurelianensis, perpaucis Orthodoxis et Protestantibus in dioecesi degentibus, libenter declarat se ad quaestiones de oecumenismo elucidandas modice idoneum curamque committit commissionibus ad hoc designatis et peculiarem competentiam praebentibus.

III. *De liturgia*

1. *De Missa sacra.* Nihil videtur substantialiter mutandum in caeremoniis tam lectae quam cantatae Missae. Attamen si ad principia repetimus latinam linguam locum graecae cepisse videmus quia plebis sermo necessitate doctorum ac principum sermoni fuit substitutus. Nonne Concilium maiorum exemplo motum, faciliorem ad missam accessum christianis dare vellet? Nonne, cum in toto canone servaretur latina lingua ad tenendam per totum orbem Sacrificii unitatem et universalitatem, sacerdos vernacula uti posset lingua ad lectiones et orationes prioris Missae partis? Et ita in omnibus caeremoniis quibus adsunt fideles v. gr. Ordinationes, ecclesiarum Consecrationes, Hebdomadae Sanctae officia (ex parte tantum emendata).

2. *De Breviario.* His temporibus idem est Secularium et Regularium Officii Ordinarium et quidem gravius nam sacerdotes rapida lectione pietatem parum alunt. Qui, etsi psalmos recenter correctos magis aestimant, inveniunt in lectionibus II Nocturni relationes sine obiectiva historiae methodo expositas et interdum fabulis consentientes.

Quin etiam Homiliae III Nocturni et ipsae maiori prudentia sunt eligendae.

Itaque optandum ut recognoscatur et allevietur Breviarii ordo, siquidem Pontifex Romanus et Episcopi contendunt ut sacerdotes utilius legant et cantent.

Unde proponitur:

Ad Matutinum, unicus Nocturnus cum tribus latinis Psalmis et brevis lectio e Scriptura sacra excerpta, vernacula lingua (vera Lectio divina).

Tenere, ut nunc, Laudes, Tertiam, Vesperas, Completorium.

Tollere et Primam qua duplicantur Laudes et Sextam et Nonam quibus mane ministerium oneratur.

Et revera pauciores sunt sacerdotes eorumque labores et opera graviora quam antea, unde sequitur ut Breviarii praesens ordo sit multis molestus et parum aptus ad mentes alliciendas utque plures multiplicia praetexentes opera, facile omittant.

IV. *De quaestionibus pastoralibus*

In Ecclesia et locum et munera et mandata quae laicis et sacerdotibus seorsum conveniunt, clare definire.

Item quid sit « Actio Catholica » sive generalis, sive ad varias societatis partes adaptata (spécialisée) statuere, quidque eam a ceteris associationibus separet et quae sint rationes et methodus ad laboriosam multitudinem adeundam, cum plerique operarii abhorreant.

Perscrutari quid intelligendum de « Catechumenatu » et quomodo sit agendum et in Missionibus et in Europa ubi paganorum numerus incessanter ageatur.

Proponere specialem liturgiam ad docendos Catechumenos.

Denique perscrutari quaestiones ad « Emigrationem » attinentes et methodum ad adeundos et docendos tot homines dictos « personnes déplacées ».

✠ ROBERTUS PICARD DE LA VACQUERIE
Episcopus Aurelianensis

57

EXC.MI P. D. FELICIS GUILLER
Episcopi Apamiensis (Pamiers)

Pamiers, le 15 novembre 1959

Eminentissime Seigneur,

C'est aujourd'hui seulement que j'ai adressé à le Commission Antepréparatoire du Concile Œcuménique les vœux que Votre Eminence a daigné solliciter de mon humble personne. Je m'excuse de ce retard. Je n'ai pu prendre qu'au premier septembre les six semaines de vacances qu'après deux années de présence continue dans mon diocèse on m'avait imposées. Et c'est seulement à mon retour que j'ai pu réfléchir aux grandes questions actuelles qui, en dehors des objectifs proposés par Sa Sainteté Jean XXIII, présenteraient quelque utilité pour le bien de la Sainte Eglise. Votre grande indulgence voudra bien me pardonner ce retard.

Daignez agréer, Eminence Révérendissime, l'hommage de mon très profond respect.

✠ FÉLIX GUILLER
Evêque de Pamiers

Eminentissime Domine,

Episcopus Apamiensis in Gallia Commissioni Pontificiae Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico aliquot vota humiliter exponit.

1. Episcopus Apamiensis optat ut in Concilio Oecumenico affirmetur unitas Collegii Episcoporum simul ac stricta coniunctio cum Sancta Sede in omnibus quae spectant non solum ad fidem sed et ad mores, liturgiam, apostolicam actionem.

Desideraret tamen ut in administratione, verbi gratia quoad dispensationes super impedimentis in matrimonio, ampliarentur, si possibile esset, facultates episcoporum.

2. Ut renovetur omnibus sacerdotibus et religiosis ratio obligationis et regulae oboedientiae erga praelatos.

3. Ut sacerdotibus iam repetita a Sua Sanctitate Ioanne XXIII et praedecessoribus venerandae memoriae obligatio exercitiorum religiosorum, praesertim orationis mentalis quotidianae, integre Divini Officii recitandi, frequentis ad Directorem spiritualem recursus renovetur.

4. Episcopus Apamiensis exoptat ut magis inspiciantur a Superioribus eorum praedicatio et actio religiosorum et praesertim scripta in diariis et in diversis publicationibus quae non numquam directiones ab Episcopis datas redarguunt, non ita tamen ut theologorum investigationes impediantur.

5. Ne omittatur vel neglegatur sive in catechismis, sive in dominicalibus homilia, sive in missionibus praedicatio de ultimis finibus.

6. Ut in Seminariis strictior disciplina restituatur.

7. Ne apostolicae experientiae sine approbatione episcoporum tententur et ne citius extendantur nisi sanae, Ecclesiae voluntati conformes visae sint et iam fructus attulerint.

8. Actio Catholica quae magis ac magis necessaria videtur omnibus sacerdotibus et laicis adhuc commendetur.

Attamen ne sacerdotes, propter apostolatum laicorum, e personali apostolatu, e cognitione populi commissi per redactionem libri animarum et praesertim per visitationem familiarum cuius nulla alia opera locum tenere potest eximi se credant.

Ne formatio aliquot militantium sufficere videatur et opera omni populo destinata neglegantur.

9. Ut necessitas institutionis scholarum catholicarum firmiter renovetur. Sat enim multis sacerdotibus haec obligatio non magni ponderis videtur.

10. Ut omni populo christiano revocetur necessitas vel saltem magna utilitas confessionis frequentis.

Sacerdotes ipsi hac de re non satis persuasi videntur.

11. Ut momentum instrumentorum diffusionis (ut sunt diarii, periodica, cinema, radio, televisio) attentioni omnium christianorum revocetur. Sacerdotibus denuntietur praesertim iis qui in solitudine vivunt vel in ancipiti sunt grave periculum pro castitate eorum quibusdam spectaculis cinematographi et magis adhuc televisionis, cum spectator solus cum imagine manet, praestitis.

Magnae quaestiones a Sua Sanctitate Ioanne XXIII iam positae in hac brevi supplicatione non aggressus sum. A theologis certo magis idoneis explanabuntur.

Mihi visum est in conscientia episcopum parvae dioecesis quaestiones utilitatis pastoralis ponere, Eminenti Commissioni antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico curam relinquens ut haec vota retineantur vel reiiciantur.

Maximae reverentiae obsequium ex corde profiteor Eminentiae Tuae cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Excellentiae Tuae Reverendissimae
addictissimus

✠ FELIX GUILLER
Episcopus Apamiensis

58

E.MI P. D. MAURITII CARD. FELTIN
Archiepiscopi Parisiensis (Paris)

Paris, le 25 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Ut Commissionis antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico litteris diei 18 iunii 1959 (sub Prot. N. 1 C/59-29) libenter breviterque respondeam, censeo, inter multiplices quaestiones examinandas, tres esse maximi momenti, scilicet:

1. *Amplius definire ius episcoporum residentialium*

In regenda enim sua dioecesi, propria auctoritate nonnunquam carent episcopi, quia saepius ad talem aut talem Congregationem romanam recurrere tenentur, sive ad dispensationem vel minimam interdum concedendam, sive ad ineundum consilium quod opportunum existimant.

Salva ergo gubernationis unitate in Ecclesia, arbitror hanc quaestionem esse examinandam: quomodo ius episcoporum in sua dioecesi de facto ampliari possit.

2. *Strictius definire munus laicorum, vel « laicatus » in Ecclesia*

Postquam enim Pius XI plura in favorem Actionis Catholicae declaravit, saepe accidit ut eadem Actio Catholica non semper recte intelligeretur, et ut abusus quidam vicissim irruerent, non obstantibus monitis Pii XII necnon supremae Congregationis Sancti Officii, in pluribus casibus.

3. *Cavere a laicismo*

« Laicismus », ut aiunt, non est « atheismus », qui Deum et divinae providentiae actionem negat, sed « laicismus » est potius doctrina quae de ipso Dei nomine omnino vult silere, et ad indifferentiam erga Religionem ducere; quod periculum a Sua Sanctitate Ioanne XXIII feliciter regnante in Suis primis Litteris Encyclicis nuper denuntiatum est. In Gallia autem praesertim, hunc « laicismi » morbum patimur, qui totam socialem, familialem, personalemque vitam paulatim pervadit.

De cetero, plurima alia problemata agitari possint, tres vero supradictae quaestiones, temporibus nostris, tales sunt ut, ad Ecclesiae bonum et ad Christi regnum augendum, mihi urgentiores esse videantur.

Interea, cum omni qua par est reverentia, remaneo

Eminentiae tuae Reverendissimae
obsequentissimus in Christo frater

✠ MAURITIUS Card. FELTIN
Archiep. Parisiensis

59

EXC.MI P. D. GEORGII A. LOUIS

Episcopi Petrocoricensis et Sarlatensis (Périgueux e Sarlat)

Perigueux, die 10 novembris 1959

Eminentissime Domine,

Placeat Eminentiae Vestrae heic invenire suggestiones et vota quae effingimus in ordine ad proximum Concilium praeparandum.

Velit Eminentia Vestra nos excusare si nondum hoc documentum

efformare et mittere potuimus, cum diversis et quidem gravibus motivis prohibiti adhuc sumus.

Faveat Eminentia Vestra acceptare obsequium quo Nos profitemur addictissimum famulum.

✠ Georgius Louis
Ep. Petrocoricensis et Sarlatensis

Vota Ordinarii Petrocoricensis in Gallia

De ipsa Ecclesia

1. Accurate *mysterium Ecclesiae* definiatur (sc. Ecclesiae, ut est mysterium).

2. Concinniter explicetur *magisterium ordinarium,* a multis fidelibus, immo sacerdotibus, prave conceptum. Auctoritas et pretium documentorum a Congregationibus Romanis promulgatorum ad memoriam revocetur.

3. Praecise enuntietur quinam sint locus et partes *laicorum* in Ecclesia.

4. Definiatur *Actio catholica* eique status iuridicus concedatur. Determinetur quidnam sit *mandatum* a hierarchia commissum iis qui militantes agnoscuntur; quomodo et a quibus hi designentur vel eligantur; quibus vinculis iuridicis Episcopo religentur?

5. Quomodo definiantur *Rector operum* dioecesanorum et *cappellani Actionis catholicae.* Utrum eorum nominatio eis aliquam stabilitatem canonicam conferat (in ordine iurisdictionis personalis) aut sint simpliciter ad nutum?

6. *Doctrina socialis* Ecclesiae locum obtineat in lege canonica.

7. Ius canonicum existentiam et valorem agnoscat instrumentorum quae summiter diversos apostolatus modos in unum coordinent.

De potestate Episcoporum

8. Episcopi, in dispensationibus concedendis (v. g. super impedimentis matrimonialibus aut erga moniales) et in administratione bonorum dioecesis, *largiore iurisdictionis usu* gaudeant, quin, pro parvo, ad Congregationes Romanas recurrere debeant.

De Clericis

9. Optabilis videtur, quanquam multum iam factum est, *Breviarii* revisio ad faciliorem et spiritualiter nutricem recitationem.

De Eucharistia

10. Permittatur celebratio missae hora postmeridiana cum, v. g. ducuntur exsequiae vel fiunt nuptiae quae, de facto, in nostris regionibus, magnam partem fidelium coadunant.

11. Mentionem in legislatione obtineant ii actores celebrationis liturgicae qui in Instr. *Musica Sacra* a S. C. de Ritibus (3 sept. 1958) nominantur ut sunt lectores, commentatores, qui quidem possunt esse laici et tunc « servitium ministeriale directum delegatum exercent ».

12. Nonne opportunum esset aliquid inserere in Codice de professione sollemni fidei quae in pastorali apparatu privilegiatum locum obtinet et in lege ecclesiastica generali ne nominatur quidem.

De Matrimonio

13. Ut impedimenta gradus minoris supprimantur et ad obtinendam dispensationem super impedimentis gradus maioris tantum mansuris legislatio applicetur ad mentem can. 1054.

14. Ut, in pensanda validitate consensus matrimonialis, « intentionalitas » contrahentium locum obtineat ita ut qui, dolo et fraude alterius partis deceptus sit, in iis quae vere ad ipsam personam pertinent, non necessario validum consensum dedisse habeatur. (Aliis verbis, ut non sine restrictione admittatur principium, valde odiosum, quod sic gallice exprimitur « en mariage, trompe qui peut! »).

15. Ad efformandum consensum validum, *libertas* non solum physica et moralis, sed et *psychologica* requiratur, quae tantum momentum nostris temporibus habere videtur.

16. Ut pure et simpliciter tollatur possibilitas contrahendi *matrimonium conditionatum* (ut iam in Codice pro Ecclesia orientali suppressum est).

Quod si sustinetur, eadem analysis de conditione apposita valeat (sec. can. 1092) in conditione de praeterito vel de praesenti ac in conditione de futuro.

17. Detur interpretatio authentica *can. 1052* et controversiae hoc in canone inter auctores ortae dirimantur, quae quidem fontem difficultatum insuperabilium efficiunt.

De Liturgia

18. Ut elaboretur et adhiberi possit brevior et renovata formula in altaris necnon Ecclesiae consecratione ab Episcopo effecta.

De Processibus

19. Simplicior reddatur modus procedendi in translatione et remotione parochorum praesertim inamovibilium (can. 2147-2167).

60

EXC.MI P. D. HENRICI VION

Episcopi Pictaviensis (Poitiers)

Eminentissime Domine,

Gravibus incumbationibus obnoxius, tam variis detinebatur curis novissimis mensibus istis, ut prius mihi otium non esset Eminentiae Vestrae litteris, circa ea quae ad Concilium sunt paranda rescribere. Pergratum nuntium de Concilio indicendo et mihi et omnibus in episcopatu sociis necnon omnibus fidelibus Ecclesiae Romanae communionem habentibus, magnae causa fuit letitiae; huius rei gratia fit, ut sponte fluat grato ex animo nostro hoc testimonium.

Cum vero « Commissio Antepraeparatoria » eiusdem, te praeside, benevolenter consilium meum circa res, quae in futuro Concilio tractanda venient exquirat, libenter praebeam quasdam opiniones, quae pro meo iudicio ad sequentia capita reduci possunt:

I. *De Unitate Ecclesiae.*
II. *De Constitutione Ecclesiae.*
III. *De Expansione Ecclesiae.*

I. DE UNITATE ECCLESIAE

Quoad primum caput, duae quaestiones examinandae veniunt:

1. *De Unione ecclesiarum dissidentium.*
2. *De Unitate interna ipsius Ecclesiae Catholicae.*

1. *De Unitate ecclesiarum dissidentium*:

Problema valde momentosum quod, meo quidem iudicio, negligi non potest et quamvis propter eiusdem complexitatem non nisi caute explorari valeat, maximeque ab eo qui munere fungitur episcopali, tamen liceat mihi sequentia enuntiare argumenta: genericum primum; alterum proprium huius Dioecesis Pictaviensis.

A) Generice consideratum.
B) Peculiare Dioecesis Pictaviensis.

A) Generice consideratum:

Novissimis istis temporibus, usus invaluit sic dicti « Motus Oecumenici », qui, ope conventuum orationum et consensuum amicitiae, contactus cum protestantibus favet. Haec ratio agendi, revera quosdam protulit fructus sub aspectu christianae caritatis et mutuae comprehensionis, quod tamen non inmune a quadam incommodi et periculi specie evadit; alia ex parte, contactus illi non multum favent ipsam optatam unitatem, sed aliquando in sanae fidei detrimentum reddi videntur. Unde ergo denuo duae quaestiones considerari possunt:

a) Potuerintne negligi vel e contra attente perpendi debent pericula difficultatesque huius contactus?

b) Contactus mutuus, non vero ille plebis eritne utilis bonosque fructus afferre potuerit? Nonne enim aliquae domus, religiosis familiis praepositae, ad hoc institui possint, in quibus protestantes propriis dubiis et anxietatibus consulere et ipsi fideles pro eis orationes fundere possint?

Ego opportunum duco delimitare imprimis capita fundamentalia, quibus sententia protestantium revera opponitur doctrinae catholicae. Tunc apparebit, ut opinor, quod non paucae differentiae, quae frequenter adducuntur ad earum irreductibilitatem ostendendam sunt magis verborum quam rei discrimina.

B) Peculiare Dioecesis Pictaviensis:

Agitur hic de sic dicta « pusilla Ecclesia », quae radices fundit in confinibus istius Dioecesis Pictaviensis, ideoque sollicitudini meae non aliena. Membra istius ecclesiae vocantur « dissidentes » et fere triginta millia numerantur.

Ipsum Concilium Vaticanum causam cognovit, immo et examinavit sed, pro dolor!, dissolutum fuit antequam sententiam suam redigeret.

Excellentissimus Dominus Derouineau, nominatus a Pio XII Visitator Apostolicus pro « dissidentibus », magnam eis dedit operam, tamen pretium operis est ut hanc quaestionem Concilium sumat sibi considerandam. Ego velim totum negotium Concilio commendare; res excusationem habet nam Episcopus Pictaviensis, et propter « dissidentium » multitudinem et propter pastoralem sollicitudinem, non levi afficitur molestia.

2. *De Unitate interna ipsius Ecclesiae Catholicae.*

Optima ratio pro Ecclesiarum unione erit, nisi fallor, unitas in sinu ipsius Ecclesiae Catholicae. Tentamina omnia ad sibi conciliandas caeteras alias ecclesias, salvo meliori iudicio, ad operis effectum non pervenient nisi prius unitas ipsius Ecclesiae roboretur et augeatur.

Ita porro, nostris hisce temporibus, nihilominus maximos optimosque fructus quos Concilium Vaticanum protulit, praesertim quoad primatum et infallibilitatem Romani Pontificis attinet, est cur de rerum evolutione in Gallia nonnullis anxietatibus tenear. Etenim semen funestissimi « modernismi » non omnino deletum est et magis minusve manifestatur in sic dicto « progressismo »; error valde improbus quia, cum propter eiusdem indeterminationem difficilis captu evadat, praesertim incautis iuvenibus obsidet. Nobilem habuit ortum cum « laicismi » filius sit!

Alia ex parte, ratio cogitandi et agendi protestantium valde favet psychologiae et propensionibus opificum operariorumque qui, considerationibus supernaturalibus praetermissis, omnia sub naturali lumine eventuum, lucri, utilitatis, ipsius hominis, etc. non vero sub lumine originis et finis ipsius hominis considerant et perpendunt. Inde ergo originem ducunt quaedam effata sicut, ut exemplum afferam: « Ecclesia docet vel iuvat hoc aut illud, sed fides mea aliud a me expostulat ».

Haud pauci christiani, ii praesertim qui studiis universitariis incumbunt, « laicismo » et libero examini redolent.

Sine errandi formidine possum asserere, quod quaedam partes Philosophiae Modernae marxismo, exsistentialismo vel immanentismo inficiuntur; ita porro mentes obcecant. Persaepe ipse philosophus christianus, quid valeant quaedam verba matris eius Ecclesiae non videt.

Hoc argumenti genus, gravissimum sane, valde difficile reddit munus docendi fidem iuvenibus, qui magistros audiunt universitarios.

Quamvis tantum valeat pro Gallia, nolo praetermittere factum, quod universitarii illi non nisi per transennam formidolosum illud fidei problema perspiciunt, quod vero in detrimentum redditur sanae doctrinae; immo quoddam habet malevolum influxum in ipsa clericorum vita disciplinari: vera obedientiae notio tenebris obnubilatur ut, verbi gratia, patefactum est in difficultatibus suscitatis a sacerdotibus « operariis » qui, propriis rationibus ducti, sibimet consulerunt.

Alio ex capite Philosophia Moderna inquirit, reperit et elaborat elementa non spernenda, quibus scientiae patrimonium augetur ditaturque. Pro mea sententia, valde utile erit et momentosum omnem operam dare ad componendam Philosophiam Modernam cum Philosophia Neoscholastica, unde patefaciant utriusque capita communia et capita dissidentia, et unde ad mentes illustrandas gressusque ad rectam viam dirigendos lux effulgeat.

II. De Constitutione Ecclesiae

Valde adlaboravit valdeque profecit Concilium Vaticanum. In eiusdem semitis tamen adhuc pergere opportunum duco, et quidem sub quadruplici aspectu:

1. *De Episcopatu*:

a) De eius origine .
b) De eius munere in Ecclesia.
c) De eius munere in dioecesi.
d) De eius munere ad docendum et regendum.

Valde dolendum est quod permulti ex christiano grege Episcopum veluti praepositum administrativum, non vero uti Apostolorum successorem considerant.

2. *De Presbyteratu*:

Proprii limites « Sacerdotii Ministerialis » statui deberent ut effulgeat sacerdotii character sacer, et patefiant rationes illae altissimae propter quas sacerdotes tam illecebris corruptelarum valedicere, quam connubio et artis exercitio eiurare debent. Re quidem vera quidam fideles, inter quos sacerdotes quidam enumerari fatendum est, non bene intelligunt verum sacerdotii munus in Ecclesia: alii non mente capiunt sacerdotium, quod a presbytero fungitur, non nisi participationem esse sacerdotii Episcopi; alii vero Episcopi auctoritatem, tam sub aspectu doctrinali quam iuridico, valde infirmant.

Singulariter quod attinet ad Actionem Catholicam munus sacerdotis determinare, et ei proprios limites praebere opportunum duco.

3. *De laicis*:

Asserere audeo quod, nunquam satis extolletur illa altissima ratio qua, qui ad Ecclesiam pertinent non tantum ei iuridice consociantur, verum etiam fiunt per baptismum membra eiusdem corporis.

Sub luce doctrinae de Corpore Mystico Ecclesiae, uberius explanare oportet Ecclesiae doctrinam circa finalitatem et momentum rerum terrestrium pro vita aeterna; circa baptizati sacerdotium; circa laicorum apostolatum; circa Actionis Catholicae definitionem; circa intimam necessitudinem et coniunctionem inter civitatem terrestrem et Ecclesiam, etc.

4. *De Religiosis*:

Ad hunc respectum, liceat mihi unam alteramve quaestionem proponere:

Considerari posset quasnam afferat utilitates illa copiosa series pusillarum congregationum et societatum piarum, quae persaepe eundem intendunt finem.

Cum talis sit temporum conditio, ut non sit copia sacerdotum ad omnes necessitates pastorales implendas, considerari etiam posset si forte expediat facultates Episcopis tribuere ut, si usus veniat, sacerdotibus religiosis etiam monachis munera committere valeant.

III. De Expansione Ecclesiae

Ecclesia optime Catholica praedicatur. Procul dubio Christi redemptio est universalis. Ergo Ecclesiae est munus missionandi.

Optima illa Littera Enciclica, *Fidei Donum,* attentionem suscitavit animosque sibi copulavit. Tamen tumultuosis temporibus istis quibus « tecnica » omnia pervadit, res ita sese evolvunt ut, certis de causis, quaerere possimus si forte disperdatur paulatim in populis ipsis christianis gloriosum fidei patrimonium quod Ecclesia mater, non sine infinitis toleratis aerumnis, comparare valuit. Etenim longe absumus a temporibus illis, quibus fides hominum medullam attingebat; infirmitas ista magis manifestatur in iuvenibus: problema sane gravissimum. Expedit quidem omni instantia, primum quaerere causas; postea remedia praebere.

1. *Causae*:

Forsitan quaedam causae ad trutinam revocari possunt:

Timeo quidem ne Ecclesia hodiernae psychologiae operariorum et artis technicae non adaptata sit. Possumus etiam quaerere utrum Ecclesia in statu physico versus desideria indigentiasque mundi istius moderni sit.

Certe certius longe abest a me in dubium revocare aliquid eorum, quae Christus tradidit Ecclesiae suae. Tamen ipsa Ecclesia multa comparavit sibi elementa, tam ordinis interni quam externi, quorum non omnia sunt essentialia. Iam vero, nonne ad novum examen adduci possunt quaedam structurae institutionesque accidentales, in praesenti sine momento quia originem ducunt a situatione quadam historica?

En aliquas quaestiones:

Limites dioecesis et paroeciae.

Actio pastoralis coniuncta: « Pastorale d'ensemble ».

Structura temporalis et postulata missionis Ecclesiae.

Vita intima et conversatio externa sacerdotis: « Style du prêtre ».

Conceptio diei Dominicae, sicut dies Domini.

Lingua latina et lingua vernacula in coetibus christianorum et forsitan in ipsa liturgia, etc. etc.

2. *Remedia*:

Remedia inveniri debent in virtute propria ipsius Ecclesiae. Forsitan oriri possunt ex tribus istis fontibus:

a) Ex Actione Catholica:

Actio Catholica ad aetatem adultam pervenit; tempus est ergo ut ad eiusdem definitionem procedatur. Oportet eiusdem elementa essentialia enumerare et statuere; relationes eius ad dioecesim et paroeciam declarare.

b) Ex sacerdotis virtute:

Ad solidam eiusdem efformationem, profundam, et hodiernis indigentiis perviam obtinendam, imprimis seminarium vel efformationis domus, aptatus sit oportet.

Propria vita sacerdotis expostulat ut non consideretur solitarius, tam in sua pietate quam in suis inquisitionibus et in apostolico suo munere obeundo.

Verbis istis volui simpliciter evocare quaestionem de militiis sacerdotalibus in clero saeculari.

3. *Ex diaconatus institutione*:

Institutio virorum apostolicorum qui sacerdotes inter et laicos positi sint, constitui potest. Hoc enim sub duplici forma fieri posset: vel sub specie vitae communis, more religiosae familiae ita ut illi possint officiis apostolatus propriis sese devovere, praesertim sese exercendo in artibus ipsis operariorum, ut eorum indigentiis praestare possint; vel sub forma primaeva institutionis ordinis diaconatus, itaque membra ordine sacro insignientur et forsitan non necessarie oneri caelibatus ligabuntur.

Quantae utilitatis et fructus erit institutio ista pro Ecclesia!

Conclusio

Dum huic expositioni finem facit, Episcopus Pictaviensis bene intelligit quam superficialiter et fragmentarie proposita et examinata sint argumenta. Animum tamen intendit in ea, quae magis consentanea et momentosa ei visa sunt pro rerum adiuntis Galliae novissimis hisce temporibus, relate ad fidei et Regni Dei incrementum.

Deprecatur a Commissione Antepraeparatoria ut eiusdem negligentiae ignoscat.

Suppliciter orat Eminentissimum Cardinalem Praesidem Commissionis Antepraeparatoriae, ut recipere dignetur altissimae considerationis et devotionis testimonium, quo se profitetur addictissimum

✠ HENRICUS VION
Episcopus Pictaviensis

61

EXC.MI P. D. ANDREAE FAUVEL

Episcopi Corisopitensis et Leonensis (Quimper e Léon)

Quimper, le 28 novembre 1959.

Eminentissime Seigneur,

J'ai l'honneur de présenter à Votre Eminence le rapport ci-joint contenant mes souhaits quant au programme du prochain Concile Œcuménique. J'ai conscience du retard apporté à le rédiger et prie Votre Eminence de bien vouloir me le pardonner. Puissent du moins mes souhaits se rencontrer avec ceux d'un grand nombre de mes confrères dans l'épiscopat, de sorte que le programme de nos travaux réponde, dans la mesure du possible, à nos aspirations communes.

Daignez agréer, Eminentissime Seigneur, l'hommage des sentiments de profond respect avec lesquels je suis

de Votre Eminence
les très humble serviteur

✠ ANDRÉ
Ev. de Q. et de L.

Beatissime Pater,

Episcopus Corisopitensis et Leonensis subsignans, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter proponit ea quae sequuntur ut in proximo Concilio examinentur:

1. De Ecclesia in semetipsa, ut loco communionis Dei hominumque in Christo.

2. De liturgia eiusque renovatione ubique promovenda; namque huiusmodi renovatio inchoata tantum videtur.

3. De Scriptura Sacra et Traditione .

4. De Missionibus.

5. De Ecclesiae supranationalitate in suo romano centro.
6. De Episcopis.
7. De clero: eius vita spiritualis, intellectualis formatio, paupertas, maiora Seminaria.
8. De laicis eorumque partibus in Ecclesia.
9. De Ecclesia in suis relationibus cum hodierno mundo:
de tolerantia iuxta Pii XII orationes;
de communismo et atheistico materialismo;
de liberalismo oeconomico et sociali Ecclesiae doctrina;
de fide et scientia;
de reverentia erga humanam personam.

Et Deus...

Corisopiti, die 28 novembris 1959.

✠ ANDREAS
Ep. Corisopitensis et Leonensis

62

EXC.MI P. D. ALOYSII MARMOTTIN
Archiepiscopi Rhemensis (Reims)

Remis, ex aedibus archiepiscopalibus, die 20 augusti 1959.

Eminentissime Princeps,

Litteris quibus Eminentia Vestra Reverendissima Episcopos universi orbis invitabat ad vota promenda intuitu Concilii oecumenici, prompto et libenti animo respondeo.

Honore duco Eminentiae Vestrae mittere animadversiones quas ad negotium aliquid facere posse reputavi et eamdem adprecor ut has accipere dignetur.

Dum has cum Eminentia Vestra Reverendissima communico, sacram eius purpuram deosculor et me profiteor eidem reverenter

✠ ALOYSIUS MARMOTTIN
Archiepiscopus Rhemensis

AD DOCTRINAE CAPITA QUOD ATTINET

Optanda videtur progrediens enucleatio de natura Ecclesiae ut ad plenum exitum deducatur opus inceptum a Concilio Vaticano.

Duplici de causa huiusmodi enucleatio utilis apparet. Ita *positive*

fovebitur affectus membrorum Ecclesiae erga providam Matrem et dissidentes ad reditum invitabuntur; *negative* arcebuntur opiniones quae minus caute in hac parte, nostris temporibus, profiteri potuerunt. Et quod ita sit, ea quae infra legentur innuere videntur.

Ad rem facere videntur ea quae refert Exc.mus D. D. Iosephus Lefebvre, Bituricensis Archiepiscopus, in opusculo cui titulus: « *Rapport doctrinal* », Coetui Episcoporum Galliae die 30 aprilis 1957 praesentato.

Pagina 25, scribit Exc.mus Auctor sub titulo: « Le Chrétien doit approfondir le mystère de l'Eglise »:

« L'amenuisement des vues surnaturelles empêche beaucoup de nos « chrétiens de comprendre à quelle hauteur se situe l'action de l'Eglise. « Celle-ci, comme son Chef dont elle continue l'œuvre, glorifie le Père en « sauvant, par la grâce, les âmes et le monde... Mais son action, lente, « discrète, profonde, échappe en grande partie à l'expérience humaine. « Nos contemporains sont pressés; ils ont besoin de voir, de palper, d'ex- « périmenter, de constater. Instinctivement, ils rabaissent l'œuvre de « l'Eglise au niveau de leurs préoccupations dominantes. De cette Eglise « ils font une administration, une organisation puissante à laquelle ils « reprochent ses formes désuètes et son manque d'efficacité. ... De même « qu'on a perdu le sens de Dieu, le sens du péché, on perd alors le sens « de l'Eglise... ».

Paulo post refert Cl.mus Auctor testimonium alicuius sui collegae.

« Il faudrait distinguer trois sources des incompréhensions et des « erreurs que nous signalons ici. D'abord un courant de déchristianisation « qui date de plusieurs siècles... Il s'oriente de nos jours, dans les masses, « vers un naturalisme de fait ou vers le matérialisme dialectique de Marx. « Il y a ensuite les écarts de quelques théologiens ou penseurs catholiques, « entraînés par le souci de parler le langage de leur temps, afin de mieux « agir sur lui. Ils ne s'aperçoivent pas toujours qu'ils sont victimes d'*à « peu près,* parfois même de réelles déviations. Il importe de noter enfin « le durcissement de ces théologiens et penseurs devant les " courants « intégristes ", eux aussi mal situés, qui vivent dans la nostalgie de temps « révolus... et sans aucun mandat censurent tout essai de progrès quel « qu'il soit ».

Deinde sequuntur, in praelaudata Relatione, alia argumenta quae prodeunt sub his titulis:

Seule une vraie foi en l'Eglise préserve le chrétien de toute déviation;

L'autorité de l'Eglise visible est volue par Dieu;

L'Eglise visible ne fait qu'un avec l'Eglise des âmes;

Différence essentielle entre le sacerdoce du prêtre et celui de tout chrétien.

* * *

Ut pressius loquamur, optanda foret declaratio Magisterii circa Ecclesiam « visibilem » eamdemque « invisibilem », deque inter utrumque conceptum mutua necessitudine. De novo, proferenda essent schemata in Concilio Vaticano parata « De Episcopatu », ut in luce ponatur ecclesiastica Hierarchia. Evolvenda foret eiusdem cum Laicatu consuetudo, quod eo magis necessarium apparet quo laicorum cum Clero in dies requiritur ad opus apostolicum actuosior conspiratio. Nec omittenda esset delineatio laicalis muneris in hodierna ecclesiastica efficientia, ita ut dilucide appareat Sponsae Christi unitas consona.

At ubi consuetudo Hierarchiae cum Laicatu consideraretur, non tantum cogitandum esset de fidelibus in aciem Actionis catholicae militantibus, sed altius insideret quaestio de Relationibus Ecclesiam inter et Statum.

Paulum modo evolvendum argumentum. Magna quidem hodie oritur sollicitudo de Actione catholica ut vita catholica totam actionem humanam, etiam quae profana exsistit, imbuat; et iure meritoque.

At si vita catholica quodcumque negotium, quamcumque artem seu professionem, si etiam officinam ingrediatur oportet, non minus desideratur ut vitam politicam pervadat, eo vel magis quo hodie plus quam nullo temporum anteactorum maiorem partes Status assumat in vita civium. Si gubernii civilis munus est ordinare cives in bonum commune, temporale utique, iam praescindere nequit ab ultimo totius creationis fine.

Et quidem gratulamur de progrediente in pluribus nationibus Democratia christiana. Nihilominus multae cautionis semper fuit definire habitudinem eorum quae sunt Caesaris ad ea quae sunt Dei. Accedit quod hodie non eodem oculo quam antiquitus considerandae veniunt relationes Ecclesiam inter et Statum, cum propter diversitatem opinionum in campo religioso plura gubernia debeant aequam tolerantiam profiteri. Cavendum est tamen ab omnimodo neutralismo. Optamus siquidem, prout natura rerum et instauratus a Deo supernaturalis ordo exposcunt, convergentem actionem utriusque potestatis, uniuscuiusque in proprio terreno, ad gloriam Dei promovendam. Doctrina de *sana Laicitate,* de qua pluries sermonem habuit Pp. Pius XII, forsitan alicui Schemati de Relationibus inter Ecclesiam et Potestatem civilem incorporanda esset.

* * *

Ut autem vocis ecclesiasticae magisterio, maiore cum uniformitate, christianis cuncta imbuatur, resumi posset consilium in Vaticano initum de Catechismo ad Parochos e Tridentini suggestu orto; non ita quidem

ut necessario *litteraliter* unaquaque natio hunc adoptandum haberet, sed eo modo concinnatum ut, ex officio et publice, Magisterium ordinarium praecipuas fidei catholicae formulas traderet, incorporandas in aliqua — ut ita dicam — « praesentatione » ingenio et necessitatibus singularum regionum conformi.

Ad disciplinam et ad iuris revisionem quod spectat

Alia sunt quae pertinent ad quasdam, ut aiunt: *reformationes structurae,* alia quae potius singula minute intuentur.

Quoad prima, quae sunt generaliora, non uni tantum apparet Ecclesiam, dum magis ac magis apostolicae expansioni incumbit, Iure concepto pro societate plene stabilita regi. Aliis verbis, magis quam alias unquam Ecclesia est « *in fieri*» et tamen adhuc regitur ut « *in esse stabili* »! Res exemplo plana fiet. Cura animarum seu officium parochi a Codice praecipue consideratur ut *beneficium,* a iure tali modo munitur ut integra maneat conditio beneficiarii cuius *inamovibilitati* potius consulitur. Nonne magis animarum emolumenti sollicitudo habenda esset, ut praesules expeditius et flexibilitate maiore providere possint populi necessitatibus?

Si ipsa ad Nationem attenditur, Particularismo aliquantulum laborare videmur. Equidem de iure divino Ecclesia universalis in peculiaribus territoriis sub regimine singulorum pastorum partitur; nihilominus tamen recte desideratur maior inter diversas dioeceses vicissitudo. Ita v. g. frequentior et magis normalis fiet transitus sacerdotum e regionibus clero ditioribus ad eas quae magis indigent.

Hinc necessitas conventuum episcopalium pro tota natione. Revera, hoc plus minusve ubique de facto institutum est, sed optandum forsan esset ut quod iam in praxi ductum est, mox a Iure consecretur. Provinciae, prioribus temporibus constitutae, mutatis tractatibus vitae, non semper videntur hodiernis necessitatibus sufficienter respondere.

De caetero, quin ullam contradictionem propositum nostrum continere videatur, si actio magis uniformis desideratur inter dioeceses, potius aucta libertas optatur in administratione Ecclesiae universalis (une décentralisation). Verbi gratia, episcopi possent amplioribus facultatibus gaudere ad dispensandum super lege ecclesiastica. Equidem aliquibus Ordinariis facultates libenter conceduntur, sed cur non inscriberentur in ipsa lege quae nunc mere de gratia elargiuntur?

In hoc, dicimus, nulla appareat contradictio, quia si ex una parte aucta unitas proficit ubi actio apostolica alicuius amplitudinis movenda est, ex altera maior velocitas impendenda est ab unoquoque praesule quando agitur de negotiis ordinariis expediendis.

Semper valet idem principium: Ecclesia instruenda est omnibus mediis quibus missionem suam alacrius obire poterit.

* * *

Secundo: de his quae singula respiciunt, en capita quae materiam deliberationis suppeditare possent.

1. *Pro disciplina Monialium*: consulendum esset saniori statui psychologico plurium, v. g. per domos ad feriandum, per tempora relaxationis modo generali instituta. Non semel auditur moniales quasdam vita nimis tensa laborare, non sine gravi damno etiam spiritus.

2. *Quoad Religiosos exemptos*: aliquando desideraretur a parte eorum actio cum clero saeculari magis consona. Consilia sua planius cum Ordinariis locorum conferre deberent; hi melius norunt conditionem qua versantur populi.

3. *Quoad modum agendi cum dissidentibus*: quin incidamus in intempestivum irenismum, rigor laxandus esset in communicando cum illis, v. g. in modo celebrandi matrimonia mixta.

4. *Quoad Sacramentum Poenitentiae*: nimis complexa est legislatio de casibus reservatis; optanda est redactio ad simpliciorem formam.

5. *Quoad Sacramentum Matrimonii*: augenda esset potestas episcopalis ad dispensandum super impedimentis; examini subiiciendus esset elenchus impedimentorum; sunt aliqui qui forsitan obsoleverunt.

6. *Relate ad cultum*: numquam nimis insistitur in uniformitate in ritibus observanda; testimonium colligitur quod vel dissidentes hoc respectu moventur quando Ecclesiam observant.

7. *Relate ad professionem fidei*: nonne restringi posset obligatio profitendi fidem quam statuit canon 1406? Etsi principium salvandum videtur, estne necessarium tam iteratis vicibus profiteri fidem?

8. *Quoad prohibitionem librorum*: lex aliquantum inveterata apparet. Multi libri in Indice inscribuntur qui hodie non videntur graviter alicui nocere posse. Nonne efficaciam aequalem sortiretur lex si potius conciperetur per modum alicuius iudicii moralis prolati circa libros (une côté morale), sicut fit ad valorem moralem voluminum cinematographicorum denunciandum (pour les films)?

Datum, Rhemis, ex aedibus archiepiscopalibus, die 20 augusti 1959.

✠ ALOYSIUS MARMOTTIN
Archiepiscopus Rhemensis

63

Em.mi P. D. CLEMENTIS Card. ROQUES
Archiepiscopi Rhedonensis (Rennes)

I. *Ad favendam unitatem*

Locus esset ut argumentum de *Ecclesia* (cap. I et III) resumatur cui Concilium Vaticanum curam impendere non valuit. In quo Orientales aliquam partem doctrinae suae de Ecclesia agnoscerent (cap. I) Nationumque ducum animi converterentur ad eorum officia religiosasque praestationes erga laicismum nimis saepe publice admissum (cap. III).

Caput secundum, iam in Concilio elaboratum, firmum Ecclesiae fundamentum illustravit, quod est Petrus eiusque Successores, in Constitutione *Pastor Aeternus*. Expediret, praesertim ad Orientalium attentionem, ut de propria et generali missione *Episcoporum,* Apostolorum Successorum, disseratur. In prooemio Constitutionis *De Fide Catholica* Concilium Vaticanum sic loquitur: « Sedentibus Nobiscum et iudicantibus universi orbis Episcopis », et S. S. Pius XII, in Litteris Encyclicis *Fidei donum,* Episcopos admonuit eos communiter et coniucte missioni apostolicae Ecclesiae praepositos esse.

II. *Adversus haereses huius temporis*

1. *Negatio Dei* eiusque summi principatus maior est haeresis huius aetatis, pro disciplina accepta et statuta, praesertim a materialismo dialectico et atheo.

Conveniret iterum affirmari dogma de Deo transcendente et creante, simul cum vero sensu humanorum factorum in eorum diversis stadiis historicis ac personalibus:

Unicitatem humani generis ab Adamo.

Animae immediatam creationem, spiritualitatem et immortalitatem.

Gratuitatem ordinis supernaturalis.

Peccati originalis naturam et universitatem.

Redemptionem.

Aeternam vitam hominis cum optione vel beatitudinis vel aeternarum poenarum in inferno, sine ulla possibili redemptione post mortem.

Christi adventum vel « Parousiam », quae est historiae mundi consummationem et exitum.

2. Opportunum videtur iterum damnari *Indifferentismum* ab effec-

tiva tolerantia valde auctum, quae Societates civiles non paucas inducit ad omnes religiones ex aequo habendas.

Ecclesia Catholica sola vera est religio, extra quam nulla salus. Expositio doctrinae de hac veritate iuste locum tenere debet in Constitutione de Ecclesia (cf. argumentum Concilii Vaticani, cap. I).

3. Ecclesia Catholica, initio huius saeculi, per difficultates *Modernismi* transiit. Opportunum videtur resumi *et* summam damnationis (relativismum dogmatum eorumque formularum) *et* formas ex eo exortas quae nunc inveniuntur in nova exegesi, « symbolica et spirituali » vocata, et in acceptatione alicuius moralis disciplinae sic dictae « moralis conditionis vel practicae » (cf. Enc. *Humani generis*).

4. Progressus artium (technicarum), cura maioris ac maioris productionis, « Socialisatio » novae temperationis, materialistaeque doctrinae facile inducunt ad hominem contemnendum et opprimendum. Opportunum ergo videtur conciliari documento praecipua elementa *doctrinae socialis Ecclesiae* illustrari maioremque auctoritatem recipere.

III. *Ad exaltationem B. Mariae Virginis*

Desideramus et exoptamus ut continuentur et propellantur investigationes ad definitionem dogmatis de *B. Maria omnium gratiarum Mediatrice* praeparandam, quod, Officii ac Missalis gratia, iam in fide populi christiani locum tenet.

IV. *Circa disciplinam Cleri*

Apud Sacerdotes nimis multos, quos iure cura vehementer sollicitat Evangelii multitudinibus materialismo laborantibus praedicandi, mens plus minusve oritur quae « *activismo* » operumque artibus excellentiam tribuat prae salutis viis seu mediis a D. N. I. C. statutis, quae pollent heri, hodie et semper.

Mentionem de *constanti Ecclesiae disciplina* circa hanc questionem prodesset a Concilio iterum fieri, momento confirmato praedicationis muneris, Sacramentorum, maxime poenitentiae, administrationis, supplicationum officii et praesertim Breviarii integre quotidieque dicendi.

V. *Circa laicos*

Iam a decadibus pluribus, animi inflexi sunt ad *laicorum munus* in Ecclesia considerandum. Utile videtur affirmari praesertim:

Locum et munus laici ordinis in Ecclesia.

Quid et qualis esse oportet Actio Catholica in conspectu huius quod « Apostolatus in genere » dicitur, eius scopum et exigentias, et, si opus erit, eius modos et fines.

Munus familiae intra Ecclesiam, iuraque eius et officia, vetustate praestantiam respectu ad Reipublicae status, et praesertim eius gravia munera quoad prolis educationem; ubi locus opportunus esset ut iterum ius Ecclesiae confirmetur ad pueros adolescentesque a se docendos in omnibus rebus, etiam profanis, simul cum reciproca parentum obligatione.

VI. *De Codice Iuris Canonici*

Exoptamus:

Conscriptionem in concordia cum sententiis Commissionis ad Codicis interpretationem.

Constitutionum novarum consignationem, maxime:

a) de personali iurisdictione (v. g. pro exercituum vel advenarum Cappellanis);

b) de saecularibus Institutis;

c) de eucharistici ieiunii normis.

Canonem aliquem de Actione Catholica, ubi de laicis tractatur.

Ut extendantur Ordinariorum potestates in matrimonii legislatione, hoc est ut impedientia impedimenta et illa quinque minora dirimentia remittere valeant, simul et sanationem in radice concedere.

Ut permittatur celebratio in ecclesia matrimoniorum inter catholicos et baptizatos acatholicos contrahendorum.

VII. *Varia*

Occasionem Concilii tenemus ad hoc votum exprimendum ut Pontificalis liber recognosci et expediri conducatur.

Rhedonis die 1 octobris.

✠ Cl. Roques
Archiep. Rhedonensis

64

EXC.MI P. D. IOANNIS MENARD

Episcopi Ruthenensis (Rodez)

I C 59/1124

1. Nobis videtur magni momenti ut doctrina theologica erga episcopatum in luce certa et completa affirmetur. Specialiter, in nostro tempore, ubi auctoritas episcoporum in clerum, erga religiosos et laicos saepius disputatur. Nova declaratio Concilii oecumenici permitteret ut facilius iussa et consilia pastoralia accipiantur. In operibus Actionis Catholicae « mandatum speciale » praecipuis laicis ab Episcopo attributum utile retineretur ut signum officiale obsequii erga auctoritatem sacrae Hierarchiae.

2. Consilium oecumenicum utilissime modo certo definiret materias et quaestiones quae essent:

1) de auctoritate episcopi particularis,
2) de auctoritate episcoporum in concilium provinciale,
3) de auctoritate episcoporum in coetum nationalem.

Et si utilissime videtur ut auctoritas episcopi in sua dioecesi firmissime affirmetur, concilium directiones tantum ponere posset pro quaestionibus de quibus in conventibus provincialibus vel nationalibus tractaretur.

3. Erga hodiernas opiniones, saepe audaces et periculosas, votum retineri posset a Concilio ut unitas « corporis episcopalis » alicuius nationis magis firma et unanimis se affirmaret.

4. Utilissime Concilium in luce certa et firma ponere posset extensionem actionis directae vel indirectae Sanctae Ecclesiae erga res temporales, sive per se sive per episcopatum unius nationis sive per episcopum particularem sive per cleros sive per laicos (specialiter duces et membra Actionis Catholicae).

5. Idem quaestio utile poneretur de aetate ubi episcopus se dimittere posset de munere suo quod hodie indubitanter videtur — ut Sacra ait Liturgia — « laboriosum certamen » et quo modo aptae facultates ei offerantur.

Ruthenis, die 1 septembris 1959.

✠ IOANNES MENARD
Ep. Ruthenensis et Vabrensis

65

Exc.mi P. D. IOSEPHI MARIAE MARTIN
Archiepiscopi Rothomagensis (Rouen)

V. Ref. I C/5911131 Rothomagi, die 31 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ut voto Summi Pontificis Ioannis XXIII feliciter regnantis respondeam, cuius certiorem me fecit Eminentia Tua per litteras Romae datas die 18 iunii 1959, te reverenter oro ut hic invenire velis aliquot animadversiones:

1. de re liturgica,
2. de re administrativa,
3. de re canonica,

quas mihi liceat communicare « omni cum libertate et sinceritate » Pontificiae Commissioni antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico examinandas.

Impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cui fausta quaeque a Deo adprecor.

Eminentiae Tuae Reverendissimae

addictissimus in Christo
✠ Ioseph-Maria Martin
Rothomagensis Archiepiscopus
Normanniae Primas

I – De re liturgica

1. *De liturgica emendatione*

Optandum mihi videtur ut quam celerrime regularum et liturgicorum librorum summa recognoscatur eodem modo et studio quo Hebdomadae Sanctae liturgia emendata est Breviariumque simplicius effectum, quo clerus et christianus populus non minus, sed melius orent.

Id agitur ut ita regulae librique simpliciores reddantur, ut ex eis tollatur quod longius sit aut duplicatum et, generaliter, omnia quae, per saecula addita, spiritali nota quae sit permansura careant.

Quae emendatio, mea quidem sententia, non inopem liturgicam

traditionem efficere neque in eius locum artificiosam linguam substituere, sed divitias doctrinae et disciplinae quibus ea traditio abundat pie et accurate servare debebit. Per amplius mille annos viri liturgiae periti, usu docti, hanc miram divini cultus dispositionem finxerunt, qua tot rerum scriptores delectati sunt et tot fideles nunc melius perspiciunt aut inveniunt « primum necessariumque mentis christianae fontem ».

Ut haec emendatio optime cedat, plures animarum pastores liturgicae pastoralis periti, historici eruditi et fidi, idoneique caerimoniarum magistri simul erunt consulendi.

Hoc opus a S. S. Pio XII feliciter inceptum eo urgentius factum est quod, omnibus fere locis, augentur difficultates ortae adversus spiritalem vitam Christifidelium et Evangelii diffusionem, non solum celeri et ingenti conversione rerum quae ad hominum societatem, animi cultum oeconomicasque institutiones pertinent, sed etiam gravi sacerdotum penuria atque minis sectarum eorumque qui omnia corporea constare natura putant at quorum infesta doctrina, aestus modo, per terrarum orbem diffluit.

Hebdomada Sancta feliciter et opportune restituta, numerus crescens missarum quae vespere celebrantur, Sacraque Eucharistia saepius recepta, ex quo Eucharisticum ieiunium a Sancta Sede mitigatum est, insigni modo ostendunt quot et quanta beneficia eveniant e liturgicis regulis prudenter ad vitae novas conditiones huius temporis accomodatis.

2. *De liturgica lingua*

In hac emendatione, linguae liturgicae electio maximum locum tenere debebit, si volemus populum christianum diligenter et reipsa publicae orationis Ecclesiae participem esse, ut semper optavit Sancta Sedes, secundum verissimam traditionem.

Existimo normas definiendas esse quibus vulgari sermone largius et frequentius uti liceat, strictissime servata liturgica unitate Latinae Ecclesiae gestuum usu similium et praescriptorum linguaeque latinae — quae est Ecclesiae latinae vivens et propria lingua — in missae et officii praecipuis partibus, ita ut fideles diverso sermone utentes in communi oratione facile inter se cognoscere et coniungere possint.

II – De re administrativa

Cum res sic se habeant, opus esse mihi videtur ut Romanae Congregationes constitutionem suam dilatent, quo plenius et citius quotidianis necessitatibus Universalis Ecclesiae satisfaciant.

Numerus crescens Cardinalium et promotio Hierarchiae in novis nationibus, nonne signa sunt insignis incrementi Ecclesiae, quod alios eiusdem generis effectus edere debeat, quorum aliquot exponam?

a) Nonne optandum est, exempli causa, ut Eminentissimi Cardinales conveniant, non solum quando fit Conclave, sed etiam saepius, fortasse etiam statutis temporibus, ut animadversiones consiliaque inter se communicent, de statu ecclesiarum in diversis Orbis regionibus referant, itaque efficacius Universalem Pastorem in Ecclesia regenda adiuvent? Quod olim concipi non poterat, hodie tam facile efficitur! Nonne civitatum principes nunc saepius quam unquam alias conveniunt?

b) Nonne etiam optandum est ut numerus et constitutio Tribunalium Romanorum ad crescentes necessitates Universalis Ecclesiae accommodentur, ita ut:

Episcopis non opus sit ut ad Sanctam Sedem recurrant de rebus quae ubi factae sunt resolvi possunt. Quod immoderate negotia in unum coguntur periculum est ne moras saepe afferat et responsa non absolute congruentia unicuique rei tractandae;

res, praecipue matrimoniales, citius et omni ope, quantum fieri poterit, excutiantur et resolvantur;

in Urbe, adsint plus Consultorum et Secretariorum e diversis nationibus oriundi, quo Universalis Ecclesiae fidelior imago sit in quotidianis negotiis gerendis? Res enim multae, quae aliae sunt in aliis locis, stabilem opem adiutorum ex iis nationibus ortorum in quibus evenerunt requirere mihi videntur.

III – De re canonica

Nonne nonnullae *Codicis Iuris Canonici* partes recognosci emendarique debebunt ab Oecumenico Concilio, attente spectato terrarum orbis statu, qui tantum mutatus est, ex quo Codex editus est? Recognitio et accommodatio ad conditiones mentemque huius aetatis optabiles mihi videntur esse, in multis Codicis locis, exempli causa:

Quod attinet ad delicta et poenas nonne magis implicatum est quam ut sit efficax? Nobis quaerere licet metusne ecclesiasticarum censurarum aut poenarum quae medicinales dicuntur talis sit ut mentes aetatis nostrae hominum vere et efficienter moveat?

Item de indice librorum prohibitorum? Quid de eius efficacitate?

Disciplina ieiunii abstinentiaeque, definita ut nunc, adhuc efficax est? Num finem assequitur? Nonne est quod aliter servetur habitus ususque poenitentiae in Christifidelibus?

Num notio « beneficiorum ecclesiasticorum » congruit menti et ne-

cessitatibus huius aetatis cleri, cui opportune curae maiori est apostolatus quam redituum possessio? Nonne pastoralis sensus, mire in quibusdam canonibus descriptus, Codicis universo textui altius iniici possit, beneficiorumque notio minorem locum in eo tenere?

A S. S. Pio XI Actio Catholica in Ecclesia splendide crevit, afflante Spiritu Sancto. Nunc melius intelligimus apostolatum destinari non solum Episcopis et presbyteris, sed etiam omnibus baptizatis et confirmatis, qui ad diligenter et una laborandum cum Hierarchia vocantur.

Si Codex recognoscetur, nonne opportunum erit:

a) Vaticani Concilii praecepta complere Theologia Episcopatus exponenda, qui collegialiter Summo Pontifici iunctus cum eo Orbis evangelizandi officio universus fungi debet, quod tam vehementer affirmatum est a S. S. Pio XII in Encyclicis *Fidei donum.*

b) Addere documenta a SS. Pontificibus huius saeculi edita de iuribus et officiis laicorum?

Ita, dum fit in Orbe acerrima et spiritalis pugna, Ecclesia appareat usque in textibus *Codicis Iuris Canonici* ut maximus pacificusque exercitus, cohaerens et bene instructus, a Summo Pontifice usque ad humillimum e Christianis, ad diffusionem et adventum regni Dei per terras.

66

Exc.mi P. D. CLAUDII FLUSIN

Episcopi S. Claudii (Saint-Claude)

Fons-le-Saunier (Iura), le 1 septembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteris die 18 iunii 1959 datis (Prot. I C/59-1146), benigne me rogare voluit Eminentia Tua Reverendissima, qua Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico Praeses, ut huic Commissioni communicem animadversiones circa res et argumenta quae in Concilio tractanda mihi videantur.

Libentissime, huiusmodi res et argumenta sic expono:

I. Doctrinae capita

1. Admodum opportune, Concilium Christifideles commonebit de habitu quod gallice nuncupatur « *Le Sens de Dieu* »; hodie enim, plures, etiam christiani hominem habere ut finem ultimum, Deoque substituere intendunt (anthropocentrisme):

certandi causa adversus materialistas et marxistas, ut multi eos audiant, nonnulli christiani facilius assumunt philosophiam personalisticam vel idealisticam, et « subiectivismi » fautores efficiuntur;

notio peccati inde corrumpetur: iam multi nesciunt peccatum esse legis divinae violationem; conantur « ethicam sine peccato » instituere; nonnulli fideles et sacerdotes normis a theologia morali traditis « pseudo-mysticas » (« mystique de l'apostolat », promotion ouvrière, union des églises, etc.) substituere intendunt, eoque delabuntur ut etiam Decalogi praecepta solutiore animo frangant;

plures christifideles, in Consociationibus Actionis Catholicae militantes (et, a fortiori fideles rudiores), religionem habent ut medium ad temporalem vel humanum, etiam aliquando politicum, finem assequendum; in Actione Catholica non aliud quaerunt nisi adiumentum ad actionem temporalem, nec agnoscunt quae sunt Dei, nec quae Ecclesia docet;

ergo, essentia « vocationis » falso intelligitur: qui a Deo vocatus est, Deo respondere debet, Deoque et Ecclesiae servire; sed plures confessarii et auctores docent oporteret sacerdotem vel religiosum, vocationi respondentem, eius personae plenitudinem invenire ac faustam vitam cedere. Inde plures sacerdotes infaustas res superare non possunt et exspectant donec eius Ordinarius eis officium magis idoneum conferat.

2. Doctrina *circa mundi creationem atque hominis originem,* a multis catechistis vel concionatoribus tradita, non parat adolescentes ut in studiis scientificis circa materiae, vitae et hominis creationem christianam fidem servent.

Igitur, optanda est synthesis positiva, simplex, circumscripta et tractabilis circa creationis, originalis peccati dogmata; quae synthesis, in libris et conferentiis tradita, ad fidem adolescentium tuendam perutilis erit.

3. *De Ecclesia Christi,* denuo affirmari oportet quae sint iura et obligationes Episcoporum, sacerdotum, religiosorum et laicorum in Ecclesia sub Romani Pontificis auctoritate; quae dogmatica de Ecclesia synthesis decretis disciplinaribus continuari poterit:

de dioecesibus et de entibus magis ac magis necessariis ut Ecclesiae missio in unaquaque natione ordinetur;

de missione religionum virorum vel feminarum in Ecclesia; Codex enim Iuris Canonici imprimis de sodalium perfectione acquirenda tractat, et locorum Ordinarii auctoritate carent ut pia opera convenienter inter Instituta dividant;

de Actione Catholica (quae sit, quomodo ordinanda sit, quae sint eius iura obligationes, etc.) (vide etiam infra II, 1).

II. De disciplina cleri et populi christiani

Valde optanda est Iuris Canonici revisio, cuius saltem mentem, conceptum ac praecipua capita Concilium per seipsum decernat.

1. Imprimis, perutile mihi videtur in *Codice I. C.* instituere liminarem librum *De Iure Ecclesiae Publico,* in quo:

exponantur dogmatica Iuris Publici Ecclesiae fundamenta;

explicetur uberius iuridica Ecclesiae constitutio (praesertim suprema Romani Pontificis potestas; potestas episcopalis; religiones, qua entia ad bonum commune et socialem Ecclesiae missionem ordinata; principia laicorum apostolatum in Actione Catholica regentia) (vide supra I, 3);

Ecclesia, qua societas perfecta, sua iura erga Statum vindicetur;

denique exponantur principia in materiis mixtis, praesertim de matrimonio, de familia qua societate imperfecta in Ecclesia et Statu, de educatione et scholis, etc.

Quae Iuris Publici Institutiones profuturae sunt:

clericis, qui relationem inter dogmaticum de Ecclesia tractatum et iuridicam Christi Ecclesiae constitutionem melius intelligent;

laicis, qui magis ac magis sentiunt Statum omnis iuris fundamentum esse, ut infra dicetur (III, 1).

2. Omnino *recognoscendi libri IV et V C.I.C.* videntur: censurae, praesertim « latae sententiae », plures magisque diversae sunt; igitur, minus efficaces factae sunt. Cur unicum manet peccatum Sanctae Sedi reservatum, cum censura huic peccato adnexa specialique modo Sanctae Sedi reservata eumdem finem satis attingat?

3. *Ad clericos quod attinet*:

de beneficiis ecclesiasticis: in praesenti Ecclesiae statu, praesertim in Gallia ob maxime incongruos beneficiorum reditus, haud opportunum iam videtur officia beneficialia a non beneficialibus distingui. Imprimis, officium ecclesiasticum in ordinem ad spiritualem finem dirigatur! Officia, etiam cum animarum cura, stabiliter conferantur, sed non ad beneficiarii vitam; quia nunc homines diutius vivunt et senes sunt, et quia nunc episcopi et parochi multum agere debent, optandum est ut aetas definiatur ultra quem utrique officio renuntiare debent, nisi Sancta Sedes vel Ordinarius, in singulis casibus omnia perpendens, ob peculiaria adiuncta officium ad tempus retinendum esse existimet.

Hodie enim, plures sacerdotes, viribus pleni, in minoribus paroeciis parum laborant, cum plures sacerdotes in maioribus senescunt, quamvis muneribus parochi rite obeundis impares; raro parochus senescens re-

moveri ad normam iuris potest, quia hic procedendi modus sacerdotem bene merentem valde humiliat.

De horis canonicis: firma maneat obligatio gravis quotidie canonicas horas integre recitandi secundum proprios et probatos liturgicos libros; sed oportet breviarii romani reformationem, quamprimum conficiendam, decernere; praesertim optandum unicam psalmorum versionem imponi, ac lectiones ad II nocturnum assignatas corrigi.

4. *Ad laicos quod spectat*:

accommodentur *de librorum prohibitione* leges, ut Christifideles libros prohibitos a libris simpliciter non probatis melius distinguant;

quoad ieiunium et abstinentiam: quamvis divina paenitentiae lex retinenda sit, ecclesiastica de ieiunio et abstinentia lex saepe aegre servatur: nunc, ob itinera vel extra domum comedendi necessitatem, multi fideles ad Codicis normam ieiunii et abstinentiae legem servare iam non possunt; vel iam nesciunt quae sint paenitentiae dies ob frequentiores mutationes vel dispensationes (e. g. nuper, in Assumptionis B. V. M. vigilia, ieiunium et abstinentia vigebant; anno currente, nec ieiunium nec abstinentia); igitur, non pauci in contemptum legis impelluntur.

III. Aliae maioris momenti quaestiones

1. Concilio affirmandum mihi videtur: *Statum solam iuridicam societatem non esse!* Scilicet, Statum non esse solum possessorem ac dispensatorem omnium mediorum atque iurium.

Status auctoritas iure naturae, propria Ecclesiae auctoritate, necnon aliorum Statuum iuribus limitanda est; vindicanda est ethica inter nationes, ne terrarum orbis vi et bello usque ad perditionem submergatur.

Doctrina a Romanis Pontificibus exarata, ab Encyclicis *Immortale Dei* et *Libertas* usque ad documenta a Ss.mo Pio XII edita, ad huiusmodi synthesim conficiendam valde utilis erit.

2. Examinanda est doctrina *de bello et pace* in ordine ad hodierna adiuncta.

3. Item, *doctrina circa iustitiam socialem* omnibus hominibus et populis commonenda est:

intra Status fines: evocetur Ecclesiae doctrina, quae sapienter in medio stat, finem praescribens proprietatis iuris possidentisque obligationes, sed etiam excessus reiciens « socialismi » humanam libertatem tollentis;

extra Status fines: eadem doctrina evocanda est, ut diversi Status vicissim sibi subveniant ad famem tollendam; ad opes et facultates melius

dividendas; ut ditiores nationes adiuvandi libere indigentes populos obligatione consciae efficiant.

Interim, amplissimos obsequii sensus significo

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimus

✠ Claudius
Episcopus S. Claudii

67

Exc.mi P. D. HENRICI BRAULT
Episcopi S. Deodati (Saint-Dié)

Prot. N. I C/59-1147 Epinal, le 2 octobre 1959

Eminentissime Seigneur,

J'ai reçu, le 20 juillet, la lettre que vous aviez bien voulu m'adresser, à la date du 18 juin, au sujet du futur Concile annoncé par S. S. Jean XXIII.

Veuillez m'excuser d'avoir tardé à vous répondre. La raison en est que j'ai été chargé par l'Assemblée des Cardinaux et Archevêques de France d'une enquête apostolique et d'un compte rendu qui m'ont demandé beaucoup de temps: je ne pouvais guère mener de front ces deux travaux importants.

De plus, il a fallu du temps pour consulter des prêtres plus spécialement indiqués, et recevoir leurs avis.

Je veux espérer que vous comprendrez mes raisons et que vous accueillerez le document ci-joint qui contient mes « vota ».

D'une manière générale, il me semble qu'il serait utile de faire entériner par le Concile des décisions importantes prises par les derniers Pontifes et auxquelles le Concile donnerait une plus grande portée.

Par ailleurs, j'ai voulu répondre au désir du Souverain Pontife qui a déclaré vouloir présenter au monde d'aujourd'hui une Eglise catholique « mise à jour », et dont une des intentions déclarées est d'amorcer un retour à l'Unique Eglise de Jésus-Christ des chrétiens séparés.

Daignez, Eminence Révérendissime, agréer l'expression de mon profond respect in Christo.

✠ Henri Brault
Evêque de Saint-Dié

Sollemniter condemnetur « marxismus », servatis omnibus varietatibus et distinctionibus requisitis.

Instanter socialis Ecclesiae doctrina revocetur.

De liturgicis quaestionibus

Continuanda et in universum praecipienda est sacra liturgia (Missa pontificalis, Missa sollemnis, etc.) *ex sententia et scripto hebdomadae sacrae recenter instauratae,* id quidem ut fidelibus potestas fiat Missae magis etiam acriter et salutariter communicando audiendae.

Liturgicae autem linguae quaestio opportune proponi potest, cum Ecclesiis quibusdam orientalibus « Uniates » dictis, et quibusdam populis, nonnullae permissiones sint iam concessae.

Itaque videtur, latinae linguae usu servato quoties diversae nationes inter se conveniunt, quaeri posse nonne largius adhibenda sit vernacula lingua, quae ab omnibus intelligitur, cum, contra, latina lingua proprie et unice adhibita, persaepe definiendo sit explananda, quod precum ordinem interrumpit.

Prioribus autem christianae religionis temporibus, lingua latina Ecclesia proprie usa est, quae lingua facta erat vernacula, cum homines graeca lingua loqui desiissent.

Testibus vero Tridentini Concilii historicis, Episcopi (Pastores) Missae lingua vernacula faciendae favebant. Theologi tamen, quippe qui Protestantibus obsisterent, retinendam linguam latinam curaverunt. Capitulum quidem disciplinam regens liturgiam valere asciscit et melius intelligi si vernacula uniuscuiusque gentis lingua conscribatur, at eam intempestivam existimat. Etenim maxima erat controversia cum Protestantibus qui validitatem et linguam inter se connexa et apta esse arbitrabantur.

Quod autem sexto decimo saeculo intempestivum esse videbatur, id tamen vicesimo saeculo non tantum opportunum, sed etiam necessarium factum esse potest.

Missa pontificalis nonne, si quid ita contingeret, simpliciori modo celebrari posset? Quod si fiat, paroeciae quaedam licet paucissimi clerici adsint aliquando Missae pontificali interesse possint.

Expedit fortasse nonnullas preces quae olim ad certum destinatum pertinebant contra pericula quae tunc imminebant fideles *obligare desinere.* Etenim novae preces praescribuntur cum interea veteres, praesenti fine orbatae, tamen permanent.

De Clericis

De Breviario

In emendatione quae probabiliter est in cursu, fas est distinguere:

a) Officii divini *choricam celebrationem* monasteriis et canonicis conventibus reservatam quorum causa praesens officium effectum conficitur.

b) *Privatam recitationem* quae ad cleri saecularis sacerdotes spectat. Hi enim sacerdotes ministerio suo occupantur, quorum valde interest brevius officium recitare, quale est paschalis hebdomadis, facilius recitatu officium, sine dialogo.

De Episcopis

Episcoporum munus et potestas.

Huic quaestioni studendum est quam Concilium Vaticanum ingredi nequivit, non ut Summi Pontificis officium et munus minus efficiatur sed ut quasi libretur et aequum iustumque locum in apostolico episcopatus collegio obtineat. Exsistit enim quaedam quasi solitudo Summi Ecclesiae Ducis et Magistri, quae magis magisque abhinc hos nonaginta annos aliquam « hypertrophie » gallice dictam potestatis « capiti » propriae effecit.

Episcopale vero munus definiendum sit et determinandum:

1. *Quod ad Romanum Pontificem attinet.*

Ecclesia est penitus constituta a Petro et iis qui sunt cum illo, id est ab apostolico collegio, cuius primus nucleus erat a Duodecim Apostolis formatus, Petro duce, quibus postea alii apostolici nuntii sunt adiuncti subinde prout Ecclesia extendebatur.

Christi autem Traditio est apostolicum collegium in summa sua et unitate consideratum. Episcoporum vero summa, qui Apostolis successerunt, apostolicum collegium constituit ad quem proprie pertinet custodire et propagare evangelicam Traditionem, Ecclesiamque servare ac evolvere.

Summus Pontifex est auctor et interpres per quem infallibiliter exprimitur fides et tota Christi Traditio, quam velut seminando propagat. Namque in Illo omnes qui Apostolis succedunt visibile et efficax unitatis centrum habent; in Illo quoque securitatis cautionem reperiunt. Ideo Papa est quasi vinculum apostolici collegii, episcopalis communionis centrum, quasi natus maximus inter Episcopos quos venerandos fratres presse nominat.

At, cum multi nunc ad hoc credendum proni sint, Episcopus non est

simplex praefectus, aut Summi Ecclesiae Ducis procurator, quippe qui sit Eius collega, cum Eo coniunctus, et per Eum cum tota collegii episcopalis universitate.

Quo fit ut *libertas* quaedam, « *décentralisation* » gallice dicta, ex eo facto consequi possit, quam multi Episcopi magis ac magis necessariam esse existimant.

Illis enim videtur fieri non posse ut difficiliores quaestiones Ecclesiae in diversis orbis terrarum regionibus universali explicatione solvi queant.

Episcopale vero collegium unicuique regioni proprium, circa Primatem vel Patriarcham coniunctum (utpote vera iurisdictione usum) et accepto regendi mandato, difficultates et opes regioni proprias novit, cum regionis moribus, et ingenio et cultu diversis, reperiri posset quomodo quaestio solvi debeat. Quae omnia, iterum dicimus in communione cum Petri successore, qui fidei unitatem servat.

Fidei autem unitas non exigit ut disciplina ubique eadem Ecclesia tota utatur. Exsistunt enim discrimina quae eam confirmant nedum ei noceant. Nonne licet sint iuste ac legitime variae formulae ad hanc eamdem fidem exprimendam idoneae, sicut Sanctus Ambrosius olim efflagitabat?

Etenim — exempli causa — liturgica traditio Romana gaudium sibi effingit per album colorem et Pascham alba veste celebrat. Cur tamen diversa traditio, diversus usus Sinensi regioni imponitur ubi niger color gaudium, albus vero luctum significat?

Ita error commissus est, cui nunc occursum est in Sinensibus ritibus.

Quicquid ad liturgicam linguam attinet hoc modo consideratur (vide p. 392).

Indulta quippe incommodis nimiae istius quasi conglobationis (gallice: centralisation) occurrerunt, quae sunt saepissime concessa, quadraginta abhinc annos, rerum causa seu gravium seu minorum quae ad dioecesim regendam spectabant, seu etiam alicuius exceptionis causa.

Plurima et multigenera haec Indulta semper conceduntur. Cur Episcopis non concedantur ampliores et plures in usu facultates? Pro facultatibus ad viginti, quinquaginta, centum casus restrictis, haec nova et larga concessio potestatem postremo agnosceret, quae paulatim est alligata.

Exempli causa: num monachis in monasterio clausis exire liceat peculiaris curationis causa Episcopus iure iudicare potest. Cur ergo haec facultas ita limitatur ut ad Romam sit recurrendum?

Si, pro causa gravi, Episcopus cupit clericos ordinare, die Codice non praevisa, licet res non sit magni momenti, Romam tamen est recurrendum.

Concessa autem hac facultate, recursuque omisso, postulari posset ab

Episcopis, exempli causa die visitationis ad limina, quibus casibus immutationes concessissent.

Hoc modo praeterea vitarentur quaedam inconstanter facta a Romanis Congregationibus. Accidit enim ut de iisdem postulatis et de iisdem rebus et causis, Romae responsa omnino dissimilia, vel etiam opposita facta essent.

Nonne *suggeri* possit *Primatum* aut *Patriarcharum creatio* in regionibus ad christianam fidem conversis neque sunt « Occidens », eodem modo quo ante schisma erat Orientis Patriarcha (Constantinopoli) cuius iurisdictio usque ad patriarchae munera qui dicebantur graecus, coptes, syrus (Alexandriae, Antiochiae...) extendebatur.

Nonne sic iam Sancta Sedes egit erga parvas ecclesias « uniates » dictas, quarum privilegia in controversiam nunquam sunt adducta.

Nonne essent quasi prima mentio et invitatio facta Patriarchis orientalibus nunc etiam schismaticis? Nempe ii nunquam muneris sui privilegia deponerent, sed, contra, sperare possent se illa privilegia servaturos, si ad Unitatem redirent?

2. *Quod ad presbyteros « secundi gradus ».*

Vide infra: « De Ordine ».

3. *Quod ad laicos.*

Vide infra: « De laicis ».

De laicis

Optandum est ut laicorum status elaboretur.

Laici enim sunt unum ex duobus Ecclesiam constituentibus elementis: Populus Dei, quem Apostoli instituere debent.

Alterum Ecclesiae elementum est « Apostolicitas » id est eorum munus qui Apostolis successerunt (Episcoporum). Presbyteri autem sunt cooperatores experiendo necessarii Episcopatus, eorum tamen munus non est Ecclesiae constitutivum.

Actio Catholica.

Eius naturam et animum introduci deceat in Iuris canonici scriptum Codicem, dupliciter directum, id est generatim et speciatim, et simul ex Hierarchia semper pendentem.

Actionis Catholicae opera laici locum suum in Ecclesia constitutivum iterum reppererunt. Ecclesia enim laicorum munus maxime apostolicum proponit et repraesentat.

Quicumque Confirmationis Sacramento est insignitus eum elaborare oportet ad Dei regnum illustrandum actione et vi quae modis valde diversis exerceri possunt.

De Confirmatione

Nonne Confirmationis administrandae ius extendi possit ad alios presbyteros, seu ipso iure seu delegante Episcopo, exempli gratia ad Vicarium Generalem.

Eam autem extensionem seu delegationem comprobari fas sit quod praesens Episcoporum ministerium gravibus oneribus est obnoxium.

Ceterum facultates nuper concessas in Codicem introduci deceat vacare priore recursu ad Episcopum aut ad loci parochum, cum experientia constet parochum semper impediri: ideo Cappellani discursus inutilis esse videtur.

De Eucharistia

Concelebratio prospici possit, saltem in quibusdam adiunctis peculiaribus, quae legitimo desiderio respondeat et interdum necessitati consonae celebrationi dignae et decenti Sancti Sacrificii.

Sic, 1) in Cena Domini, multi sacerdotes in urbibus Missam non celebrant eo ipso die Institutionis Sacrae Eucharistiae et Sacerdotii.

2. Per spiritualia exercitia.

3. In peregrinationibus sacris (Lourdes, ...): Sacra Missa ibi interdum pravis conditionibus celebratur.

Illa autem concelebratio fieri non possit nisi circum Episcopum.

Lex Eucharistici ieiunii: utinam eadem fiat et fidelibus et presbyteris: a fidelibus exigitur unius aut trium horarum intervallum ante Communionem; a sacerdotibus unius aut trium horarum intervallum ante Missae initium.

Nova haec legislatio in Codice inseratur.

Tempus Paschale nonne longius reddi possit, ante et post Pascham? In Gallia et probabiliter in multis aliis regionibus, Episcopi tempus Paschale extendunt ultra dimidiatum mensem in Codice fixum, scilicet usque ad unum mensem, aut etiam ad sex hebdomadas.

Si ita fit quasi constanter et omnium consensione, nonne haec consuetudo lex generalis fieri possit?

De Ordine

Diaconatus.

Nonnulli theologi diaconatus dignitatem restituere conantur: sic Clerici Diaconi permanerent quamdiu viverent.

Proponunt etiam in quaestionem diaconorum illorum caelibatum.

Memorant etiam erga Ordines minores Concilium Tridentinum restitutionem in usu postulavisse.

Concilio autem statuendum erat utrum illa conquisitio confirmanda esset an arcenda.

Sacerdotium.

Valde expediat presbyterorum Sacerdotio locum dare comparate ad Episcopum. Utrum « secundi gradus » sacerdos esset quasi ligatus Episcopus, reducta potestate praeditus, an contra Episcopi cooperator et adiutor, pleni Sacerdotii particeps Episcopi relate ad Eucharistiam et Verbi ministerium, cum tamen Episcopus essentialiter permaneret in officio suo, ut Apostolorum successor, Christi Traditionis custos in Collegio apostolico?

De Matrimonio

Suppressio quorumdam impedimentorum minorum optanda esse videtur: scilicet:

consanguinitatis in 3° gradu;
affinitatis in 2° gradu;
cognationis spiritualis.

Matrimonium sub conditione: vetitum sit quodlibet matrimonium sub conditione contractum (Cf. *Ecclesiae orientalis Codex*).

De separatione coniugum.

Recursus ad Ecclesiam exigendus esset strictius a coniugibus qui inter se separant.

Id autem praescribit Codex in quibusdam casibus. At coniuges inter se separantes fere nunquam ita recurrunt. Officialitates quidem separationis causarum fere nunquam litem ordinant, quod quidem institutioni matrimonii nocet, quam firmari opus est.

Separatio quidem possit simplici administrativae sententiae subiici.

De abstinentia et ieiunio

Quoad abstinentiam feriae sextae: paenitentia quaedam constituatur cui subiaceant homines nostrae aetatis.

Feriae sextae abstinentia eo modo observatur ut vera paenitentia esse desinat, namque pisces, panificium vel pemma carnis locum obtinent, nec minima requitur paenitentia .

Ceterum, in quibusdam regionibus (Hispania) haec paenitentia remittitur.

Quatuor Temporum ieiunium in honorem reduci deceat, suppresso

vigiliarum ieiunio. Ita, cum Cinerum feria et die Passionis dominicae, sex ieiunii dies quotannis essent.

De ieiunii natura. Supprimatur quidquid ad qualitatem et quantitatem ciborum pertinet licitorum mane et vespere secundum locorum usus (can. 1251, § 1), id enim locum dat tabulis nimium longis et disputationibus obnoxiis.

Potius statuatur: unum prandium verum et completum (vel una cena ...); in ceteris autem prandiis vel cenis, dimidium ciborum qui ceteris diebus sunt liciti.

De beneficiis ecclesiasticis

Tota haec legislatio est penitus mutanda, quippe quae rebus non iam respondeat, exceptis nonnullis regionibus ubi nunc etiam Ecclesiae bona exsistunt.

Ceterum quae exstat legislatio potest esse impedimentis vel difficultatibus obnoxia quae pastorali et apostolicae actioni nocerent.

In Gallia non iam in usu sunt beneficia. Denarii cultus collatio Clerum ad vivendum adiuvat, factum cuius est habenda ratio.

De Beatificatione et Canonizatione

Quaeque beatificatio aut canonizatio sunt *sumptibus oneratae flagitiose nimis.*

Itaque dioecesis quaeque pauper nequit tantos sumptus inire et ferre. Ea de causa, causae quae possent esse utilitati et bono Ecclesiae impediuntur.

Praelatorum « luxus » valde minuendus sit, non solum ad firmandam Ecclesiae defensionem vel apologiam erga Protestantes, exempli causa, quibus Ecclesiae facies quasi ad iuventutem redacta esset ostendenda, sed etiam ut secundum Evangelium magis et melius viveretur.

68

Exc.mi P. D. FRANCISCI MARTY

Episcopi S. Flori (Saint-Flour)

Prot. N. I C/59-1148 Sancti Flori in Gallia, 30 augusti 1959

Excellentissime Domine,

Ad litteras die 18 iunii 1959, transmitto animadversiones Commissioni antepraeparatoriae pro Concilio oecumenico propositas:

Inter plura et praecipua capita in re sive doctrinali, sive disciplinari vel pastorali, quae temporibus hodiernis meo indigno iudicio maximi momenti apparent, imprimis exponenda, enucleanda et definienda mihi videtur:

sacerdotii et vitae religionis natura;

clericorum, novitiorum, necnon neosacerdotum formatio hodiernis temporibus aptata;

regula vitae, vestitus ,etc. sacerdotum;

pastoralis actuositatis Ecclesiae aptatio in hodierna societate;

actio addititia tum cleri saecularis, tum ordinum religiosorum;

pars propria laicorum in munere apostolico Ecclesiae;

recognitio provinciarum ecclesiasticarum, necnon dioeceseon circumscriptionis: plures enim sunt dioeceses quorum sive maxima, sive minuscula mensura actionem episcopi non favet;

Metropolitarum officii melior definitio.

Et Deus adiuvet...

✠ Franciscus Marty
Episcopus Sancti Flori

69

Exc.mi P. D. JOELIS BELLEC

Episcopi Maurianensis (Saint-Jean-de-Maurienne)

le 30 septembre 1959

Eminentissime Domine,

Veniam faveat mihi dare Eminentia tua quod tam sero respondeo litteris a te missis circa futurum Concilium.

Inter graves quaestiones quae mihi videntur proponendae Concilii

Patribus, sunt quae spectant ad « Unionem christianarum Ecclesiarum » et ad « Episcopatum » (resumendo propositum non exactum Vaticani Concilii).

Accipiat, quaeso, Eminentia tua reverentiae et caritatis in Christo animi mei sensus et Deum precor pro fausto futuri Concilii eventu.

✠ J. Bellec
Ep. Maurianensis

70

Exc.mi P. D. OCTAVII PASQUET
Episcopi Sagiensis (Sées)

qui responsum dedit una cum

Exc.mo P. D. ANDREA PIOGER
Episcopo tit. Trimithusiae, Auxiliari Sagiensi

Sées, le 24 septembre 1959

Excellentissimi Domini,

Excellentissimus et Reverendissimus Dominus Octavius Pasquet, Episcopus Sagiensis, propter aegritudinem et aetatem provectam, a me, Auxiliario Episcopo, petiit ut ego ipse responsum darem epistulae vestrae (I C/59-1249).

At haec vota quae ego in hisce litteris transmitto ab ipso approbata fuerunt.

Excellentiarum Vestrarum Reverendissimarum addictissimus in Domino servus

✠ Andreas Pioger
Ep. Auxiliaris

Eminentissimi ac Reverendissimi Domini,

Nos, Andreas Pioger, Episcopus Auxiliaris pro dioecesi Sagiensi, tit. Tremithusio, perlibenter exponimus Pontificiae Commissioni antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico queadam vota et animadversiones circa res quae futuro Concilio tractari poterunt.

I. *Quaedam doctrinae capita*

1. Valde opportunum videtur concilium enucleare *doctrinam Fidei* ad complendam expositionem quae Patres concilii Tridentini declararunt contra Protestantes, scilicet:

a) quoad *naturam et munus Fidei,* speciatim in ordine ad Sacramenta;

b) quoad *fontes Fidei,* Scripturam Sacram et Traditionem;

c) quoad munus *Theologiae;*

d) quoad *paedagogiam Fidei* in mundo hodierno evangelizando.

2. Non minus opportunum videtur Concilium, ad complendum Concilium Vaticanum, dilucide fortiterque exponere *doctrinam circa Ecclesiam Christi,* quoad naturam suam mysticam et quoad quaedam sua organa, scilicet Episcopatum, Diaconatum, Laicatum.

II. *Quaedam elementa disciplinae ecclesiasticae*

1. Pergrata et valde opportuna esset quaedam hodiernis conditionibus adaptatio exigentiarum quoad *iurisdictionem pro validitate Sacramenti Poenitentiae*: Sacramentum misericordiae et liberationis spiritualis est Sacramentum quam maxime alligatum, idque nonnumquam ad damnum animarm.

2. Quoad *disciplinam Cleri*:

Multi sacerdotes exoptant ut, post plures annos ministerii apostolici, saepe difficilis et animas frangentis, adsit *obligatio intermittendi laborem apostolicum,* ad vacandum, in domo communi, orationi, cogitationi, studio, per duos vel tres menses.

3. *Officium divinum* esset instrumentum perfectum orationis et laudis, et clerici fidelius et studiosius horas canonicas recitarent si errores historici corrigerentur et si adesset accuratior selectio textuum Scripturae Sacrae et Patrum.

III. *Quaedam actuositates*

1. Utinam sollicitudo pastoralis quae tam egregie fulget in *Instructione SS. Congregationis Rituum,* 3 septembris 1958, quamprimum exprimatur in textibus et libris liturgicis, munusque populi fidelium ibi tam dilucide describatur ut clare appareat « Communitatem » partem activam habere in celebratione liturgica.

2. Valde optabilis est *imminutio rituum et coeremoniarum* in qui-

busdam magnis functionibus liturgicis (v. g. in Baptismo, in Ordinationibus, in consecratione altarium et ecclesiarum), ita ut has pulcherrimas functiones christianus populus hodiernus facile intelligat.

3. Ecclesia magis ac magis ordinetur ad suum *opus missionarium* peragendum. Proinde minuantur apparatus, pompae, ita ut tempus, vires, facultates ad orationem, ad doctrinam cognoscendam et communicandam, ad evangelizandum populum reserventur.

4. Multum minuantur *formae iudiciales* in tribunalibus ecclesiasticis servandae, et paenae ab Ecclesia latae.

5. Festum Paschae quotannis eodem die celebretur.

Faxit Deus ut haec pauca vota animadversionesque desiderio Pontificiae Commissionis respondeant et quidpiam conferat ad praecellentissimum opus futuri concilii Oecumenici.

Excellentiarum Vestrarum Reverendissimarum addictissimus in Domino servus.

✠ ANDREAS PIOGER
Ep. Auxiliaris

71

EXC.MI P. D. FRIDERICI LAMY
Archiepiscopi Senonensis (Sens)

Datur responsio documento Prot. N. 1 C/59-1258.

Senonensis Archiepiscopus, adiutores, et dioecesanus clerus grati acceperunt Summi Pontificis verbum cuius ope Oecumenici Concilii convocatio denuntiatur.

Deo preces adhibent ut eventus ille sit Ecclesiae beneficio.

Omnes enim sperant eumdem eventum esse solemnem manifestationem:

1) Unitatis Ecclesiae;

2) Caritatis quae corda hominum coniungere possit;

3) Maioris curae de sempiternis principiis ad praesentis temporis statum accommodandis.

Senonensis Archiepiscopus praecipue disputari posse arbitratur:

1) De episcopali munere, de Episcoporum regionali conventu, et de Episcopi auctoritate;

2) De laicorum actione, i. e. de Actione Catholica;

3) De immigratione et de difficultatibus quae ad eam attinent.

In canonico autem Iure exoptatur:

1) Simplificatio normarum quae iurisdictionem et alia in matrimonio celebrando spectant;

2) Facilior possibilitas curionum mutandorum;

3) Normae eaedem quoad ieiunium, abstinentiam, et ieiunium Eucharisticum, de quibus rebus simplices et clarae regulae sperantur;

4) Normarum constitutio quae certae sint in litibus administrativis, tam in re litigiosa quam criminali;

5) Normae ad baptismum impertiendum pueris quorum parentes, quamvis catholici, christianam religionem non colunt.

Item, ad sacramenta et ecclesiasticam sepulturam impertiendam eis qui, quamvis catholici nomine, christianam religionem non colunt.

In Disciplina autem pietateque, petitur ut severiores efficiantur leges praecipuae:

de liturgia;

de ecclesiastica vita;

de spirituali vita servanda.

Eos quorum est officium urgens illius Concilii parandi, adiuvare, il luminare, solari firmareque dignetur Dominus.

Senon, 29 augusti 1959.

✠ FRIDERICUS LAMY
Archiepiscopus Senonensis

72

EXC.MI P. D. PETRI DOUILLARD
Episcopi Suessionensis (Soissons)

VOTUM PRO CONCILIO OECUMENICO

I – AD DOCTRINAM QUOD ATTINET

1. *De Iuris naturalis principiis in re morali*

a) Optanda est pressior declaratio ad complendum — circa prima principia « Legis Naturalis » — quod iam declaratum fuit, sed potius de veritatibus naturalibus (v. g. existentia Dei, spiritualitas et immortalitas animae humanae), in Sess. III, Cap. 2, Concilii Vaticani, scilicet:

« Huic divinae Revelationi tribuendum quidem est ut ea, *quae in*

rebus divinis rationi humanae impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione, ab omnibus expedite, firma certitudine, et nullo admixto errore cognosci possint ».

b) Quae optata declaratio iam videtur inchoata in Epistula Encyclica *Ad Petri Cathedram,* verbis quibus affirmantur simul: et capacitas humanae rationis circa veritates morales cognoscendas, et tamen necessitas « practica » seu « moralis » Revelationis ut certe ac recte cognoscantur.

« Deus mentem nobis indidit, naturalis veritatis adipiscendae capacem. Si hanc sequimur, Deum ipsum, eius auctorem nostraeque vitae ducem ac legislatorem, sequimur; si autem ab ea, vel ob insipientiam, vel ob socordiam, ac vel etiam ob nequitiam animi recedimus, a summo ipso bono et a recta vivendi norma animos avertimus nostros.

Verumtamen, quanquam, ut diximus, *naturales veritates, ipsius mentis ope attingere possimus,* id nihilominus — praesertim quod spectat ad Religionem rectosque mores — non facile ab omnibus, nec sine admixtione errorum saepe evenit; ac praeterea quae naturae vim rationisque captum exsuperant, ad ea, nisi divino illuminante afflanteque Numine, nullo modo pertingere possumus. Quamobrem Dei Verbum etc... ».

c) Iam Pius XII curam habuit de Iure Naturali docendo, ita ut non solum omnes Philosophiae « spiritualistae » studiosos ad Ecclesiae doctrinam de rebus medicalibus, oeconomicis, socialibus, etc., iam rationi humanae perviis, acceptandam invitaret, sed etiam ita ut firmaret ipsa principia moralia perennia contra adulterationem ex parte doctrinarum evolutionistarum, aut contra relativitatem ac mobilitatem a doctrina morali « ex situatione » dicta furtive inductam.

Haec firmitas eo magis opportunae declarationis indiget quod non desunt fideles — etiam docti, v. g. medici — qui disciplinae catholicae in re morali adhaerent, sed bona fide putant eamdem disciplinam ab ipsa Ecclesia, mutatis circumstantiis, mutari posse, v. g. circa indissolubilitatem matrimonii, vel leges morales de abusu matrimonii aut de occisione foetuum (avortement).

2. *De* Iure Naturali, *ab Ecclesia interpretato et* Revelationis *doctrina completo tanquam solido ac unico « Civilisationis » fundamento.*

a) Simul cum affirmatione iuris docentis ad firmandum, clarescendum Ius Naturale, opportuna videtur nova et expressa declaratio circa magisterium Ecclesiae, non tantum in interpretando et applicando Iure Naturali, sed etiam in declarandis solis et solidis « civilisationis » vere « humanae » fundamentis, scilicet rationem habendo de concreta conditione hominis super terram, tum ex ipsa natura humana, tum ex ipsa

elevatione ad statum supernaturalem cum supernaturali destinato, tum ex ipsa generis humani historia post Peccatum, Redemptionem, ac divinam institutionem Ecclesiae, a Spiritu Sancto animatae et ductae.

b) Inde oritur cura praecavere Christifideles a multiformi ac periculoso errore quo infectae sunt variae doctrinae « Humanisme » dictae (marxismus, existentialismus, « technicismus » quodammodo divinisatus, ac tandem « Humanismus » ipse, doctrinaliter aut saltem — per Dei, Christi, Ecclesiae praeteritionem — practice « laicisatus »), quae omnes homines perfectiores aut feliciorem et « humaniorem » societatem, extra Deum, adstruere conantur.

c) Cui errori favere videntur etiam quidam fideles apud quorum mentes insufficienter fulget Christum ac Ecclesiam esse unicum fundamentum omnis « Humanismi », hominibus, Dei filiis, accommodati.

d) Forsan opportunum videretur in memoriam fidelium revocare existentiam et industriam Principis Tenebrarum, cuius maleficium, in vita individua ac sociali, passionibus aut « ideologiis » vigentibus sese peritissime accommodat, praesertim favendo omnibus quae — Deo amoto — ad divinisationem ipsius hominis tendunt, sive quoad potestatem technicam indefinite progredientem, sive quoad ipsam hominis voluntatem ut supreme dominetur orbem terrarum (et fortasse alios orbes...), independenter a Deo Creatore et Domino.

3. *De Ecclesia ipsa*

a) Apud multas Christifidelium mentes, et diversis modis, notio ipsius Ecclesiae obscurata fuit; et nova explanatio de natura supernaturali ac mystica Christi Ecclesiae opportuna videtur.

Etiam fideles non pauci, etsi institutionem a Christo et specialem, circa doctrinam ac vitae historicae decursum, protectionem divinam Spiritus profitentur, inscii aut immemores apparent erga profundiorem veritatem de Spiritus actione in Ecclesia et per Ecclesiam.

Forsan prodest invitare Christifideles, membra Corporis Christi, ut Matrem Ecclesiam considerent, non solum oculis scientiarum historicarum aut sociologicarum, sed Fidei lumine et filiali amore.

b) Inde oritur utilitas cuiusdam revocationis, apud fideles et cleros, ad dispositionem, non solum obsequentiae, sed obedientiae, etiam interioris, specialiter non praescindendo inter « obedientiam maiorem » in maioribus, et « obedientiam minorem », ut aiunt, quae proprio iudicio temperari potest.

c) Contra corruptam Ecclesiae notionem, haud minoris momenti esset amovere et reprobare tentationem cui succumbere videntur quidam

Christifideles — aut docti, aut militantes — naturae ac missionis supernaturalis obliviscendo, adeo ut Ecclesiam tanquam auxiliatricem — et quidem interdum principaliter — in progressu politico, oeconomico, sociali, saltem iuxta eorum proprias cogitationes; et facile ad quamdam desaffectionem, erga Ecclesiam, deveniunt — cum conscientiae discriminibus, aut etiam, heu!, discessionibus — quando S. Pontifex aut Episcopi erga istas opiniones in re temporali illis non videntur congruenter se habere.

4. *De « Actione Catholica »*

a) Opportuna videtur explanatio de « Actione Catholica », quoad naturam et munus fungendum in ipsa Ecclesia, et extra Ecclesiam, sive erga fideles, sive erga multitudinem, baptizatam vel non, quae a doctrina Christi longe abest, sive etiam quoad institutiones ipsas et vitae moralis et materialis conditiones.

b) De finibus distincte praesignandis inter actionem politicam, oeconomicam, socialem, legitime a Catholicis ductam, et actionem apostolicam, qua talem, de mandato Ecclesiae, declaratio perutilis esset.

c) Item de auctoritate Ordinarii, quando Associatio, ceterum utiliter, ab auctoritate extra-dioecesana pendet.

d) Item de munere « Assistentium ecclesiasticorum » (Aumôniers), sive pro tota Natione, sive pro locorum adhaerentibus et militantibus.

5. *De ipsis Episcopis*

Inde oritur valde opportuna utilitas conficiendi quemdam « Tractatum de Episcopatu » (qualis iam a Synodo Vaticana praevisus erat, quando interrupta fuit). Optare enim est ut pressius definiantur munus et facultas Ordinariorum in propria Dioecesi, sub respectu doctrinali et disciplinari et pastorali, simul ac munus et facultas Episcoporum, quando in coetu provinciali aut nationali sunt congregati.

Aliunde talis quaestio solvenda simul a declaratione doctrinali pendet, et a Regulis in *Codice Iuris Canonici* redigendis.

II – Ad disciplinam et revisionem Iuris Canonici quod attinet

A) *In genere*

a) Convenienter prioribus dictis, facultates Ordinariorum, in propria Dioecesi, utiliter ac opportune extendi possent ut de causis ac rebus statuere queant quarum plena et concreta solutionis elementa colligere possunt, et super quae, obsecrante Ordinario, S. Sedes favorabiliter re-

scribere solet. (Inde quaedam imminutio ac celeritas in procuranda solutione).

b) Ad minus, nonne facultates, pluribus Ordinariis concessae, omnibus Ordinariis ab ipsa Lege concedi possent?

B) *In specie*

1. *Quoad Iurisdictionem*

a) Exoptatur explanatio de natura et extensione « erroris communis », speciatim circa sacramenta Poenitentiae et Matrimonii.

b) Nonne tutius ac expeditius esset ministerium Parochi recenter designati, si potestas ordinaria illi iam ab officiali nominationis notificatione collata esset, ante canonicam possessionis captionem, speciatim erga sacramenta Poenitentiae et Matrimonii.

2. *De Poenitentiae sacramenti administratione*

a) Nonne facultates Confessarii expeditiores fieri possent per apertiores Regulas circa casus « reservatos » (sive propter se, sive propter censuram)?

b) Censurae ipsae non paucis videntur — et in se, et quoad conditiones ad illas incurrendas — nimis multiplices, et nostris necessitatibus non iam accommodatae.

3. *De Matrimonio*

a) Impedimenta, sive impedientia sive dirimentia, imminui possent natura et numero, saltem illa super quae dispensatio generatim et facile conceditur (v. g. tertius gradus consanguinitatis, secundus gradus affinitatis, in linea collaterali; « crimen » primae speciei, etc.).

b) Inter impedimenta tunc vigentia, nonne Ordinarii ipsi super plura dispensare possent, onerata conscientia, dummodo omnia solutionis elementa prae oculis habeant, et agatur de impedimentis super quae S. Sedes dispensare solet.

c) Nonne clarior ac facilior disciplina statui posset quoad dispensationes in casu urgentiori (v. g. de casibus « occultis »)?

d) In celebratione Matrimonii, nonne delegatio concedi posset non tantum pro tali casu, sed pro omnibus casibus in tali temporis decursu occurrentibus, in territorio parochiali?

e) Nonne « error communis » admitti posset, cum Iurisdictionis suppletione, in omni casu quo, bona fide, matrimonium coram sacerdote Iurisdictione, ordinaria aut delegata, non gaudente, in Ecclesia parochiali, celebratum fuit.

4. *De Confirmationis sacramento*

a) In casibus quibus Parochus hoc Sacramentum administrare potest et debet, nonne alter Sacerdos, dummodo Parochum absentem supplet, iisdem facultatibus, urgente casu, gaudere posset?

b) Nonne eaedem facultates concedi possent Sacerdoti qui, de facto, munus Cappellani gerit in Nosocomiis, Orphanotrophiis, Clinicis, etc.?

5. *De Professione Fidei*

Forsan Professio Fidei a can. 1046 praescripta, et praesertim Iuramenti « anti-modernisti » (circa doctrinam cuius articuli plures obsoleverunt), possent solis casibus muneris incipientis reservari (et non unoquoque anno).

6. *De librorum prohibitione*

Lex quae prohibet lectionem quorumdam librorum non iam a multis Christifidelibus observatur, et quidem cum quadam bona fide: necessitas practica legendi adest pro multis magistris ac discipulis, praesertim in profanis disciplinis, et sive Parentes sive proximi difficile percipiunt se interdictioni subiici, dum sermonem salutarem de istis libris sustinere cupiunt.

Aliunde Lex, in praesentibus dispositionibus, iam non videtur finem attingere ad quem directa fuerat; et renovationem opportune adaptatam desiderare fortasse licebit.

7. *De Clericorum habitu et vestitu*

a) Omnes Clerici ad reverentiam erga Ecclesiam, quam praesentem ubique efficiunt, tum Fideles quam infideles ducere, et aliunde religionis virtutem in seipsis tueri, debent: inde cura habenda de habitu ac vestitu exteriori, quae sane non supplet dispositiones interiores, sed eisdem valde favet. Gravis admonitio in hac materia videtur valde opportuna.

b) De habitu ac vestitu, non videtur uniformitas universalis requiri, nec Regulas easdem omnino esse pro muneribus in locis sacris aut in domo parochiali, et pro variis discursationibus; et forte quaedam adaptationes prodessent: nonne Episcopi, sive in propria Dioecesi, sive in coetibus provinciali et nationali, Regulas opportunas statuere possent, saltem quoad vestitum in exterioribus vitae socialis, salvo tamen « ecclesiastico » aspectu?

8. *De Veritate docenda*

a) Maximi momenti videtur in memoriam omnium revocare primariam et essentialem necessitatem docendi et discendi omnes veritates Fidei, omnimodo et tempore opportuno, ita ut Doctrina Catholica, in omnibus partibus ac articulis, et in lumine Fidei, appareat et acceptetur tanquam verum et unicum fundamentum omnis ac totius vitae, sive individualis sive socialis.

b) Haec revocatio maiorem etiam locum habet non solum apud clericos qui curam habent animarum, sed etiam apud omnes Christifideles, praesertim « militantes » in apostolatu multiformi: inde exstat quidam « principatus » docendae et discendae doctrinae in mediis ipsis apostolatus laboribus.

Suessionis, die 29 augusti 1959.

✠ Pierre Douillard
Evêque de Soissons

73

Exc.mi P. D. IOANNIS IULIANI WEBER
Episcopi Argentinensis (Strasbourg)

Strasbourg, le 7 octobre 1959

Eminentissime Domine,

Literae quas Emintentia Tua dignata est mihi scribere die 18 iunii, sub N. 1 C/59-1303, mihi pervenerunt solummodo die 17 iulii. Haec cunctatio rationem reddit etiam dilationis mei responsi: oportebat consultationes aggredi, mente cogitare, textum redigere et in linguam latinam vertere.

Textus originalis huius relationis in lingua gallica conscriptus est: secundum vires eum in linguam latinam transtuli. Mitto tamen cum hac translatione textum gallicum, ut in casu dubii recursus ad textum originalem possibilis sit.

Relatio « cum omni libertate et sinceritate » confecta est, secundum desideria tuae Eminentiae, et sicut decet Episcopum loqui. Rationem habuit specialis nostri status in dioecesi Argentinensi (Strasbourg): hic in quotidiano commercio cum Protestantibus vivimus: sunt namque pars satis magna incolarum (250.000 Protestantes, contra 900.000 Catholicos). Plus quam regiones mere catholicae, necessarium ducimus aliquas

quaestiones ad solutionem perducere, vel saltem hoc opus inchoare. Velit ergo Eminentia Tua nostras propositiones sub hac luce intelligere.

Relatio satis brevis est: amplior explicatio volumen magnum exigeret; quod certe Commissio Antepraeparatoria non intendit postulare.

Velit Eminentia Tua servi tui in Christo addictissimi obsequium gratum habere.

✠ Ioannes Iulianus Weber
Episcopus Argentinensis

Propositiones Episcopi Argentinensis (Strasbourg) pro Concilio Oecumenico mox celebrando

Prooemium

1. *Nuntiatio* futuri Concilii ubique terrarum, etiam extra fines Ecclesiae Catholicae, cum immenso favore, magna iucunditate et ardente spe acceptum est: apparet iam ut nova creatio in Ecclesia incepta.

Nuntium insonuit *in opportunitatibus sive oecumenicis, sive pastoralibus,* quae forsan in toto decursu historiae nunquam evenerunt. Mundus totus unitatem quaerit: omnes qui in nomine Christi gloriantur intelligunt quam intense urget deprecatio Domini ad Patrem: « Ut omnes unum sint » (*Io.* 17, 21). Ex altera parte vere « Creator Spiritus » his diebus in Ecclesia Dei rursum flat. Imminentibus ubique periculis, magna contentio orta est ad meliorem fidei comprehensionem, et ad eiusdem fidei fontes magis cognoscendos, ut animae abundantius in Redemptore vitam hauriant. Vera renovatio christianismi in tota fidelitate erga Hierarchiam in fieri est, ad quam totam oportet cooperari Ecclesiam in unum congregatam. Quapropter, non obstantibus difficultatibus et forsan etiam oppositionibus, *Concilium celebrandum est et ad faustum exitum conducendum.*

2. *Temporum nostrorum status* multiplex est (gallice « complexe »). Mundus olim praecipue Occidentem et imprimis Europam amplectebatur, ubi fides et cultura christianae mores et mentes informabant, et sacerdotium satis eximia auctoritate fulgebat. Ecclesiae tutelam mundus abhinc paulatim abiecit et ad laicismum declinavit. *Nova cultura* exorta est, quam materialisticam et technicam appellare licebit.

Ecclesiae Catholicae obviam stant *reliquae Ecclesiae Christianae,* quae ad unitatem aliquam instituendam tendunt et ad expansionem missionariam. Occidenti se opponunt tam *Arabes* cum religione islamitica quae etiam propagatores habet, quam *Nationes nigri coloris Africae,* quae viam ad autonomiam quaerunt, et tandem *Extremus Oriens,* univer-

sam Indiam complectens et immensam Sinam, ubi, ut aiunt, unaquaque secunda puer nascitur.

In medio harum rerum Ecclesia levatur sicut *vexillum ad congregandas omnes nationes* (*Is.* 11, 12), ad uniendos universos populos in Christo: ad servitium apostolicum et missionarium nempe instituta est. Non quaerat igitur niti ad organismum religioso-politicum constituendum, sed semper maiorem ostendat virtutem ad Evangelium propagandum. Adhuc vox Christi resonat: « Ite, docete omnes gentes », id est « ex omnibus populis discipulos Domini facite » (*Matt.* 28, 19).

3. *Concilium ergo vere apostolicum esse oportebit,* non solum propter apostolicam successionem membrorum, sed apparendo ut verus et novus adventus apostolatus in mundo christiano. Finis eius sit mundum Christo lucrari, huic mundo, qui veritatem libertatem et unitatem quaerit, Evangelium praedicando. Inde unitas omnium in Christo credentium, imo omnium hominum, in una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia praeparabitur.

Concilium omnibus, pastoribus aeque ac fidelibus, *impulsum vere missionarium transmittat,* iis etiam qui foris sunt. Praeparatio sessionum, labor dogmaticus, adaptatio legum iuris canonici, disciplinae et liturgiae ad hoc unum tendant, novis conditionibus, in quibus vivimus, prae oculis habitis. « Nova sint omnia, corda voces et opera ».

4. *Non expectandum est Concilium omnia problemata soluturum esse,* nec omnes Christianos immediate ad unitatem reducturum sub uno Pastore. Sed solutiones quas quaerimus et unio populi christiani, imo humanitatis in Christo Iesu, *praeparandae sunt,* ita ut, Concilio finito, proximiores et faciliores evadant.

Aliquas conditiones ad hoc explendum indicare licebit:

a) *Concilium cum omni cura praeparandum est,* per Commissiones ex viris vere peritis et res in sua actuali realitate conspicientibus compositas. Praeparatione sufficiente non effecta, nihil utile eveniret; discussiones sine fine et sine effectu omnino prohibendae sunt. Episcopi insuper per longum tempus abesse e suis dioecesibus non possent. Omnia haec praeparationem activam et amplam exigunt.

b) Optandum est ut ante iam sessiones Concilii et durante Concilio, ad latus eiusdem, instituatur quod vocari potest *Commissio conciliaris mixta,* similis Commissioni quae anno 1960 Venetiis sedebit, complectens historicos, exegetas, theologos et canonistas non solum catholicos, sed etiam ad Ecclesias separatas pertinentes (ad Ecclesias orthodoxas, anglicanam, Concilium oecumenicum Ecclesiarum). Haec Commissio Concilio informationes utiles praebebit. Etiam post celebratam Synodum permanere poterit, ad communem utilitatem.

Item *Commissio internationalis,* laicos vere catholicos et competentes comprehendens, Concilio suggestiones afferre valebit, et post conclusionem sessionum de multis argumentis testimonia praebere poterit (v. g. de familia et matrimonio, de quaestionibus oeconomicis et socialibus, de scholis instituendis, de factis ad politicam pertinentibus...).

Nihil his institutionibus obstare videtur: Concilium quippe ad Ecclesiam pertinet et ad eam solam. Sed in praeteritis Conciliis etiam extranei partem habuerunt, ut Orientales in Concilio Florentino, et principes in multis Synodis. Protestantes theologi quoque ad Concilium Tridentinum vocati fuerunt.

c) *Concilium nullum novum dogma definiat.* Quaestiones quae ad theologiam marialem pertinent (mediatio omnium gratiarum et coredemptio B.M.V.), de quibus forsan aliqui Patres loqui intendent, nimis difficiles sunt et discussionibus theologorum adhuc subiectae. De eis definire, relationes cum dissidentibus exasperaret, tempus pretiosum perderet et ad finem, quem sibi S. Concilium proponit, non duceret. Si tamen discussio de his rebus fieri deberet, cum magna circumspectione et prudentia procedendum esset, ne per nimium zelum unica Christi mediatio et redemptio in dubium revocari viderentur, contradicentibus sollemnibus Novi Testamenti textibus (cf. *1 Tim.* 2, 5). Alius modus agendi contra bonum veritatis et Ecclesiae evaderet. Considerationes ex mera sensibilitate ortae hic locum tenere non possunt. Quod a fortiori valet pro quaestionibus sub nomine « Iosephologia » comprehensis, aliisque subtilitatibus.

d) *Textus Patribus Concilii submittendi* redigantur in lingua simplici, quae nullam aequivocitatem praebebit, nec illos offendere queat quos allicere et convincere intendimus. Adhibeantur vocabula biblica vel ex antiqua traditione deprompta, cum Scriptura et antiquitas christiana locum commune constituunt omnium Ecclesiarum.

Sint hi textus *explanationes luminosae, directae,* sine condemnationibus vel « Anathema sit » annexis. Expectant nam omnes a Concilio declarationes positivas, et non negativas. Scimus insuper, eheu! experientia, prohibitiones, etiam solemniter promulgatas, saepius servatas non esse, et aliquando pro protestatione inoboedientiam provocasse (v. g. in rebus politicis et ad culturam pertinentibus).

Constitutiones a Concilio promulgatae *in nomine Concilii promulgentur,* approbante Summo Pontifice, sicut mos fuit in multis antiquis Synodis, potius quam per Pontificem « approbante S. Synodo »: mos iste non fastidiret a priori dissidentes; qui aliter in altera formula aliquem circulum vitiosum aspicerent, qui litem lite resolvere conaretur.

Manifestent textus a Concilio votati Ecclesiam, in solemni sessione

congregatam, non tam sub aspectu iuridico, sed magis spirituali, materno, quin tamen oblivioni detur realitas hierarchica.

e) Audeat Concilium vera *problemata huius temporis* aggredi, quae nostra Ecclesia solvenda habet, in quaque materia, nec tempus det problematibus quae aspirationibus mundi praesentis non respondent. Admittat « quaecumque vera, ... quaecumque iusta, quaecumque sancta » (*Phil.* 4, 8), servando tamen veram Ecclesiae Traditionem, et nihil omittendo de his quae ad fidem pertinent.

f) Speramus oratores *in sua propria lingua loqui posse* (i. e. in linguis praecipuis Europae), sicut mos est, e. g. in Consilio europaeano in Strasbourg: quod facile est per microphonium. In praeteritis Conciliis oratores latine loquentes cum suis sonis (gallice « accents ») a suis auditoribus comprehendi non semper potuerunt: quod adhuc difficilius erit in futuro, cum numerus Patrum creverit.

Oratione et labore adiuvantibus, quibus iam hodie inhaerere debemus, Spiritus Sanctus certe Doctores docebit qui hanc solemnem Synodum christianam praeparant, Patresque in hoc novo Coenaculo congregandos ad omnem veritatem ducet.

De opere a Concilio perficiendo

Ecclesia, nostro tempore, inter duos idearum fluxus (Gallice « courants ») posita est. A sinistra parte *Socialismus-marxista,* materialismo dialectico adhaerens et turbae mortalium maiorem iustitiam socialem in hoc mundo promittens. A dextera autem parte *Liberalismus oeconomicus,* libertates et iura quidem hominis asserens, sed aliquam iniustitiam socialem secum afferens et ad culturam pertinens quae ipsa materialista esset, nisi ideis spiritualibus informaretur. Contra has tendentias *Concilium veram Fidem Ecclesiae solemniter* affirmare debebit.

I. *Proclamatio boni nuntii de Salute homini allata*

Clamet solemniter S. Concilium in faciem Ecclesiae et mundi, sermone intrepido et claro, directo, simplice et actuali, *dominium Dei viventis,* nostraeque *immensas fidei certitudines in Christum Iesum.* Ipse enim Christus Dei Filius est; Verbum factus homo, Salvator et Redemptor, Dominus universi Orbis et totius decursus historiae. Affirmet Mysterium amoris Dei erga nos omnes, Incarnationem et Redemptionem, Resurrectionem Christi propter nostram iustificationem, eiusque praesentiam tam in Ecclesia quam ad dexteram Patris, ubi « vivit ad interpellandum pro nobis », eiusque tandem adventum in fine saeculorum.

Deducat ex his affirmationibus *obligationem* pro omnibus credentibus, pro familiis et pro ipsa societate, *vivendi secundum praecepta Domini, in iustitia,* in caritate, in sanctitate et firma spe. *Doctrina socialis Ecclesiae,* quae iustitiam socialem pro omnibus exigit, utiliter, per summa capita saltem, in memoriam revocetur, quia ex nostra in Christum fide et ex nostris ethicis obligationibus fluit.

Fides enim non consistit in mero assensu mentis veritatibus revelatis, sed in firma adhaesione entis Deo et Iesu Christo, qui est « via, veritas et vita », in quo solo est salus nostra; haec adhaesio necessario « fructus Spiritus » secum fert (*Gal.* 5, 22-23).

Haec clara expositio erit simul:

a) *Solemnis praedicatio veritatis* coram universo mundo, secundum praeceptum a Domino transmissum;

b) *Appellatio ad omnes Ecclesias christianas,* certitudines rememorando quae nobis et illis communes sunt, et quae sunt fundamentum necessarium omnium cum eis disputationum, sive in praesenti, sive in futuro;

c) *Reactio positiva contra Marxismum,* referendo amplitudinem salutis pro universo mundo, expectationemque humanitatis ad Christum Iesum; necnon affirmatio veri sensus humanae historiae, cum obligatione pro omnibus laborem suscipiendi ad bonum operandum etiam temporale;

d) *Affirmatio in faciem Liberalismi* cum eius perversis consectariis (v. g. razismo, nationalismo, capitalismo...) fraternitatis universae, hominum dignitatis et iurium, sub lege amoris;

e) *Invitatio, praesertim pro iuvenibus, ad corda sursum erigenda* adversus errores modernos quibus mundus superabundat: materialismum, hedonismum, technocratiam, voluntatem omnia ad hominem reducendi eiusque commoda;

f) Clara *responsio ad coaetaneorum nostrorum inquietudinem,* qui tam saepe de conditione humana desperant, et confugiunt ad scepticismum aut ad absurdum, qui humana idealia idolis coaequant, aut in diversis sectis religiosis exiguum lumen aut fraternum auxilium exquirunt;

g) *Incitamentum tam clericis quam laicis* ex fide vivendi, seque mundi cursui inserendi ut eum ad Christum reducant. Forsan ex his exortationibus Concilii nasceretur nova aetas christianismi, sicut factum est saeculo XIII per praedicationem et ad exemplum Ordinum mendicantium, aut XVI saeculo post Concilium Tridentinum.

II. *De vero Ecclesiae munere*

Ad servitium boni nuntii salutis habemus Ecclesiam: « Praedicate Evangelium omni creaturae » (*Mc.* 16, 15).

1. *Quae est ista Ecclesia?* Congregatio hominum Christo coniunctorum per fidem et baptismum, inter se in Christo unitorum, ita ut *unum Corpus* efficiant, scilicet Corpus ipsius Christi. Bono Redemptionis participant, quae solummodo in Domino est. Haec Ecclesia in Christo crescere debet, « donec occurramus omnes... in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi » (*Eph.* 4, 11-16).

Haec doctrina manifestat valorem « dynamicum » et non solum « staticum » Ecclesiae eiusque unitatis. Semper ad actionem missionariam tendet, sicut formam habet in Ecclesia apostolica in Actibus descripta.

Ecclesia est etiam et simul *terrestris realitas,* visibilis, hierarchica, sacramentum sui invisibilis mysterii, sicut ex Scriptura apparet. *Hierarchia* ad imaginem Christi quem prolongat per saecula, « non venit ministrari sed ministrare »: omnes eius membra sunt « servi servorum Dei ».

Vita Christi in Ecclesia et in eius membris servatur et crescit tam *praedicatione verbi divini,* quam *sacramentis,* quae sunt gesta Salvatoris per Ecclesiam. Mystica unio omnium credentium constituitur per Eucharistiam et in ea, quae est simul repraesentatio unici Sacrificii Domini in cruce, et donum Christi eiusque vitae tam Ecclesiae quam singulo participanti.

Invisibiliter Spiritus Sanctus in omnibus agit: operari potest etiam in eis qui sacramenta integre non possident, imo in eis qui nullum sacramentum cognoscunt. Ita ut Ecclesiae christianae, quae non sunt in unitate « communionis catholicae », quae solummodo « vestigia Ecclesiae » conservarunt, homines quoque qui, bona fide, sine contra veritatem peccato, nondum ad gregem Christi, etiam imperfecte, pertinent, « in voto » tamen ad eam referuntur. Secundum pulchra verba Pii XII « etiam inscio quodam desiderio ac voto ad mysticum Redemptoris corpus ordinantur ». Ecclesia intendit esse pro eis « non tamquam aliena, sed propria paternaque domus » (*A.A.S.,* 1943, p. 243). Influxus eius aliunde sese extendit extra limites sui visibilis entis. Haec omnia significationem dant principii: « Extra Ecclesiam nulla salus ».

Sanctum Concilium forsan tractare posset *de tolerantia et de libertate religiosa* (seu de conscientiarum respectu), de qua iam Pius XII tractavit. Haec problemata in nostris regionibus mixtis semper evocantur.

2. Ut dominicum gregem in nomine « Principis pastorum » pascant,

et laborem evangelicum animent, *Petrus eiusque successores,* Romani Pontifices, in medio Ecclesiae sedent, ut centrum totius orbis christiani. Optandum est ut hic primatus cum suis consectariis in memoriam revocetur, sed per verba praecipue antiquorum Patrum (Ignatii Antiocheni, Cypriani, Leonis Magni...), praecisiones a Concilio Vaticano definitas clare tamen servando. Hic Primatus Summi Pontificis ab Ecclesia separari nequit: disiunctio Papae et gregis prorsus excogitari nequit. Haec intima unio Sedis Apostolicae cum tota Ecclesia fortiter in lucem producenda est, etiam in textibus.

3. Per Concilium definiatur *munus Episcopatus,* membrorum « Ordinis Episcopalis », Collegii successorum Apostolorum, qui cum eorum Capite, Romano scilicet Pontifice, cui intime uniuntur « Communionem Catholicam » firmant. Statuta Episcoporum, quae a Concilio Vaticano tractari non potuerunt, resumantur, confirmentur, explicentur et clare ostendantur.

In sua Dioecesi Episcopus est Caput Ecclesiae illius loci, successor Apostolorum pro grege sibi commisso. Regnum Dei construit cum suis adiutoribus utriusque cleri, « sacerdotibus secundi ordinis ».

4. In « Communione Catholica » et in unitate fidei, *Ecclesiae particulares* existere possunt et revera existunt, cum suis legitimis diversitatibus, saepe necessariis, in divino cultu, in disciplina, in legibus... Quod apparet in venerabilibus Ecclesiis Orientalibus, et quod etiam, in quadam mensura, in Ecclesia Occidentali applicari posset: unitas non exigit necessario centralizationem absolutam. Coetus Episcoporum diversarum nationum (v. g. in America, in Germania, et certis annis in Gallia...) hanc « decentralizationem » delineant.

5. Urgens est *fundamenta Theologiae laicatus* definire, explicare: quod sit munus laicatus in Ecclesia et eius in labore missionario Ecclesiae praestatio. Crescentibus ubique Actione Catholica et apostolatu laicorum, doctrina istius modi exigitur, et in Ecclesiis non catholicis bonum influxum haberet. Sacerdotium improprium fidelium, sicut praecipue ab Apostolo Petro definitum est (*1 Petr.* 2, 4-10), fundamentum huius expositionis esse posset. Dignitatem religiosorum laicorum et religiosarum foeminarum hic etiam explanare liceret, ad vocationes ad hunc statum multiplicandas.

III. *De fundamentis fidei*

Bonum nuntium de salute ad mundum directum continetur et servatur coniunctim in duobus fontibus. Fundatur scilicet in *Scriptura Sacra* et in *Traditione vivente Ecclesiae.*

1. *Scriptura Sacra.* Studia recentia exegetica et doctrina Ecclesiae de Litteris sacris (praesertim in Encyclica *Divino afflante Spiritu* a Pio XII tradita) sineret certe exponere cum claritate nova munus eximium et dignitatem sacrorum Librorum, qui sunt Verbum Dei scriptum, a Spiritu Sancto inspiratum et infallibiliter veritatem revelatam continentes. Haec explanatio rationem habebit laboris exegetarum catholicorum et legitimarum conclusionum eorum scientiae (v. g. de generibus litterariis, de existentia documentorum in libris inspiratis, de natura speciali historica capitum 1-11 Libri Genesis, de authentia plus minusve stricta sacrorum librorum...), ita ut studia peritorum circa Bibliam non se ostendant impossibilia. Sic doctrina Ecclesiae circa Scripturam exegetis non catholicis sincera et informata apparebit. Quod usque nunc in Conciliis de hac re definitum est, iam hodiernis diebus non sufficit.

2. *Traditio,* de qua semper sermo est, sed quae raro plene exposita est, in Concilio definiatur, ita ut appareat ut aliquid vivum, assistentiam Paracliti in Ecclesia per saecula manifestans. Praeter munus Magisterii pandatur etiam munus « sensus fidei », per quem a Hierarchia et a fidelibus coniunctim depositum revelatum custoditur: impossibile enim est divisionem internam in Ecclesia admittere, ducibus et fidelibus sibi oppositis. Ille textus sancti Irenaei: « Ad hanc ergo Ecclesiam... » (*Adv. Haer.* III, 3, 2) iam hanc cooperationem affirmat.

Studium Traditionis problema « *explicationis dogmatis* » (gallice: développement du dogme), ad quod tam saepe Ecclesiae dissidentes offendunt, exponere licebit, et quippe « eodem dogmate, eodem sensu eademque sententia » sicut scripsit Vincentius Lirinensis (*Comm.* 28).

In hac explanatione monstrare placebit veritates dogmaticas, quibus inhaerent dissidentes, etiam apud nos servari (v. g. unitas mediationis Christi, primatus gratiae, opus Spiritus Sancti...), non obstante theologia catholica, quae haec elementa excoluit et ampliavit.

Hic etiam pars positiva de natura Dogmatis, ut in Encyclica *Pascendi* Sancti Pii X exponitur, resumenda esset, parte polemica omissa quae hodie minus locum habebit.

In his etiam prospectibus partem Beatae Mariae Virginis in Ecclesia tentam explanare utile esset, a Sacra Scriptura incipiendo. Cooperatio Mariae ad nostram Redemptionem, in faciem eorum christianorum qui extra unitatem catholicam sunt, solummodo « in Ecclesia et in Christo » iustificabitur. Quod etiam illos Catholicos iuvabit, qui primatum exclusivum Domini Iesu Christi cum aliquo zelo tenent: cum omnes homines, suo ordine, operi salutis humanae cooperari debent, Maria « eminenter » missioni Filii sui associatur: maternitas divina etenim ei locum specialem assignat.

IV. *De « sana modernizatione Ecclesiae »* (S. S. Ioannes XXIII)

Leges Ecclesiae per decursum saeculorum formatae et promulgatae sunt et necessarie de suo tempore notam portant. Revisio « Codicis Iuris Canonici » urget. Liceat hic aliqua puncta indicare:

1. *Ecclesia sese magis ad suum munus apostolicum accommodet.* Parochiae et decanatus mori magis tractabili et missionario adaptentur. Episcopus facilius parochos transferre queat, necessitatibus pastoralibus (et non solum maioribus defectibus) posthabitis.

Clero vita communis suadeatur, etiam collaborationem magis intimam sive cum Episcopo, sive cum confratribus, sive tandem cum laicis.

Clerus magis vita apostolica et « missionaria » vivat. Forsan restauratio diaconatus apostolatui deserviret. Vestis cleri ad simplicitatem redigatur (« clergyman »), ut contactus cum populo sacerdoti facilior evadat.

Clerici in Seminariis magis ad apostolatum formentur, insistendo tamen in vitam interiorem, educationem asceticam et spiritualem, necnon in formationem scientificam, secundum praescriptiones Summorum Pontificum. Scientiae quae docentur non consistant solum in traditione formularum antiquarum, sed recurrant ad fontes revelationis, veritatesque aeternas sermone nostris temporibus adaptato tradant. Sic praedicatio et instructio catechetica a presbyteris aptius ad mentes nostri temporis formandas erunt.

2. *Liturgia veritati historicae conformior et fidelibus magis pervia fiat,* pergendo in via quam iam aggressi sumus. Revisioni subiciantur et adaptentur libri liturgici, ita ut veritati historicae non contradicant, simpliciores sint in rubricis et magis breves (reformentur e. g. Breviarium, Martyrologium, rituale, Missale...): haec revisio a longo tempore promissa est; remanemus attamen in exspectatione. Coeremoniae Pontificales abbrevientur, ritus et etiam vestes aliquantulum ad simplicitatem apostolicam redeant.

Regulae de lingua vulgari adhibenda in prima parte missae et in conclusione eiusdem sacrificii amplificentur, sicut fit in Ecclesiis orientalibus et in Missionibus: populus enim magis ac magis intellectum quaerit.

Permittatur *concelebratio* proprie dicta sacerdotum, praecipue cum suo Episcopo, imprimis certis diebus, cum consensu Episcopi (v. g. Feria V in Coena Domini, inter spiritualia exercitia, in Synodo, in aliquibus Congressibus...), etiam *cum communione sub specie vini.* Haec communio sub utraque specie concedatur etiam fidelibus in quibusdam casibus,

cum permissu Episcopi (v. g. in nuptiis, in renovatione solemni promissionum baptismi, in professione religiosa...). Haec concessio nos redderet magis Ecclesiis orientalibus conformes.

3. *Regulae de communione in sacris* latiores fiant, quando agitur de fidelibus ad Ecclesias orientales pertinentibus, cum permissu Episcopi loci. Haec benigna concessio viam praepararet reditui Orientalium ad unitatem catholicam, et bono animarum provideret multorum Orientalium separatorum, in nostris regionibus dispersorum, qui saepe per multum tempus sacramentis privantur.

Item *regulae de celebratione matrimoniorum mixtorum* (non de conditionibus quae a sponsis legitime exiguntur) aliquantulum dilatentur. Prohibitio missae, exempli gratia, post matrimonium celebratum, odibilis apparet sponsis sincere religioni catholicae inhaerentibus et desiderantibus Ecclesiae bona non amittere.

4. *Conciones inter theologos* catholicos et acatholicos, ad unionem christianorum fovendam, facilius admittantur, approbante Episcopo loci: sine ipsis opus unionis non progredietur.

5. *Doctis et eruditis catholicis,* qui sacris scientiis deserviunt, Ecclesia faveat, sicut Pius XII exegetas catholicos fovit, eisque vera fiducia tribuatur. Accusationes a non peritis et non competentibus contra eos portatae ne recipiantur. Libri catholici, qui nec haeretici nec inhonesti sunt, benigne iudicentur, si aliquid eis obiicitur, auctoribusque concedatur sua opera emendare, quin in studiis suis illidantur. *Index librorum prohibitorum* revideatur et regulae quae Indicem regunt etiam revisioni subiiciantur.

Conclusiones

Propositiones istae « cum omni libertate et sinceritate » transmissae, *respondere videntur vocationi a Deo ad Ecclesiam nostris diebus directae.* Iam non subsistit aetas qua Ecclesia catholica sola mundum spiritualem pro hominibus constituebat. Iam non potest seipsam exclusive cogitare, etsi in vera legitimitate. Nunc autem seipsam conspiciat in sua cum alteris societatibus relatione, imprimis cum christianis dissidentibus. Nec sufficit ut domus paterna sit solum pro catholicis; ad exteriora tendat, et se consideret tamquam « in partibus infidelium » consistens et ad infideles directa. Vivat et doceat et agat etiam pro iis qui ei adhuc extranei sunt et ad quos tamen directa est: « Ite, docete omnes gentes ».

Utinam nostrae exiguae preces, nostra fervida desideria, et indefes-

sus labor Sancti Concilii, hanc apostolicam missionem Ecclesiae foveant, quam missionem, Dei adiuvante gratia, ulterius exercere perseveret.

✠ Ioannes Iulianus Weber
Episcopus Argentinensis

74

Exc.mi P. D. PETRI MARIAE THEAS
Episcopi Tarbiensis et Lourdensis (Tarbes e Lourdes)

Prot. 1 C/59-1334 Lourdes, die 28 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Gratum est mihi respondendo ad epistolam (Prot. C/59-1334), vota et animadversiones meas mittere Eminentiae Vestrae, cuius est grandis honor praesidendi Commissioni Pontificiae antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico.

Pro mea parte magni facio grates agere Sanctitati Eius de testimonio confidentiae, quod Episcopis largitur, associando eos modo tam arcto in labores futuri Concilii.

Consilia et vota quae Eminentiae Vestrae propono de industria brevia sunt, adeoque facilius legi et retineri poterunt.

Gaudeo, denique, Eminentissime Princeps, ad pedes Vestros deponere humile obsequium meum et anulum sacrum deosculari, dum me profiteor,

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
servus humillimus et oboedientissimus
✠ Petrus Maria Théas
Episcopus Tarbiensis et Lourdensis

Vota quoad Doctrinam

1. Necesse est defendere integritatem et puritatem doctrinae.

a) Non desunt errores: laicismus totalis quem gubernium civile et legislatio profitentur et quoad scholas prae se ferunt; evolutio historiae concepta in sensu marxistico; sensus fidei alteratus est: proclamant christianismum vacui nominis et sine Christo; conniventia quorumdam catholicorum erga communismum, quamquam a Pio XI iam condemnatum.

b) Quomodo hi errores oppugnandi sunt? Veritatem affirmando potiusquam errores anathematizando.

2. Capita doctrinae profundius penetranda:

a) Doctrina, circa SS. Trinitatem retractanda est modo plus scripturistico, minus scholastico. Specialiter quod attinet ad Patrem et Sanctum Spiritum;

b) potestas regalis Christi in universum mundum illustranda;

c) theologia de Ecclesia, praesertim de Episcopatu, profundius exhaurienda;

d) circa Mariologiam: relationes quae inter Mariam et Ecclesiam intercedunt, statuendae.

Vota quoad Congregationes Romanas

1. Congregationes Romanae necessariae sunt et officia praestant quae substitui non possunt. Comprehendunt Praelatos, Secretarios, « minutanti » eximii valoris.

2. Videntur esse nimis quod hodierni vocant « centralisatrices ».

Causae quas sibi reservant numerosiores sunt. Illi quibus incumbit tractare eas nimis distant ab iis humanitatis relationibus, cum personis quarum interest, quas inter homines oportet esse: atque sententias ferunt per quas profunde laedunt plurimas animas.

3. Restringunt et limitant iura ac potestates Episcoporum. Videntur oblivisci rationem et curam animarum, de iure divino, collatam esse collegio apostolico, itemque iure divino collegium episcopale gubernare Ecclesiam.

Vota quoad Clericos

1. Optandum est ut ordo sacerdotalis a Christo Domino institutus in pleniore luce ponatur. Ad hoc requiritur ut notio Sacerdotii in Novo Testamento profundius elaboretur tum in dogmatica tum in ascetica Theologia.

Per ordinationem sacerdotalem, singuli sacerdotes statuuntur in relatione vitali atque perpetua cum Christo et oeconomia Redemptionis, cum Episcopo eiusque plenitudine Sacerdotii, cum populo fidelium in ordine ad sanctificationem eorum, cum gentibus totius mundi ad salutem earum promovendam.

Spiritus vere sacerdotalis est ille quem semel et in perpetuum efficit Spiritus Iesu per unctionem characteremque Sacramenti Ordinis.

Quod si vita peragenda iuxta consilia evangelica non imperatur virtute status sacerdotalis (Pius XII et Ioannes XXIII), nihilominus ap-

paret practice consequi vocationem apostolicam perfecte deducendam. In hoc lumine consequenter reperiuntur necessaria esse et coelibatus et oboedientia.

2. In votis est:

a) ut inde a primis Seminarii annis, initiatio theologica fiat in prospectu pastorali et ascetico. Orationi tribuatur locus primarius;

b) ut conformatio in Seminario tradenda magis unificetur ita ut in se cohaereat, mediante concursu strictiore membrorum corporis docti: quod corpus constitui oportet e sacerdotibus cleri dioecesani diligenter selectis et ad hoc munus penitus praeparatis.

3. Post peractos seminarii annos desiderandum est, ut inveniantur ratio et viae ad continuandam formationem doctrinalem, pastoralem et praesertim asceticam, in gremio dioeceseos seu provinciae ecclesiasticae.

Dolendum est canonem 126 exercitia spiritualia tantum praecipere « tertio saltem quoque anno ».

Vota quoad Congregationes Religiosas

1. Ordines Religiosi, Congregationes religiosorum et Instituta saecularia sunt gloria Sanctae Ecclesiae et constituunt medium efficax ad Dei regnum aedificandum.

2. Quia singulae Congregationes et unumquodque Institutum personam iuridicam induit, non mirum est Superiores ac membra sponte nutu moveri, ut potissimum bonum Congregationis sive Instituti quaerant, non vero Ecclesiae localis sive Ecclesiae catholicae.

3. Optandum est ut quaevis familia religiosa dum in dioecesi domum constituit, toto animo in apostolatu dioecesano se inserat, obsequendo Episcopum dioecesanum et in solidum operando cum Clero dioecesano, cum Actione Catholica, cum piis operibus varii generis et ita intrent in eam quam vocant « pastoralem collectivam ».

4. Privilegium exemptionis valeat tantum intra saepes domorum.

5. Haec ab Episcopo in apostolatu dependentia non ita intelligenda est, ut impediat Congregationes religiosas et Instituta saecularia, quominus actionem suam in plures dioeceses extendant, et ubi casus ferat, se dent in alia confinia operis, nempe ubi influxus eorum sit necessarius.

Vota quoad Laicos

1. Laicorum in Ecclesia apostolatus strictae necessitatis est quae magis magisque urget.

Praeferendum est non uti vocabulo « Actionis Catholicae ».

2. Apostolatum laicorum oportet esse cooperationem in apostolatu Episcopi, quippe cui primo incumbat respondere de animabus in sua dioecesi.

3. Oportet ut laici retineant ius actiones apostolicas incipiendi, cuius ambitus delimitandus est iuxta rerum indolem; verumtamen imprimis necesse est ut laborantes dependant ab Episcopo.

4. Quandoquidem Episcopi est esse *perfectorem* (S. Thomas Aquin.), quippe qui constitutus sit *in statu perfectionis acquisitae et communicandae,* logice deducitur certos quosdam laicos, si gratiam illam receperint, specialiter in perfectione Episcopo associari, ut sint in apostolatu cooperatores eius intimi. Idque immo praeter Institutum aliquod saeculare aut Congregationem religiosam.

5. Votis expetitur ut Concilium Oecumenicum operam det quaestionibus quae circa domesticam familiam oriuntur, circa eius rationem spiritualiter vivendi, et circa modum vitam Christianam extra limina diffundendi.

6. Convenit numero reducere impedimenta matrimonialia, et perpendere quo modo pastoraliter agendum cum iis qui divortium civile obtinuerunt, et cum maritis quorum altera pars evanuit, etc.

VOTA QUOAD UNIONEM OECUMENICAM CHRISTIANAM

1. Aboleantur poenae et excommunicationes quibus in *C.I.C.* plectuntur schismatici et haeretici.

Retineantur poenae quae contra apostatas, contra nomen dantes sectae massonicae, contra communistas feruntur.

2. In exponenda veritate catholica evitandae sunt locutiones quae animum fratrum separatorum inutiliter offendunt.

Supprimatur in posterum formula: *Anathema sit.*

3. Humiliter et sincere confitendum, Ecclesiam Catholicam in nonnullis rebus non recte egisse aut dixisse, eamque adhuc non carere defectibus.

4. Modus loquendi de haereticis et schismaticis affectum verum caritatis et verecundiae exprimat.

5. In rebus quae disciplinam et liturgiam spectant sit in praeparatione animi concedere tales modalitates quae non attingunt res essentiales.

6. Unio ecclesiarum a quibusdam incommodis liberabitur:

a) si Index Librorum prohibitorum iterum recenseatur;

b) si veritatis historicae causa relinquantur quaedam legendae secundi Nocturni;

c) si Concilium Oecumenicum statuat et affirmet Ecclesiam catholicam nullo modo ligari neque ulli nationi, neque ulli humanae culturae, neque ulli scholae philosophicae, nec regimini ulli politico, nec systemati ulli oeconomico.

✠ PETRUS MARIA THÉAS
Episcopus Tarbiensis et Lourdensis

75

EXC.MI P. D. AUGUSTINI JAUFFRES
Episcopi Tarantasiensis (Tarentaise)

Haec consilia et vota infrascriptus Episcopus Tarantasiensis Commissioni Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico humillime proponit, iuxta epistolam Em.mi Cardinalis Tardini, Secretarii Status, die 15 iulii 1959 receptam (Ref.: Prot. N. 1 C/59-1335).

Allocutio Ioannis Papae XXIII, die 25 ianuarii 1959, apud Basilicam S. Pauli extra Moenia, ideam Concilii Oecumenici promovebat. Ante omnia notavimus scopum tunc a Ss.mo Patre communicatum, unitatem scilicet omnium christianorum promovendam, mediante Concilio. In nostra dioecesi, pariter ac in tota Ecclesia, tam inter cleros quam inter fideles, hic scopus laetas reactiones ac magnam spem provocavit. Putamus hanc spem non decipiendam esse et quaestiones maioris momenti de quibus Patres tractaturi sunt seligendas ac ordinandas esse secundum hunc scopum ultimum. His praepositis, breviter suggestiones nostras proponimus, in tria capitula divisas:

I. De quaestionibus dogmaticis.

II. De pace christiana.

III. De cura animarum et de aliquibus problematibus operis pastoralis.

I. *De quaestionibus dogmaticis*

A) Inter argumenta reflexionis, quae maioris momenti sunt, ut videtur, faciliter eminet tractatus *De Ecclesia*. Nam, post definitionem infallibilitatis Romani Pontificis, quaedam quaestiones alicuius momenti adhuc nobis pendere videntur:

1) *De institutione divina episcopatus*. Examinari potest natura huius institutionis, mutua connexio inter Romanum Pontificem et episcopatum, responsabilitas episcoporum erga totam Ecclesiam (sicut alludit, verbi gratia, Pius Papa XII in Litteris *Fidei Donum* quoad missio-

nes). Quod studium maiorem lucem afferret ad manifestandam unitatem Ecclesiae et forsitan faciliorem redderet unionem cum Orientalibus.

2) *De sacerdotio catholico.* Crisis hodierna (alicuius momenti in Gallia, verbi gratia ut manifestum fuit quando agebatur de sacerdotibus opificibus) multa problemata et studia suscitavit, quae materiam praeberent ad discussiones valde locupletas inter Patres, necnon ad sustentandam reflexionem theologicam in documentis Magisterii fundatam.

3) *De institutione diaconorum* in saeculo viventium.

4) *De laicis,* qui nunc maiorem partem habent in actione ecclesiali et Sacrae Hierarchiae auxilium suum praestant. Cuiusnam naturae est hoc auxilium? Quemnam statum habent?

B) *De Mariologia.* Supposita maturitate inquisitionum theologorum ac salvo scopo principali Concilii (ut supra diximus: de unitate christianorum promovenda) aliud argumentum dogmaticum proponi posset, definitionem scilicet *universalis mediationis S. Virginis,* quae Mater Reconciliationis tunc appareret.

II. *De pace christiana*

Hoc problema magis magisque christianorum preoccupat conscientiam. Iam multa dicta sunt ab ultimis Romanis Pontificibus. Attamen, omnium adunatio episcoporum, quae unitatem Ecclesiae evidenter manifestat, solemniter deberet loqui de pace, de eius fundamento dogmatico. Hoc schema possibile videtur:

1) de reconciliatione humanitatis cum Deo in divina redemptione, ex qua exsurget pax cordis;

2) de pace familiali, de unitate familiali;

3) de pace sociali. Hic opportune compendium doctrinae socialis Ecclesiae proponi posset, simul ac condemnationem systematum erroneorum;

4) de pace internationali. De regno pacifico Christi, salva legitima autonomia uniuscuiusque status. Ex toto corde putamus *solemnem invocationem* a Concilio exprimendam esse pro usu mere pacifico hodiernarum inventionum scientiae. Quae invocatio, ab omnibus episcopis facta, maximi ponderis potest esse.

III. *De cura animarum*

Imprimis pastores sumus. Proh dolor, post factas accuratas inquisitiones, clare apparet maioritatem hominum longe a Deo vivere. Exsurgunt novae conditiones vitae, nova mentalitas in hodierno mundo

technico. Quae mutationes curam Patrum provocare debent. Hae videntur quaestiones salientes:

1) de propaganda fide in diversis ambientibus, tam in missionibus quam in regionibus traditionis christianae, in quibus irreligiositas et indifferentia progrediuntur;

2) de repartitione cleri et substantiarum inter locales Ecclesias, ad faciliorem reddendam missionem apud regiones pauperes;

3) de liturgia et de sacramentis, simul ac de eorum prudenti adaptatione;

4) de die dominica. Pro hac die orationis et quiei, opportunae normae accurate adaptatae proponi possunt, praesertim quoad laborem, ad consulendum fidelium conscientiae;

5) de modo docendi fidem, praesertim pro pueris et pro adultis catechumenis.

Ut apparet ex dictis, problemata quae Concilium considerare posset, circa tractatum *De Ecclesia* complectuntur, tam ex parte dogmatica quam pastorali. Hoc certo certius potest iuvenem Ecclesiae faciem ostendere atque fratres separatos ad unicum ovile Christi attrahere.

Quod est carissimum votum nostrum.

Et Deus...

Datum Monasterii, die 24 augusti 1959.

✠ Augustus Jauffres
Episcopus Tarantasiensis

76

Exc.mi P. D. GABRIELIS GARRONE
Archiepiscopi Tolosani (Toulouse)

Tolosae, die 30 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Placeat Eminentiae Tuae Reverendissimae hoc responsum accipere litteris, in nomine Commissionis ad Concilium, die 18 iunii missis.

Utile non duxi, in hoc responso, distinctionem continuo servare inter aspectum dogmaticum et aspectum moralem seu disciplinarem rerum: singula enim puncta hanc distinctionem admittunt et, procul dubio, in ordinando Concilio, ut in Tridentino actum est, toties expresse servabitur.

Insuper — quod postulatum censui in praedictis litteris —, nonnisi « indicem ordinatum » rerum proponere statuere mihi visum est.

Eminentiae Tuae Reverendissimae humiliter orationem meam ferventem asserere volo ut in tanto proposito a Spiritu Sancto adiuvetur E. T. R. et integre cum Summi Pontificis tum populi christiani votis Concilium satis faciat.

Et placeat Eminentiae Tuae Reverendissimae obsequii mei et venerationis testimonium benigne accipere.

✠ GABRIEL MARIA GARRONE
Archiepiscopus Tolosanus

« ... Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, et unus Spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi...

... Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi... » (*Eph.* 4).

PRAEAMBULUM

De opportunitate ordinandi Concilium sub idea rectrice Unitatis

Animadvertendum videtur imprimis quam mirabiliter, Deo favente, *consentiat* cum praesenti mundi statu, Concilii sessio oecumenica.

Praesentem etenim mundi statum perspicienti statim, ut maxima dignum attentione occurrit: *nostris diebus, en prima vice, et non obstantibus omnigenis divisionibus, orbem terrae ut « quid unum » ante* omnium oculos stare.

Hac autem ipsa hora, Ecclesia in Concilio adunata, insigni documento, *omnibus asserveret esse se oecumenicam, scilicet in re et in voto, iussu et dono Dei, integro orbi terrae coextensa,* ad Regnum Dei promovendum et salutem hominum procurandam.

Cuius mirae convenientiae non solum non licet beneficium omittere, sed omnino expedire videtur ut *Concilium expresse inde sumat ordinem,* his nempe quaestionibus prae omnibus sibi tractandas eligens, quibus maxime possint omnes in Ecclesia, sive clerici sive fideles, vocationis catholicae Ecclesiae Christi et sibi ipsis magis conscii fieri et ad serviendum eidem vocationi promptiores.

Nec adest periculum ut, hanc sequentes viam, ullam quaestionem maioris momenti forte praetermittamus, cum constet graviores menti et vitae omnium exsurgentes difficultates ex hoc ipso statu mundi praedicto exoriri. Immo, rebus ita a radice sumptis, nihil attentione dignum nos effugere poterit.

Qua animadversione praeposita, *votum emittere audeam ut proximum Concilium ex hac ipsa animadversione rationem ducat.*

Huc addatur — etsi secundarius tantum sit iste respectus—, immensam expectationem procul dubio erecturum in universo mundo Concilium sic ordinatum, necnon et pluribus bonae voluntatis viris oculos aperturum: in lucem enim proderet finis et intuitus oecumenicus Ecclesiae, sub qua luce intelligerentur decreta particularia Concilii.

Nam, proh dolor!, praecavendum est periculum ne ab opinione communi ad nugas intenta, Concilium vana curiositate ut eventus quilibet accipiatur, quin decreta ad mentem et vitam hominum ullo modo referre videantur.

Notare etiam placet ita ordinatum Concilium perfecte in linea prioris Concilii Vaticani inscribi: de Ecclesia enim fieret quaestio.

Quibus positis, puncta sequentia indicare liceat ut, vitae profectuique Ecclesiae nostro sensu, opportuniora vel etiam urgentia.

Ordo rerum

Desumitur ex idea rectrice unitatis Ecclesiae

Fundamentale, et vere unicum, thema Concilii, expresse denuntiatum, hoc esset:

Ut affirmetur et definiatur quo sensu, quo fine, quo modo Ecclesia una sit, unitate quae transcendat quascumque distinctiones sive in naturalibus, sive in ipsa Ecclesia.

Ideoque Concilium in animo haberet:

1. *Finem Ecclesiae* denuo attente et stricte definire: sc. *Regnum Dei et vitam aeternam parare.*

2. Haec omnia in novam lucem ponere, vel, si necesse sit, determinare *quae, in Ecclesia, ex voluntate Dei ad veram unitatem statuendam stabiliendamque conferunt.*

Unde imprimis de *Sede Apostolica Petri et de munere eius quoad hanc unitatem* (integritatem, universitatem, etc.).

Et etiam de *Collegio Episcoporum, per universum orbem existentium, sub Petro capite,* et de munere huius Collegii quoad hanc eamdem unitatem.

3. Haec omnia perpendere *quae ad munus praedictum — sive apostolicum, sive episcopale — conferre valeant,* ut efficacius rectiusque exerceatur.

4. Ista etiam firmo animo inspicere *quae constaret impedimento esse in praesens ne claustra transeantur, cuiuscumque generis, Ecclesiae unitati obstantia*: ita ut Evangelium Dei currat et cuicumque homini bonae voluntatis fas sit Verbum Dei ut sibi ipsi missum percipere.

Quae obstacula alia sunt externa — sc. ex rebus ipsis hodiernis surgentia — alia interna.

Tunc igitur Concilium bono Ecclesiae profecisse et fructum attulisse patebit, necnon et promissionibus divinis plene respondisse tam feliciter a Summo Pontifice editis, si, Concilio peracto, Ecclesia suae catholicitatis magis conscia evaderet, et ad ea quae inde manant promptior; si, insuper, auxiliis magis confideret a Deo ad hoc collatis; si tamen clarius tum sibi tum aliis appareret bonum Regni, hic et nunc, maxime vitae hominum referre.

SINGILLATIM

Enumerantur tituli

1. *De fine Ecclesiae.*

Denuo solemniter et ampliori expositione, ostendatur *Ecclesiam Catholicam esse ipsum Corpus Mysticum Christi* (quae expositio iam optime praeparatur in Encyclicis Leonis XIII et Pii XII).

Inde pateret *finis Ecclesiae.*

Praecipue agatur de *integritate fidei ab Ecclesia servanda*: hierarchiam in Ecclesia gaudere *potestate magisterii,* et valere ad salutem *definitiones et formulas dogmaticas ponere.* Quamvis enim hoc sive in Tridentino sive in Vaticano Concilio actum fuerit, opportunae essent multae determinationes; et etiamsi non adderetur multum, sic appareret continuitas in traditione. Periculum enim instat et viget opponendi Evangelium ad Ecclesiam, Scripturam ad Dogma etc.

In his omnibus non desunt documenta Magisterii post Concilium Vaticanum producta, ex quibus Concilium proximum formulas extrahere poterit, sicut in Constitutione de Fide Catholica formulae extractae fuerunt ex Actibus Pii IX.

Finis Ecclesiae definiatur *in suo respectu ad finem societatum naturalium.* Hodie enim relationes inter Ecclesiam et Societatem temporalem occasionem praebent ad innumeras difficultates, equivocationes et errores. Utiliter resumerentur in Concilio solemni saltem doctrinae a Leone XIII editae in *Immortale Dei.* Item iuxta affirmationes solemnes

Pii IX in *Syllabus,* solemniter darentur affirmationes Pii XII de *Tolerantia* religiosa. Saepe etiam confunditur praeparatio Regni coelorum cum praeparatione vitae temporalis.

2. *De Unitate Ecclesiae, qualis a fine procedit.*

Definiatur *Unitas Ecclesiae sub omni respectu: unicitas, universalitas,* etc.

Excludantur falsi conceptus qui possent in Ecclesia « uniformitatem » tyrannicam pro unitate ostendere: specialiter hoc est affirmandum quoad ritus et disciplinam ad usum « Orthodoxorum ».

Quo sensu concipiatur ut possibilis et laudabilis « Oecumenismus ».

Opportunae essent in hac parte regulae practicae, et mandatum conferendum esset exclusive viris idoneis.

Quomodo cuique conveniat in Ecclesia conferre ad unitatem: clerici, laici, religiosi.

Opportunae essent determinationes: De *Statu Sacerdotali*: quid proprium sit Status Sacerdotalis et quae sint leges inde manantes de Officio Divino, de lege coelibatus, de veste sacerdotali...; de *Statu laicali*: quid proprium sit status laicalis et modus proprius suae cooperationis ad Regnum Dei in Ecclesia.

3. *De Sede Apostolica ut signum et causa unitatis.*

Resumantur quae iam a saeculo definita sunt de Sede Apostolica praecise *sub respectu unitatis* servandae et procurandae.

Studio mandentur *quae in Sede Apostolica, qualis in praesens, conferre possint* ad munus suum melius faciliusque exercendum, sive ut *signum unitatis* (v. g. organisatio Curiae Apostolicae), sive ut *causa* eiusdem *unitatis* (v. g. relationes inter Sanctam Sedem et diversas partes mundi).

Studio mandentur *quae obiicere possint.*

4. *De Collegio Episcoporum.*

Definiantur quae respiciunt Collegium Episcoporum sub Petro: constitutio aliqua definiat naturam et munus episcopatus sive quoad ordinem (character sacramentalis etc.) sive quoad iurisdictionem (iurisdictio ordinaria episcopi residentialis, participatio collegialis ad iurisdictionem universalem, etc.).

Studio mandentur *quae conferre possent* ad munus episcopale exercendum: in his enim diebus non raro sentire licet inter Sedem Apostolicam et dioeceses deficere instantiam in gubernatione Ecclesiae. Nonne utile esset « Concilia regionalia » locum habere sub determinatis conditionibus? Etenim infallibilitas Pontificalis nunc definita pericula antiqua arcere valet; et, aliunde, multae quaestiones apostolicae et pastorales maximi momenti exsurgunt quae nec in dioecesi solvi possunt nec solu-

tionem habere debent « ad Ecclesiam universalem ». Haec instantia locum habere evidenter non posset aliter ac sub auctoritate Summi Pontifici et proinde sub conditionibus determinandis.

Studio mandentur *quae obstare possent.* Nonnullas v. g. circumscriptiones Ecclesiasticas renovare expediret, ut parviores vel anachronicas.

Quaestio fiat in speciali de relatione quoad apostolatum *inter Ordines* vel Congregationes religiosas et Episcopos. Utiliter solemnis declaratio fieret de lege fundamentali *cooperationis Apostolicae* et finibus exemptionis in exercitio apostolatus.

77

Exc.mi P. D. LUDOVICI FERRAND
Archiepiscopi Turonensis (Tours)

Tours, le 25 mars 1960

Excellence Révérendissime,

Dès réception de la lettre de Votre Excellence (sub N. 1 C/59-1370 bis), je tiens à Lui faire savoir que j'avais adressé, le 30 août 1959, ma réponse à Son Eminence le Cardinal Préfet de la Commission Antepréparatoire.

J'ai encore conservé le double de ma lettre d'envoi, car j'avais jugé la feuille ci-jointe trop incorrectement rédigée pour être adressée à Son Eminence Révérendissime; mais peut-être cette lettre permettra-t-elle de retrouver le texte adressé.

De toute façon, je vais très facilement reconstituer le texte de mon envoi et le faire parvenir à la Commission Pontificale.

Je prie Votre Excellence d'agréer l'expression de ma religieuse gratitude pour m'avoir signalé une situation que je ne pouvais soupçonner.

✠ Ludovicus Ferrand
Archiepiscopus Turonensis

Tours, 30 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Non sunt multa, ut arbitror, ab unoquoque Ordinario communicanda illi Commissioni Antepreparatoriae, cui praeesse Tuae Eminentiae datur, omnibus plaudentibus.

Tria igitur negotia maximi momenti tantum mihi videntur proponenda, quibus adduntur aliqua vota ad fovendam disciplinam Sanctae Matris Ecclesiae.

Unde sic conficitur responsio:

Negotia maximi momenti:

I. de instructione catechetica;

II. de usu Sanctae Scripturae in Ecclesia;

III. de formatione clericali in Seminario.

Vota circa res disciplinares:

A) Circa matrimonium;

B) circa indulta et privilegia.

Enixe rogo Tuam Eminentiam ut, in his humiliter scriptis, amorem erga Sanctam Ecclesiam videas et desiderium illi servire.

✠ LUDOVICUS FERRAND
Archiepiscopus Turonensis

78

EXC.MI P. D. IULIANI LE COUEDIC
Episcopi Trecensis (Troyes)

Eminentissime Domine,

Cum maxima reverentia accepimus litteras quas benevolentia Vestra ad nos mittere dignata est die 18 iunii sub numero I C/59-1389.

Etsi, nostrae infirmitatis conscii, impares nos sentimus ad suggerendum opiniones et sententias quae sint alicuius utilitatis pro futuri Concilii argumentis apparandis, tamen affectus debiti obsequii erga Summum Pontificem nos impedit quin dubitemus responsum dare quod a nobis Eminentia Vestra petere dignata est.

In foliis his litteris adnexis indicavimus, quo melius potuimus, quae nobis ad bonum Ecclesiae exponenda visa sunt.

Eminentiae Vetrae, cum summa veneratione purpuram sacram deosculans,

Trecis, die 26 augusti 1959.

humillimus servus me profiteor
✠ IULIANUS LE COUËDIC
Episcopus Trecensis

Liber I – Normae generales

Notio Iuris restituenda.

Imprimis notandum videtur quod notio iuris paulatim corrupta est, non solum inter laicos, verum etiam inter clericos. Leges ecclesiasticae saepius non percipiuntur ut obligatoriae, sed accidit ut clerici, caeteroquin bona fide et virtute praediti, non cunctentur palam asserere se non astringi ad eas servandas: sub specie « spiritus legis » custodiendi, nolunt « litterae » habere rationem. Qui modus agendi pessimus est, nam, interpretationem authenticam legis despicientes propriumque arbitrium habentes pro regula effectiva, isti clerici enervant disciplinam et, plus minusve conscii, scandalum populo afferunt.

« *Les Directoires* ».

In Gallia, abhinc annos aliquot, normae conditae sunt, v. d. « Directoires » quae tractant de disciplina sacramentorum et Missae, necnon de re sociali et praesertim de doctrina. Optandum videtur quod ubique, positis ponendis, hae normae extendantur, cum magno fructu cleri populique christiani.

Liber II – De personis

1. *De clericis*:

Relationes cum mulieribus (can. 133).

Experientia testatur multis modis detrimento esse clericis assidua frequentatio mulierum, etiam earum de quibus non est suspicio. Quapropter valde optandum est ut sedulo remedia exquirantur ad praecavenda damna e frequenti mulierum consortio oriunda.

Vita communis (can. 134).

In his remediis maxime pollet consuetudo vitae communis inter clericos. Proinde in votis est ut apud omnes eius obligatio urgeatur.

Sacerdotes operarii (can. 139).

Quae quaestio est magni momenti et, diu ponderata crebris consiliis, dirempta est a Sacra Congregatione. Passim tamen videtur resumi ad novam disceptationem.

Si mentem nostram aperire dignaremur, nobis liceat ea quae sequuntur exponere:

a) Sacerdotes non incumbendi sunt, ex toto vel etiam ex parte, muneribus quibus operarii efficerentur.

Praeter argumenta allata a S. Congregatione, ecce illud quod est grave et in Iure refertum: nulli sacerdotum licet materialibus negotiis vacare, quibus evaderet mercator. Si per speciem sacerdotum operario-

rum, porta, ut ita dicam, recluderetur, quomodo possibile evaderetur eam in posterum claudere?

b) Quod si permissio daretur, id unice fiat:

in aliquibus maximis urbibus frequentatis praecipue ab opificibus: Parisiis, Massilia, etc.;

et in favorem sacerdotum constitutorum in Societatibus religiosis et stricta vivendi norma, cum obligatione eorum exercitiorum quotidianorum in commune quae in Iure indicantur ac frequentibus, ut aiunt, « revisions de vie ».

De potestate Episcoporum (cann. 329-349).

Ad expediendum celerius multas quaestiones quae spectant regimen habituale dioecesis, nonne opportunius esset concedere Ordinariis locorum facultatem per se ipsos eas quaestiones dirimendi sine recursu ad Sanctam Sedem?

De Capitulis canonicorum (cann. 391-422).

Regulae Canonum de Capitulis canonicorum non sunt consentaneae praesentibus necessitatibus, tum quia plerumque desunt praebendae et historice tantum in multis locis merentur vocari « beneficia », tum quia saepe, ob penuriam sacerdotum, impossibile evadit servitium chorale. Valde ergo oportet ut statuta nova imponantur quae, tutando existentiam et iura Capitulorum, ea efficacius nostris temporibus accommodent.

De religiosis (cann. 500, 831, 804, 612, 1345, 131, 619) *quibus paroeciae commissae sunt.*

Cum religiosis saepe commissa sit administratio paroeciarum, expedit ut in tanto officio non immittantur nisi sedula praeparatione. Ne se habeant ut alieni Dioecesi in quo ministerium paroeciale exercent. Maxima cura invigilent ut legitimis consuetudinibus locorum se conforment. Sciant semper se esse in potestate Ordinarii loci.

2. *De laicis* (cann. 682-725).

Actio Catholica.

Certe haud dubium est quin efficacia Actionis Catholicae experientia constet, praesertim in Actione Catholica Generali.

De Actione Catholica quam « Spécialisée » vocant, etiam atque etiam rogamus ut:

a) Firmissime asseveretur eam non posse, ut ita dicam, « structurari » in unoquoque eius membrorum nisi per crebrum usum orationis et quodam « ressourcement » in ea, non solum in communi, sed etiam privatim, sicut ea quae in adoratione quotidiana SS. Sacramenti consistit, vel in pio exercitio Viae Crucis, heu! nunc a fidelibus fere deserto, exceptis feriis sextis in Quadragesima.

b) Agnoscatur Actionem Catholicam « Spécialisée » nequire aliud

esse de facto nisi institutionem lectissimam christianorum (aliqui iuvenes J.O.C. vel J.A.C. Aliquae familiae A.C.O. vel A.C.I.) et summopere damnosa foret suppressio, quasi obsoletorum, operum olim conditorum ad institutionem totius gregis fidelium, ut fuerunt *Patronatus,* per quos, a prima communione, pueri consortes fiebant aliquo modo paroeciae atque adeo militantis Ecclesiae.

Ceterum, multae contestationes ortae sunt circa extensionem vocabuli « Action Catholique ». Petimus ut definitio elucubretur quae postremo omnes controversias dirimat.

Construendum est dummodo aliunde non destruatur, aut saltem, si quid destruitur, hoc non fiat nisi cum certa fiducia quod constructio excogitata tenebit revera locum institutionis pristinae et melius faciet in linea praefinita ubi homines ingressi sunt.

Liber III – De Sacramentis

Publicationes matrimoniales (cann. 1022-1030).

Publicationes quae fiunt ante matrimonii celebrationem videntur, in praesentibus adiunctis, omni opportunitate destitui. Multi iam in usu sunt modi efficacius detegendi impedimenta. Quapropter haud dubium est quin eae publicationes possint sine impedimento abrogari.

De hora Missae celebrandae (can. 821).

Item optandum est ut, pro celebratione Missae, non sit amplius distinctio inter horas matutinas et horas postmeridianas, dummodo serventur leges ieiunii eucharistici. Haec suppressio multis prodesset sacerdotibus, praesertim parochis qui celebrare debent missas matrimonii aut exsequiarum.

De cultu divino (cann. 1255-1321, 818, 819).

Nonnulli innovationibus liturgicis favent, contemptis regulis adhuc vigentibus. Haud raro asserunt se ita facere ut aperiant viam futuris, ut aiunt, decisionibus S. Congregationis Rituum. Quorum arrogantia, ut maxime periculosa unitati cultus catholici, cum magna severitate damnanda est.

Liber V – De delictis et poenis (cann. 2195-2414)

Tandem simplificatio Libri V *Codicis Iuris Canonici* valde desideratur ab omnibus sive clericis sive laicis, utpote magis accommodata hominibus nostrae aetatis, quorum animus deficit solo aspectu illius silvae inextricabilis!

✠ Iulianus Le Couëdic
Episcopus Trecensis

79

EXC.MI P. D. AMABILIS CHASSAIGNE
Episcopi Tutelensis (Tulle)

1 C/59-1401 Tulle, le 10 septembre 1959

Humiliter et confidenter, Episcopus Tutelensis communicat Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico aliquas animadversiones petitas a littera 18 iunii 1959.

Hae sunt insufficientes, sed fidit Episcopis et Commissionibus, ut corrigantur, compleantur, adaptentur responsiones quae ex toto orbe terrarum perveniunt ad Sanctam Sedem.

Orat ex toto corde pro Concilio.

✠ AMABILIS CHASSAIGNE
Episcopus Tutelensis

Extendantur Episcoporum facultates, praesertim circa impedimenta matrimonii.

Permittatur celebratio missae sine ministro inserviente et, etiam, sine ullo fidele praesente, quando parochus est in ecclesia omnino solus. Non raro evenit ut parochi, in feriis, nullum fidelem inveniant in ecclesia, quando eam adeunt ut sanctum sacrificium celebrent. Si facultas petita non conceditur, aliqui sacerdotes, saepe per plures dies, abstinere se debebunt a celebratione, et, in suo apostolatu difficili, consolationem missae quotidianae non habebunt.

Valeant episcopi permittere, servatis servandis, sanctam celebrationem domi sacerdotibus aetate provectis, vel aliqua infirmitate laborantibus qua prohibentur ad ecclesiam vel oratorium accedere.

Valde optandum est ut episcopi residentiales, qui iam septuagesimum aetatis suae annum impleverunt, regimen dioecesis suae deponant.

Regimen enim alicuius dioecesis est, nostris temporibus, res valde complexa et difficillima. Episcopus aetate provectior non sine difficultate mentem coetaneorum suorum intelligit, eorum necessitates et aspirationes; et, insuper, ratione aetatis suae et, non raro, adversae valetudinis, omittere debet certa negotia apostolatus sui et, inde, non potest suo officio circa populi christiani bonum satisfacere.

Idem dicendum esset de parochis. Attamen, ob defectum cleri, suis dioecesibus necessarii, remanent et debent, saltem maior eorum pars, usque ad mortem suum ministerium adimplere.

Sed, ad saltem quaedam incommoda vitanda quae secum aetas affert, videtur necessarium abolere inamovibilitatem de qua in can. 454.

Scriptores, non solum laici, sed etiam clerici non pauci, tam saeculares quam regulares, abutuntur libertate in publicandis libris, periodicis, diariis.

Sub specie apostolatus, propositiones divulgant quae non raro dubia spargunt, parvi faciunt de auctoritate magisterii, et certe favent hodiernae propensioni ad examen cuiuscumque quaestionis a singulis libere faciendum.

Sic, in multis, serpunt errores protestantismi, modernismi, « naturalismi », in re dogmatica, morali et biblica.

In re dogmatica, obsoleta apparet theologia ad mentem Sancti Thomae.

In re biblica, circa usum librorum sacrorum, imprudenter saepe commendatur lectio ad mentem protestantismi.

Circa rem moralem, multi abusive retinent, ut regulam excusantem, principium « lex non obligat cum tanto incommodo », et, ut pauca, referam: omittunt recitationem breviarii cum extrema facilitate, non observant praescriptiones circa ieiunium eucharisticum, quaerunt excusationem actionum contra castitatem in « necessitate » physica, psychologica, sociali, coniugibus proponunt illam moralem quam « de situation » vocant, et etiam « amplexum reservatum » (étreinte réservée) ut dicunt. Et haec non sine magno detrimento animarum.

In his omnibus videtur omnino necessarius interventus Auctoritatis Supremae ad tuendam disciplinam Ecclesiae et servandam integritatem depositi fidei.

Desideratur statum « laicatus » definiri.

Explicentur a Suprema Auctoritate termini ipsi, definiantur iura et obligationes laicorum, illorum praesertim qui dicuntur adscripti (engagés) ad quamdam actionem catholicam, oeconomicam, politicam. Non raro, in scriptis et etiam in factis, aut nimis augentur, aut nimis minuuntur partes laicorum, quod ducit ad confusiones damnosas.

80

EXC.MI P. D. PAULI VIGNANCOUR
Episcopi Valentinensis (Valence)

Rep.: Prot. N. I C/59-1424 Valence, le 3 janvier 1960

Eminence Révérendissime,

Je prie Votre Eminence Révérendissime de vouloir bien trouver ci-incluse la réponse aux demandes que Sa Sainteté par votre bienveillant intermédiaire a bien voulu faire aux Evêques appelés à participer au prochain Conseil Œcuménique.

Je m'excuse du long retard mis à répondre à cette demande, mais nommé depuis un peu plus d'un an seulement au siège de Valence, je n'osais donner un avis sur des questions sur lesquelles je sentais mon inexpérience.

Daignez agréer, Eminence Révérendissime, l'expression et l'hommage de mon profond et religieux respect.

✠ PAUL VIGNANCOUR
Evêque de Valence

DE DOGMATICA THEOLOGIA

1. Circonscriptius exponatur marxisti communismi doctrina, eiusdemque ab Ecclesia condemnatio.

Definiatur capitalismi doctrina et contra eius abusus christifideles moneantur.

Exponatur Ecclesiae doctrina in sociali materia, praesertim quoad humanae naturae dignitatem, eiusque consectaria relate ad familiam et professionem.

2. *De creatione.* – Transformismi definiatur doctrina et enucleata exponatur doctrina Ecclesiae de mundi creatione et hominis origine.

3. *De redemptione.* – Dentur de Christi Sacerdotio distinctae notiones.

4. *De Ecclesia Christi.* – Genuina detur catholicitatis notio, de universali Ecclesiae evangelii spargendi missione, et quomodo hoc munere fungatur Ecclesia.

De Ecclesiae Apostolicitate: De Sacrae hierarchiae notione; praesertim ad spargendi evangelii officium.

Consectariorum titulo, exponatur natura et modus Christifidelium apostolatus, ut Ecclesiae membrorum.

Idem de apostolatu, ut Actionis Catholicae cooperatorum.

De Ecclesiae Unitate: De Oecumenismi quaestione.

De Theologia Morali in genere et in specie

De legum interpretatione: Ampliores Episcopo facultates ad leges interpretandas concedantur.

De virtutibus theologicis: De virtute fidei: relationes cum acatholicis habendae pressius determinentur.

De praeceptis Decalogi

De III praecepto: Enucleatius indicentur quae sint opera diebus dominicis vel festis de praecepto prohibita vel prohibenda.

De IV praecepto: Solemnius enuncietur Ecclesiae doctrina de belli gerendi legitimitate, necnon de atomici, ut aiunt, fulminei globi usu.

De VII et X praecepto: Idem fiat de privati dominii natura.

De Ecclesiae praeceptis

De ieiunii et abstinentiae praecepto dispositiones retractentur.

Idem de librorum prohibitione fiat.

Pressius indicetur missio personarum in tribus praecipue Ecclesiae statibus degentium, clericali, nempe, religioso et laicali.

Iuris Canonici statuta de poenis et censuris ad simpliciorem modum contrahantur.

De Sacramentis

Quid de liceitate sacramenti ab indigno ministro suscepti?

An administrandum sit puero *baptismum,* quando parentes acatholici sunt aut adversus Ecclesiam infensi?

Quid in eodem casu ad *matrimonium* quod attinet.

De SS. Eucharistiae Sacramento: An de liturgicis rebus, de altaribus praecipue, praecepta non sint mutanda?

Extremae Unctionis Sacramentum, opportunius « infirmorum sacramentum » appellari videretur.

De Ordinis Sacramento: Utrum Episcopatus sit ordo a sacerdotio prorsus distinctus an tantum eiusdem ordinis complementum?

An diaconatus opportunius conferri possit clericis ad sacrum presbyteratus Ordinem non accessuris, seu propria voluntate, seu ob aliquem habilitatis defectum?

De Iuris Canonici Codice

Amoveatur inamovibilitas parochorum provectioris aetatis, vel diuturno morbo laborantium.

Iuris Canonici statuta de poenis et censuris ad simpliciorem modum contrahantur.

Status laicorum definiatur.

Diversae quaestiones

Primo mensis aprilis die dominico festum Paschae quotannis deinceps celebretur.

✠ Paulus Vignancour
Episcopus Valentinensis

81

Exc.mi P. D. EUGENII IOSEPHI LE BELLEC
Episcopi Venetensis (Vannes)

Eminentissime Domine,

Tales fuerunt, de facto, circumstantiae pro subscriptore huius responsionis ad quaesita circa praeparationem futuri Concilii Oecumenici, secundum voluntatem Summi Pontificis Ioannis XXIII, ut revera non potuit libera mente exarare animadversiones proprias, et ita serius quam initio mensis septembris 1959 perveniet ad Eminentiam Vestram ista responsio, attamen redacta post maturam considerationem.

I. De quibusdam doctrinae capitibus

Imprimis de Beata Maria Virgine

Ex intimo corde optat Episcopus Venetensis atque enixe orat ut S. Concilium, una cum Pontifice nostro Ioanne, declaret ac definiat illam B. Virginem, ex consensu quem dedit Incarnationi Verbi Dei, necnon ex meritis suis et intercessione,

vere fuisse adiutricem redemptionis nostrae, et per Eam genus humanum gratiam salutis acquisisse;

proinde, « vere dispensatricem universorum munerum quae nobis Iesus nece et sanguine paravit »;

et proprie Reginam ac veram Matrem universorum christifidelium necnon et generis humani existere.

Praeterea, praedictus Episcopus ad prudentiam peritae Commissionis pontificiae defert rogationes, animadversiones aut vota quae sequuntur:

De Sacra Scriptura

Quid sit inspiratio divina? Evolvantur, ad mentem Leonis XIII et Pii XII, verba Apostoli et Conciliorum « Scriptura divinitus inspirata » et « Spiritu Sancto dictitante »;

de interpretatione Textus: principia declarentur ad mentem Pii Pap. XII;

de Textu authentico: num auctoritas « veteri Vulgatae latinae editioni » adscripta etiam in hodiernis sola valeat temporibus?

De Deo creante

De origine mundi et hominis in concreto: quid credendum aut saltem sentiendum de modo quo Deus, « Conditor mundi », res edidit, praesertim virum et feminam?

Cui adnectitur quaestio de temporis momento quo Creator Adamum sanctificavit.

Quibus normis editis normae exstruantur ad viam fidei clare signandam in his rebus hodie valde intricatis.

De constitutione Ecclesiae

Quod scilicet « de constitutione Ecclesiae Christi » opus sit explendum Concilii Vaticani. Cum enim Patres luctuosis eventibus, privilegiis vero iuribusque Romani Pontificis iam feliciter vindicatis, impediti sunt quominus munera et officia Episcoporum adamussim definirent utpote Apostolorum successorum, exinde magnopere expetendum est ut plane sit descripta doctrina catholica de *episcopatu*:

a) Et quidem mihi singulariter liceat aestimare valde congruens necessitatibus huius temporis et maiori bono Ecclesiae quod manifeste prolata eveniat iurisdictio illa universalis quam singuli Episcopi participant in solidum ut sunt membra Collegii seu Corporis episcopalis sub auctoritate suprema Romani Pontificis, Petri successoris.

b) Quod munus, legatione emanans quam Christus Dominus mandavit Collegio Apostolorum eorumque successoribus, fundamentum praestaret firmum, in ordine regiminis Ecclesiae, quibusdam institutionibus quae, in praesenti, ansas praebent desiderii.

Absit omnino, ut patet, quod habeamus in mente detrectare aliquid de integra potestate Romani Pontificis regendi totam Ecclesiam Dei! Quod attinet dumtaxat ad *modum exercendi in concreto hanc potestatem,* maxime interest ut regat et gubernet per adiutores in singulis nationibus constitutos, qui praesint collegiis Episcoporum vi specialis delegationis. Etenim, in diversis nationibus seu provinciis terrae quas amplectitur Ecclesia Mater, necessitates ac pericula quibus fides moresque necnon et ipsa religio afficiuntur, utpote communia in genere omnibus et singulis dioecesibus, requirunt penes Episcopos uniuscuiusque regionis officia eis obsistendi in solidum, communiter adhibendo media accurate elaborata. Quod autem fieri nequit nisi auctoritate et auxilio sive patriarchae sive coetus cuiusdam episcopalis in ipsa regione sedentis. De facto, iam in multis locis existunt coetus huiusmodi munere prospere fungentes. Quorum vero et, in futuro, aliorum similium auctoritas de iure stabiliatur ac definiatur principiis theologicis certis.

N. B.: Accedit quod regimen Ecclesiae universali tali modo applicatum viam sterneret ad ecclesiarum dissidentium reditum in familiam Petri; siquidem non iam ut « unitae » seu « hospites et advenae », sed quasi de plano ut filiae, pares et similes iuribus ac structura, in domum suam propriam insertae.

De Corpore Mystico Christi

Expedit subsequi doctrinam de Corpore Christi Mystico, quam animae huius temporis tam avide amplectuntur, non sane nisi afflante Spiritu. Mentes autem circa hanc doctrinam, etsi habeantur supremi Magisterii documenta, adhuc fluctuant. Itaque, tandem aliquando plenius exprimatur Ecclesia et Societas spiritualis quam Christus, Caput eius, vivificat per Spiritum suum sanctum: operae scilicet pretium esset ut describeretur qualium animarum vere sit Caput et quali influxu Vitam suam illis impertiatur.

Item clarius manifestentur respectiva munera clericorum et laicorum in Ecclesia quae est Corpus Christi. Etenim, hodie fideles, melius intelligentes vocationem suam qua membra viva totius Corporis bono provideant, libentius officia in Regno Dei promovendo accipiunt. Attamen, intra quos fines utiliter operam praestent laici ut cooperatores rite exstent Cleri et ultra quos fines non procedant clerici ut respondeant vocationi

propriae simul et necessitatibus apostolicis mundi actualis, in diversis Ecclesiae partibus non videntur, concrete saltem, consentire arbitri periti. Unde, uno verbo, natura et ambitus « Actionis catholicae » quam vocant, iterum et clarius enuntientur.

De Sacramentis

De confirmatione: Episcopis ipsis facultas eveniat concessa presbyteros delegandi, in conditionibus stricte definitis, e mandato muneribus officiisve nexo, ad conferendum privatim sacramentum confirmationis baptizatis in gravissimo mortis periculo constitutis. Deinde, quid putandum est de modis valde diversis agendi circa aetatem, aliunde a Synodis de facto praescriptam, ad illud sacramentum recipiendum?

De SS. Eucharistia: Definiatur, vel saltem lucide ac certo proferatur quo modo habeatur et in quo consistat « verum sacrificium » in Missa oblatum, relate ad sacrificium Crucis, et ad Caenam Domini, necnon et ad oblationem a Sancta Ecclesia effectam, ita ut populo christiano doctores et pastores animarum copiam habeant exponendi non amplius quamdam opinionem theologicam, ut fit in praesenti, sed genuinam Ecclesiae doctrinam.

De sacro Ordine: Iterum et apertius describantur materia et forma in collatione presbyteratus et diaconatus. Valde etiam optandum videtur esse ut elucidentur relationes inter ordinem Episcoporum et sacerdotum « secundi meriti ».

II. DE QUIBUSDAM ALIIS NEGOTIIS MAIORIS MOMENTI ET PRAECIPUE, DE DISCIPLINA CLERI ET POPULI CHRISTIANI

Ad primum, de Clero

Quoad *institutionem*: Non secus ac Tridentinum instituens pro clericis Seminaria, futurum Concilium egregie consuleret maiori bono Ecclesiae atque animarum, si hoc lege sanciret quod alumni ad sacerdotium adspirantes informarentur aliquo novitiatu, ad mentem can. 565, § 1, sive per annum integrum, sive per tempus proposito congruens, antequam studia proprie ecclesiastica aggrediantur. Videat perita Commissio quid suadeant sollicitudo sua et prudentia.

Alius est modus quo venturum Concilium opportune, ut in desiderio est multorum, vitam sacerdotalem abundantius sustentaret et priorem formationem efficaciter quasi compleret, iubendo scilicet omnes et sin-

gulos sacerdotes, quocumque in officio sint versati, post aliquot annos ab ordinatione transactos, vacare per tempus sat longum et potius collegialiter, studiis exercitiisque spiritualibus, omni cura pastorali immediata seclusa.

Quoad *vitam in statu clericali*: Obligationes sanctaeque traditiones quo modo serventur consulat Concilium. Praecisis nempe normis moderetur habitus cleri relate ad copias vitae modernae. Etenim clerici, saepe neglectis ultimorum statutorum synodalium dispositionibus quae in his rebus episcopalem veniam exigunt, frequentius ac longius quam par est itinerantur, ope videlicet vehiculorum « automobilium », attonitis plerumque fidelibus qui eisdem stipem non raro liberalem, sed in ordine ad ministerium suum adimplendum est prodiri canones, quia magis ac magis, saltem in particularibus, unusquisque pro suo arbitrio eligit et sine causa, usum communem contemnit. Similiter dicendum est de adhibendis instrumentis radiophonicis ad oblectamentum, et, in futuro proximo, praesertim « televisivis » nuncupatis, quorum productionibus tempus pretiosum sat facile perditur, ne dicamus etiam gravitas debita vel innocentia animae enervantur!

Quoad *curam animarum*:

a) Urgeatur et, si adhuc maiora possunt fieri, normis practicis promoveatur praedicatio et diffusio Verbi Dei. Plures enim sacerdotes in iuvenum cultu plus videntur ludicra, oblectamenta ambulationesque aestimare quam alte religiosam educationem, aut exiguiori tempori parcere ut suis ipsorum studiis ac pietatis obligationibus integre et accurate vacent: quod sane nedum sibimetipsis, sed et sui fructibus ministerii valde nocet. Foveantur ergo media ut conciones suas, doctrina solida fulti, funditus elaborent et etiam technice apte praeparare curent.

b) Magis ac magis pastores animarum, non solum in Missionibus apud infideles, sed etiam solitarii in paroeciis multis apud nos, egent adiutoribus in munere peragendo. Adsunt profecto mulieres et viri religiosi atque aliae animae ad servitium consecratae Dei et Ecclesiae, sed impares numero et facultate auxilium praestandi in omni necessitatum genere. Unde opportunum videtur quod ipsa Ecclesia laicos, etiam in matrimonio collocatos, accurate seligat et mittat quodam ordinationis ritu ad iuvandum, in officiis quae illis apte pertineant, pastores aut presbyteros curam habentes animarum. Etiam feminae congruentes partes multas et non parvi momenti possent accipere in hoc Ecclesiae servitio. Quid autem in praxi...?

c) Cum, ex alia parte, conservatio ipsius fidei quae usquemodo apud nos absque corruptione permanet, non obstantibus Protestantium sectarum aut Modernistarum recentiorum, tribui debeat praestantissimo

modo scholis quas « liberas » dicimus, optandum est quod religiosae Congregationes plures scholae magistros suppeditare possint in adiutorium pastorum paroecialium.

Deinde, pro bono Populi christiani

Circa *disciplinam sacramentorum*: et quidem, in specie, matrimonii. Iterum et magnopere futurum Concilium curet de cautionibus adhibendis ad providendum sanctitati istius sacramenti, et ad praecavendum aut cohibendum luem divortii.

De baptismo. Non raro nostris diebus evenit apud etiam gentes nostras, proh dolor! quod viri et mulieres adulti sint facti extra fidem. Cum tamen isti, data occasione, ad fontem cupiant baptismatis accedere, videtur quod non frustra ageret S. Concilium de mediis opportunioribus ad informationem et perseverantiam praedictorum adultorum, ita ut certis normis canonicis, ubicumque opus sit, rite instituendi sint quos, alicubi iam « catechumenatus » vocant.

De aliquibus praeceptis: Accomodentur necessitatibus moribusque temporis hodierni, et plane declarentur,

a) praeceptum divinum de prohibitione « operum servilium » (quid in concreto?), in diebus dominicis et festivis;

b) praeceptum ecclesiasticum de abstinentia et ieiunio.

* * *

Dignetur Eminentia Vestra suscipere testimonium meae humillimae venerationis.

Et placeat Deo omnipotenti benedicere grande opus totius Commissionis Antepraeparatoriae cui praest Eminentia Vestra.

Venetiae, die 5 octobris 1959.

✠ Eugenius Iosephus Maria Le Bellec
Episcopus Venetensis

82

Exc.mi P. D. MARIAE GEORGII PETIT
Episcopi Virodunensis (Verdun)

Verdun, le 10 novembre 1959.

Eminence,

Veuillez m'excuser de vous adresser si tardivement les quelques *vota* que vous nous avez encouragés à présenter avec confiance à la Commission Antépréparatoire.

L'occasion m'est donnée, du moins, de vous exprimer la joie que j'ai ressentie à l'annonce du futur Concile Œcuménique. Dieu veuille que j'aie le temps d'en voir la réalisation! En attendant, notre reconnaissance monte filialement vers le Saint-Père.

Et daigne Votre Eminence agréer l'expression de mon profond respect et de mon entier dévouement à la Sainte Eglise de Dieu.

✠ Georges Petit
Evêque de Verdun

Vota quae Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pleno obsequio exponenda videntur a Georgio Petit, Episcopo Virodunensi in Gallia

1. Constitutio de Ecclesia Christi (« Pastor Aeternus ») compleatur quibusdam capitibus: de hodierna Apologia Ecclesiae catholicae; de Episcopatu.

2. Statuatur etiam de Laicis in Ecclesia Dei.

3. Detur notio vera et genuina laicismi, quatenus est error ab omnibus Christifidelibus reiciendus.

4. Respectu doctrinae socialis catholicae, quodnam sit hominis « ius ad laborem », in genere et unicuique singulatim?

5. Ad simpliciorem statum reducantur ea omnia quae pertinent ad censuras ecclesiasticas.

6. Episcopis tribuatur quaedam rationabilis extensio iurium quae respiciunt, sive bonorum ecclesiasticorum propriae dioeceseos administrationem, sive illas facultates directe propriis subiectis concedendas, quae nullo casu abnegantur a SS. Congregationibus Romanis, ita ut vitetur omnis implicatio parum utilis.

7. Coarctetur sive abbrevietur ritus de ecclesiis vel altaribus consecrandis.

8. Ne longius producatur tempus missae celebrandae, cesset obligatio recitandi Preces post privatae missae celebrationem; nam ipsa missa sibimet sufficere videtur, eo magis quo fideles nostri iam nunc participent precibus ipsius missae liturgicis, ad mentem Instructionis « Musica sacra ».

Ne bis recitetur « Confiteor » in eadem missa, scilicet ante communionem fidelium, postquam recitatum iam fuerit initio missae.

Nec iteretur triplex invocatio « Domine non sum dignus », cum iam dicta fuerit a fidelibus simul cum sacerdote.

Cum in dies augeatur numerus fidelium ad sacram synaxim accedentium, coarctetur etiam formula « Corpus Domini Nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam ».

Liceat insuper notare « disproportionem », ut ita dicam, inter preces recitandas (Ps. « Lavabo ») et actum lavandi manus.

9. De provinciis ecclesiasticis. Distributio seu compositio provinciarum ecclesiasticarum conformetur, tum rectae rationi, tum veritati « sociologicae », tum difficultatibus itineris longi et longioris faciendi.

Examinari poterit, exempli causa, figura provinciae a qua pendet dioecesis Virodunensis.

✠ M. GEORGIUS PETIT
Episcopus Virodunensis

83

EXC.MI P. D. ALEXANDRI RENARD
Episcopi Versaliensis (Versailles)

Versaliis, die 22 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Acceptis cum magna reverentia Litteris I C/59 - 1443 Eminentiae Tuae Reverendissimae, humiliter rogo dominationem Tuam Em.mam assentiri aliquot sententiis ac quaestionibus ob futurum Concilium.

Studium Ecclesiae peculiaris seu dioecesanae mihi videtur res praecipua quae debuisset subtiliter exsequi in doctrina et disciplina. Ideo vellem deferre aliquas quaestiones illius actuales, perpensis quibusdam necessitatibus vel defectibus.

I. *De Episcopo et de munere apostolico*

Summus Pontifex Pius XII nuper Episcopis revocabat illos una cum Romano Pontifice Beati Petri successore, onus et officium Universae Ecclesiae, et in primis munus missionum in terrarum orbe gerere: Collegium Episcoporum succedit in locum Duodecim Apostolorum cum suis praecipuis officiis.

In iure vero canonico, ut extat in Codice et in more, haec doctrinalis affirmatio nullam vim habet: tum sollicitudo pastoralis, tum munus apostolicum Episcopi limitari videtur finibus suae dioecesis.

Clerici incardinantur, ut certo propter graves causas, dioecesi ita ut non possint, nisi cum magna difficultate, ad aliam dioecesim etiam ob apostolicas causas, transire. Hodiernis populorum migrationibus, quaedam dioeceses vacuaefiunt, clerici autem ibi manent omnes; quaedam dioeceses ingenti modo celebriores fiunt, clerici autem manent tam pauci quam prius; unde tum cura animarum, tum Evangelii praedicatio fit multo difficilior. Dioecesim Versaliensem v. g. petunt quot annis 100.000 homines quos nullus comitatur sacerdos, dum dioeceses quae vacuaefiunt retinent suos clericos.

Voletne Concilium memoriam renovare huius universalis muneris Episcoporum, et ad consonandum cum necessitatibus apostolicis hodiernorum temporum etiam in regionibus quas habent christianas, hoc significare mitigatione legum incardinationis ac excardinationis, cum facilitate aucta pro licentia obtinenda, apostolatus causa, dioecesim transeundi?

II. *De Episcopo et de Suo clero*

a) de parochorum inamovibilitate.

In nonnullis casibus, Episcopus appetens meliorem facere pastoralem temperationem obices invenit in inamovibilitate parochorum.

Etenim debet Episcopus conferre paroecias sacerdotibus idoneis ad curam et apostolatum. Si forte parochus, decursu temporis et quacumque de causa, fit minus idoneus, iura quae habet ex inamovibilitate eum impellunt ut nolit quod deest agnoscere. Procedura Codicis, ad illum amovendum, cito odiosa, efficax est tantum si condiciones paroeciae iam in gravi ac publico periculo versantur.

Praeterea ad opportunam temperationem dioecesis expedit non tantum parochum munus deponere si imperitum, sed etiam annuere transferri ad aliam paroeciam vel officium ubi, Episcopi iudicio, maiorem utilitatem habebit, immo si humano iudicio novum officium videtur minus lautum.

Decetne tunc parochos inamovibiles ius agnitum habere non tantum rationes exponere, sed etiam translationem bono communi dioecesis utilem nolle?

Re vera, tentamina impotentis Episcopi dare locum possunt tuendi parochos, ut alios clericos, ab ipsius levitate, sed recursus post oboedientiam videtur magis convenire hodiernis temporibus, ut adest in civilibus communitatibus.

b) de structura cleri dioecesani.

Clerus dioecesanus mihi videtur nunc carere interna ac firma cohaerentia. Haec cohaerentia pendet quasi exclusive ex auctoritate propria Episcopi et e libero studio sacerdotum: oportet vero firmitatem temperationis cuiuspiam coetus pendere non primo e propriis cuiusque virtutibus, quantumvis necessariis, sed etiam e structuris statutis in societate.

Atqui si hinc clericus incardinatur et si illinc parochus inamovibilis est, summa consuetudinum inter Episcopum et presbyteros fit confusa, praecipue quod attinet ad oboedientiam in « Promitto » Ordinationis fundatam, quae multo minor videtur si vota religiosa perspicis.

Clerus dioecesanus magnam libertatem habet in iure et in facto: sacerdos quidam, si mediocris, videtur non posse « sustinere » has universas libertates quas desiderat vel quae illi occurrunt. Saepius hae libertates obsunt ipsi et ipsius muneri apostolico.

Nonne expediret definire doctrinam et disciplinam auctoritatis paternalis Episcopi et filialis oboedientiae cleri?

Haec in medio relinquere in praesenti et generali defectu sensus communitatis (gallice « Individualisme »), non potest prodesse ad cohaerentiam corporis sacerdotalis et ad apostolatum Ecclesiae.

Reipsa mihi videtur optandum definire omnem spiritualitatem cleri dioecesani cum Episcopo. Concilium Vaticanum, Infallibilitatem Romani Pontificis definiens, firmavit vincula Episcoporum ac fidelium cum Petro, quo gaudemus: bene esset nunc quod Ecclesia dioecesana in sua structura doctrinali, spirituali ac iuridica illustraretur.

III. *De Episcopo et de laicorum apostolatu*

In recentibus temporibus, nonnulla documenta Romanorum Pontificum pertinent ad laicorum apostolatum: Nonne esset tempus opportunum determinare aliqua principia doctrinalia tum ad modum interdum nimis liberum contrahendum laicorum quod attinet ad clerum; tum ad clerum docendum actuosam partem baptisatorum in Ecclesia.

Quaestio hic praecipua est Actio Catholica, eius definitio et pars in

Ecclesiae Apostolatu, eius coniunctio cum Episcopo, munus tabulariorum eius nationalium, eius status quod attinet ad alios coetus, fines « catholici adulta aetate », etc.

Haec tamen quaestio Actionis Catholicae continetur illa ampliore Apostolatus laicorum: ad quem apostolatum vocatur quicumque baptisatus? Et etiam, quid videtur Apostolatus et Ecclesiae Apostolatus? Quomodo impedire confusionem inter temporale et spirituale? Inter Fidem et liberas optiones? Inter sacerdotem et actuosum laicum (gallice: « militant »)?

Interim, qua par est reverentia, et sacram purpuram osculans, me profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum

✠ A. Renard
Episcopus Versaliensis

84

Exc.mi P. D. ALAPHRIDI COUDERE
Episcopi Vivariensis (Viviers)

Eminentissime Praesul,

Post quaestiones maximi momenti quas proposuit Summus Pontifex Concilio Oecumenico, videlicet Unitatis Ecclesiarum, et adaptationis Codicis ecclesiastici huius temporis conditionibus, mihi videntur proponenda sequentia:

I. 1. Doctrina catholica adversus haereses et errores modernos quae vulgo nominantur marxismus, materialismus, modernismus plus minusve velatus circa statum supernaturalem, gratiae naturam et necessitatem, sacramenta, Ecclesiae notionem et auctoritatem.

2. Explanatio doctrinae episcopatus, seu status, missionis et potestatis episcoporum sive singulatim sive in collegio apostolico consideratorum.

3. Explanatio episcoporum auctoritatis in propria dioecesi circa fideles, sacerdotes et religiosas etiam exempti ordinis. Potestas in monasteriis pontificalibus monachos aut moniales dispensandi a clausura in casu necessitatis dubiae, v. g. observationis medicalis, operationis radiologicae, protheseos dentium, oculorum, aurium, interventionis chirur-

gicalis, etc., nimis stricta videtur. Episcopus ordinarius, ratione proximitatis, iudicare casus gravitatem et abusus impedire facile potest.

II. *Circa moralem doctrinam,* dogma unitatis et indissolubilitatis sacramenti matrimonii ad memoriam revocandum videtur. Divortium et unio libera frequentius multiplicantur et opinio publica erga sontes nimis indulgens fit.

Praeparatio matrimoniorum vere christiana commendanda est.

Similiter abusus in vita coniugali facile excusantur ab opinione communi quae credit omnia licere etiam contra naturam inter sponsos.

III. *Circa disciplinam cleri.* Utile videtur obligationes sacerdotales in memoriam revocare:

1. in vita exteriore quoad vestimenta, tonsuram, mores usuales, lusus, cinematographum, televisionem, TSF, etc.;

2. in vita interiori et spirituali et in relationibus oboedientiae cum episcopo;

3. in ministerio sive paroeciae, sive actionis catholicae, v. g.; in conventibus iuvenum sive masculorum sive feminarum, ubi frequenter quamdam mixitatem admittunt.

IV. *Circa disciplinam populi christiani*: abusus frequentiores in moribus, in vestium decentia, aliquoties in nudismo aut semi-nudismo, in relationibus liberis inter personas adultas aut iuvenes utriusque sexus, in ludis, in mixitate sexuum in scholis, in conventibus familiarum etiam catholicarum (surprise-parties, bals, etc.), in usu televisionis, TSF, electrophonii, etiam cum complicitate parentum.

Quae vota humiliter commendo sapientiae Concilii futuri Patrum, ad parandam fidelitatem christianam, salutem et sanctitatem animarum et maiorem gloriam Dei.

Et Deus...

Vivarii die 12 augusti 1959.

✠ ALAPHRIDUS COUDERE
Episcopus Vivariensis

85

Exc.mi P. D. PAULI MARELLA

Archiepiscopi tit. Docleensis, Nuntii Ap. in Gallia

Roma, 1° settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

La ringrazio vivamente della Lettera Circolare del 13 luglio u. s. (Prot. I C/59-1665) con cui l'Eminenza Vostra Rev.ma aveva la compiacenza d'invitarmi a manifestare, al pari degli Ecc.mi Vescovi e Prelati, i miei desideri e voti in vista del futuro Concilio Ecumenico.

La detta Circolare mi è pervenuta mentre ero sul punto di partire per Roma; dovendo rispondere nello spazio di un mese, ho scritto qui in Roma gli acclusi fogli, così come ho potuto.

Ho esposto i vari argomenti un po' alla rinfusa, come mi venivano alla mente, mettendo già « nova et vetera », anzi, molto più « vetera » che « nova », poichè, in fondo, quel che dico son cose e situazioni già studiate e ben note.

L'elenco da me compilato sarà certo trovato incompleto, e, piuttosto, abbondante in particolarismi: esso, in vero, per essere oggettivo, deve riflettere la mia esperienza concreta, acquistata nei vari Paesi, e ben diversi gli uni dagli altri, dove ho servito la Santa Sede: Stati Uniti d'America, Giappone, Australia e Francia.

Ammetto pertanto volentieri che alcuni punti da me menzionati, e soprattutto gli schiarimenti che ho creduto dare sui medesimi, non costituiscono per sè materia di un Concilio.

Non potendo peraltro prevedere quale aspetto e portata potrà assumere l'Assemblea Ecumenica, ho pensato di non tralasciar nulla che mi è sembrato essere di una qualche utilità.

Sottomettendo tutto all'illuminato giudizio dell'Eminenza Vostra, chino al bacio della Sacra Porpora, con sensi di profonda venerazione e illimitato ossequio, passo all'onore di ripetermi

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
um.mo dev.mo obb.mo Servitore

✠ Paolo Marella
Nunzio Apostolico

I. *La Santa Messa*

La S. Messa, centro della liturgia, rinnovazione quotidiana del Mistero della Redenzione, sembra esser diventata in molti paesi cattolici un rito misterioso al quale si assiste passivamente, soltanto per « soddisfare un precetto » di cui spesso s'ignorano le ragioni. In tal modo si è privata la Comunità Cristiana del suo cemento e della sua anima, il Santo Sacrificio.

Il Clero, invece di attuare uno sforzo costante per riportare i fedeli ad una partecipazione attiva alla S. Messa, ha spesso, salvo eccezioni, adottato la soluzione più facile che consiste nel tollerare che il sentimento religioso del popolo si esprima attraverso devozioni e pie pratiche. Così, per occupare i fedeli durante l'« incomprensibile » cerimonia della Messa, anche, e direi specialmente, nelle parrocchie più praticanti si fa ancora recitare il Rosario, altre preghiere o si fanno buone letture.

Si augura che il Concilio prenda in esame disposizioni atte a favorire la comprensione e la partecipazione intima dei fedeli al Santo Sacrificio. Gli esperimenti finora fatti a tale scopo sono numerosi e ben riusciti, come l'uso obbligatorio del Messale, la Messa dialogata, la lettura pubblica dei testi liturgici in lingua volgare, etc. In Francia, quasi dovunque, il popolo può seguire il Sacerdote e rendersi conto della sua « Actio liturgica » attraverso l'« animateur » che tutto legge, dirige, spiega, invitando i presenti ad unirsi agli « Oremus » del Celebrante, ai « Memento », etc.

II. *Sacramenti e Sacramentali*

In alcuni paesi cattolici e qua e là nei paesi di Missione, Messa, Sacramenti, Sacramentali e pie pratiche sono messi dai fedeli sullo stesso piano, forse con netta preferenza per tutte quelle manifestazioni di pietà che maggiormente soddisfano il sentimento religioso. Ne risulta che i fedeli, anche i più devoti perdono man mano il concetto della necessità di accostarsi con frequenza ai Sacramenti, meno efficaci, a loro modo di vedere di una novena, un pellegrinaggio, una medaglia o Reliquia. Non profittando più sufficientemente degli strumenti diretti di Santificazione, la loro vita spirituale diventa anemica: tale indebolimento può renderli preda facile della superstizione, la quale può sboccare col tempo sul materialismo o indifferenza. Quando un popolo incomincia ad ignorare o sottovalutare il significato e l'efficacia dei Sacramenti, e quindi non è più capace di « viverli », si può dire che sia sulla soglia della scristianizzazione.

Alcuni tra i miscredenti, com'è noto, non possono concepire che un crescente disprezzo per una Religione la quale si presenta ad essi come un « miscuglio di superstizioni » e di pratiche « infantili ». È ben vero che essi non conmprenderanno mai se non si umilieranno « sub potenti manu Dei »: ma, per carità, da nostra parte, si può sempre far manifesta la vera posizione della Chiesa.

Se si esagera troppo nelle « devozioni » a scapito della vita sacramentale e della liturgia, se non si sa meglio precisare il posto che occupano nel Cristianesimo le pratiche volontarie di pietà, nei paesi di Missione, specie in Estremo Oriente, i non Cristiani continueranno ad aver difficoltà a percepire la differenza tra la N. S. Religione e le Religioni già da secoli vigenti nei loro Paesi; le quali abbondano di riti e di forme esterne di culto, di oggetti sacri, etc. del tutto uguali o molto simili a quelle cattoliche. Per questo in Giappone si è sempre cercato di non incoraggiare troppo le « devozioni » all'infuori delle necessarie e già da secoli acquisite nella Chiesa.

Concludendo. Sebbene il Cristianesimo debba essere preso « in blocco » e non esista distinzione tra dottrina, morale e Liturgia (legem credendi statuit lex orandi), sebbene ogni pratica o devozione suppone lo spirito di fede, è certo che vi è una gerarchia di valori. Mezzi indispensabili per la santificazione sono i Sacramenti: secondari e facoltativi in molti casi sono i sacramentali, devozioni, etc.; non nel senso che vi sia libertà di ammettere o negarne l'efficacia, ma nel senso che la Chiesa non obbliga a ricorrere ad essi per assicurare la salvezza dell'anima.

Sarebbe utile che il Concilio, pur lodando l'uso moderato di questi mezzi secondari, facesse qualche dichiarazione atta a ristabilire questa « Gerarchia di valori » e far scomparire ogni pregiudizio in proposito.

III. *Precetti della Chiesa*

1. *Digiuno e Astinenza.* Sembrano poco osservati nella forma attuale, specialmente il primo. L'astinenza ha perduto la sua « *ratio poenitentiae* » e non l'ha mai avuta nei paesi dove non si mangia mai o quasi mai la carne (Giappone). Si pensi poi alla dispensa permanente nei paesi di lingua spagnola (Bulla Cruciata). Negli Stati Uniti si sente dir spesso negli ambienti cattolici: « Noi e gli irlandesi siamo quasi gli unici a osservar oggi questo precetto della Chiesa! ». C'è dell'esagerazione, ma anche della verità, e viaggiando, ci si rende conto della situazione. È noto quel che disse il S. Pio X a Tombolo all'inizio della Quaresima: passò in rivista le varie classi di popolo e le loro occupazioni, tenne conto dei lavoratori, delle madri di famiglia e dei deboli e infermi; e concluse che nel paese

erano obbligati al digiuno soltanto il vice-parroco (era lui stesso) e il Segretario Comunale. Non potrebbe il Concilio lasciare all'Episcopato dei singoli paesi di stabilire la natura dell'« astinenza » da farsi una volta alla settimana, o qualche pia opera od elemosina in memoria della Passione di Nostro Signore?

2. Mantenimento della Chiesa e del Clero, non come offerta caritativa e facoltativa, ma, minima che essa sia, come un dovere di « famiglia », considerando Diocesi e Parrocchia come « famiglia spirituale ».

3. Sarebbe opportuno aggiungere tra i precetti della Chiesa il dovere di una « Speciale preparazione al Matrimonio ». È già in vigore in vari Paesi (Cana Circles, Equipes Notre-Dame, etc.). Il Clero dovrebbe favorire queste iniziative di conferenze e ritiri dove persone competenti in materia parlano a fidanzate e fidanzati, alcuni giorni separatamente, altri giorni insieme.

4. L'obbligo per ciascun fedele di « *partecipare attivamente all'apostolato gerarchico della Chiesa* », nella forma più conveniente ai suoi gusti e alle sue occupazioni professionali.

IV. *Questione Ecumenica*

Converrebbe anzitutto rivedere la nostra nomenclatura in lingua specialmente volgare: « eretici », « scismatici », « infedeli », « idolatri », « pagani », hanno oggi perduto il vero significato etimologico e sono di fatto spesso considerati termini ingiurianti che indispongono il lettore o l'interlocutore. Questa è esperienza quotidiana per chi ha vissuto in paesi di gran minoranza cattolica.

Converrebbe forse promuovere, sotto il controllo della competente Autorità ecclesiastica, dei contatti privati fra teologi-cattolici e studiosi acattolici.

Nei limiti consentiti dalla prudenza, degli abboccamenti personali tra le Autorità dei Cristiani dissidenti e teologi cattolici potrebbero esser presi in esame per spianare la strada.

Sia nei riguardi degli orientali separati « ortodossi », come dei protestanti, occorrerebbe metter tutto in opera per abbattere vecchi e dannosi pregiudizi « in omni veritate et charitate ».

Ostacolo per molti protestanti di buona fede e quasi proclivi ad ammettere l'« *organismo della Chiesa* » (cioè il *ius divinum,* o Costituzione divina) è l'« *organizzazione* » della medesima a guisa di stato, impero o governo (*ius ecclesiasticum,* per così dire, amministrazioni temporali, beni, etc.). Ciò, ben si comprende, è dovuto alla difficoltà per i Prote-

stanti ad ammettere il concetto di « *Chiesa visibile* » come insegna la Fede.

Il Concilio potrebbe avere l'occasione di ribadire che le forme esterne di « organizzazione » ecclesiastica che si sono succedute nei secoli (pre-constantiniani, post-constantiniani, medioevali, moderne) sono quelle che ogni società umana subisce nel corso della storia; coi loro vantaggi e svantaggi, e per le quali anche la Chiesa, società perfetta, visibile, divina sì, ma al tempo stesso umana, è passata e passa. La grande differenza con qualsiasi altra Società umana è questa: che il fine dell'« organizzazione » della Chiesa è quello di salvaguardare e proteggere l'« organismo »: deve esser cioè sempre tale da assicurare ai suoi membri, in tutte le età successive, l'integrità del « depositum fidei » e la possibilità di esercitare il mandato di Cristo nel mondo. Che, parlando per esempio, del Vaticano, è sempre viva la frase francescana di Pio XI « Quel tanto di corpo che valga a sostentare l'anima »: anima, « organismo », corpo, « organizzazione »; l'uno e l'altre inseparabili. Che tra la barca di Tiberiade al Trono del Pontefice, non vi corra differenza sostanziale, che tra le Catacombe e i fasti delle Basiliche è solo la forma esterna che cambia.

V. *Extra Ecclesiam nulla salus*

Il Concilio molto utilmente potrebbe rilevare, in modo preciso, il vero significato dell'adagio « Extra Ecclesiam nulla salus », del quale nei tempi si è usato ed abusato, anche in modo da tradire il pensiero della Chiesa e la « voluntas salvifica universalis » del Cristo. Questo si vuol spiegare da alcuni con le opinioni e interpretazioni di Scuole teologiche in Europa, in tempi in cui non si pensava, nè si poteva pensare che al mondo e ai popoli allora conosciuti, e mentre si avevano sott'occhio tanti misfatti, guerre di religione, persecuzioni e, purtroppo, apostasie. Nella vita di S. Francesco Saverio si legge che quando i nuovi convertiti gli domandavano « I nostri parenti dunque si sono o no salvati? », egli, lacrimando, e con immensa tristezza faceva un cenno negativo col capo. Così accadde che alcuni neofiti si recarono ai Cimiteri, scoperchiarono e profanarono le tombe dei loro padri e antenati!

Recentemente il Sant'Uffizio e, mi pare, documenti Pontifici, hanno toccato questo punto, specialmente in connessione con l'eresia (così fu qualificata) del Padre Flynn (?), gesuita di Boston, il quale con un gruppo di intellettuali cattolici riteneva e predicava che i protestanti per il fatto stesso che sono protestanti, non possono salvarsi. Par dunque che a certi tempi la dottrina del « corpo » e dell'« anima » della Chiesa, resti oscurata o trascurata; parimenti, sotto certi aspetti si dimentica il « Battesimo di

desiderio » o l'illustrazione della mente, di cui parla S. Tommaso, per intervento diretto di Dio attraverso il ministero angelico verso coloro che hanno osservato la legge naturale (non cristiani).

VI. *Limitazioni delle nascite*

Le difficoltà di coscienza create da tale problema morale sono molto spesso all'origine dell'allontanamento degli adulti dalla Chiesa e della graduale scristianizzazione delle masse. La questione ostacola seriamente l'espansione missionaria, per esempio in India e in Giappone. Essa rende l'aria irrespirabile per il ginecologo cattolico nei paesi protestanti, dove le leggi suppongono od impongono le pratiche anticoncezioniste.

Sembrerebbe opportuna la definizione di una dottrina unica per porre fine, se possibile, alla confusione provocata tra opinioni divergenti e spesso opposte di teologi e confessori. In quest'ordine di idee si potrebbe prevedere una migliore preparazione al matrimonio, dal lato spirituale, morale, ed anche scientifico (vedi: Precetti della Chiesa). Si dovrebbe precisar meglio, in quanto possibile:

a) metodi positivamente immorali e quindi da condannarsi;
b) metodi da non consigliarsi, ma non da condannarsi;
c) metodi da consigliarsi.

Attraverso apposite Associazioni Cattoliche sarebbe opportuna una educazione degli adulti in materia sessuale per portare positivamente rimedio alle influenze malsane che operano intorno ad essi.

Non sarebbe poi inutile che alcuni manuali di Teologia Morale fossero aggiornati per una migliore guida degli studenti e del clero.

VII. *Il Vescovo*

Il Diritto Canonico obbliga i Vescovi a ricorrere a Roma per questioni di secondaria importanza, nelle quali non si vede la necessità dell'intervento della Suprema Autorità (alcune dispense liturgiche e matrimoniali, dispense circa Ordini Sacri, etc.). Il Concilio potrebbe esaminare e dichiarare quali sono le facoltà dei Vescovi: precisare meglio il contenuto ed il senso del can. 81.

Il Concilio potrebbe studiare la possibilità di attuare una qualche decentrazione, anche in scala modesta, di certi poteri e facoltà, moltiplicando così le responsabilità dall'alto verso il basso, per modo che l'autorità dei Vescovi, « cum Petro et sub Petro », sia rafforzata, senza che ne diminuisca la subordinazione a Roma. Si potrebbe sempre far obbligo ai Vescovi di riferire, a un termine fisso, circa l'uso fatto di certe facoltà.

VIII. *Età limite per i Vescovi*

Il Vescovo, successore degli Apostoli, è padre della sua Diocesi: come tale non vi può esser dunque un limite di età, quasi fosse un funzionario dell'organizzazione ecclesiastica. Tale concetto rende moralmente impossibile alla Santa Sede di chiedere a un Vescovo malato, troppo avanzato in età e inabile al lavoro pastorale, di dare le dimissioni. La consuetudine farebbe apparire il suo ritiro come una punizione, e rari sono i casi di dimissioni spontanee.

Si potrebbe esaminare l'opportunità di una disposizione generale, secondo la quale ogni Vescovo, a un'età fissa, per esempio di 70 o 75 anni, indipendentemente da suo stato di salute, dovrebbe essere obbligato a domandare un Coadiutore con futura successione, al quale dovrebbe passare tutte o in parte le facoltà. Naturalmente il Vescovo resterebbe sempre titolare della Sede con tutti gli onori liturgici, il palazzo Vescovile, etc.: insomma continuerebbe a far quanto può, lasciando le responsabilità più gravi al Coadiutore per ciò che riguarda l'organizzazione della Diocesi. Si eviterebbe così alla Santa Sede di dover prendere a un dato momento la misura estrema e odiosa di un Amministratore Sede Plena.

IX. *Conferenze Vescovili*

Le condizioni create dalla tecnica moderna, la scomparsa delle distanze, le facilità di scambi e simili, hanno fatto sì che oggi tutti i problemi tendono a superare i loro particolarismi e a prendere delle dimensioni nazionali. Mentre da una parte si sente il bisogno di un rafforzamento dell'Autorità Vescovile, e di una decentralizzazione amministrativa, dall'altra si avverte la necessità di un maggiore coordinamento dell'attività dei Vescovi dei singoli Paesi.

Il Concilio potrebbe esaminare le possibilità di istituire in ogni Paese delle Conferenze Vescovili, sul tipo di quelle esistenti negli Stati Uniti, Canada, Francia e altrove.

Si sa che da alcuni non si vede con troppo favore questa specie d'uniformità « pubblica » di un Episcopato rispetto a certi problemi di Chiesa e a situazioni sociali-politiche della Nazione. È chiaro che detta uniformità non può non essere che « esterna », in quanto i singoli Vescovi restano con la loro opinione, spesso discordante con la maggioranza. È però oggi imperativo, che, soprattutto in certi momenti e certe delicate occasioni, non vi siano in un Paese dichiarazioni pubbliche opposte da parte dei Vescovi, come talvolta è avvenuto ed avviene, con grande confusione e danno per la Chiesa. Per parlare in gergo parlamentare l'« oppo-

sizione » deve esserci in un Episcopato, in sede di discussione: ma una volta che la maggioranza si è manifestata, l'opposizione, almeno pubblicamente, dovrebbe tacere.

Queste Conferenze hanno statuti diversi secondo diversi Paesi e debbono essere approvati da Roma.

X. *Crisi di autorità*

Un po' dappertutto, in modo particolare in Francia, all'origine di tanti mali e tante insubordinazioni, lamentate dopo la Seconda Guerra mondiale, vi è una *crisi di autorità.* Questa è occasionata in parte dal fatto che Vescovi, Superiori Religiosi, e Superiori in genere, ciascuno nel loro grado, non sanno sempre comandare come dovrebbero; in parte dal concetto falso che si è diffuso dell'*obbedienza.* Se questa è presa nel senso di un'inclinazione della volontà a quello che l'intelligenza giudica giusto e ragionevole, si comprende facilmente come tanti cattolici e tanti sacerdoti non osservino le disposizioni dell'Autorità senza per questo sentirsi colpevoli. Si è parlato e si è scritto, su riviste sedicenti cattoliche, di un « *devoir de désobéissance* »: in pratica, quando il suddito non vede le ragioni dell'ordine impostogli, e ne vede al contrario le conseguenze dannose, è tenuto a disobbedire al Superiore. Questo paradosso è una espressione della malattia della « democrazia » da cui è affetta la nuova generazione. Si dice che più si è buoni cristiani più si è in dovere di favorire nella Chiesa un'« *opposizione costruttiva* », credendo così di dar gloria a Dio!

È vero che occorre tener conto di questa mentalità e procedere con molta cautela, prudenza e pazienza enorme, per poter comandare ed essere ascoltati, ma non fino al punto di giustificare l'insubordinazione o l'abdicazione dell'autorità. In Francia, per esempio, i Vescovi sono per lo più tirati da forze quasi uguali di « *destra* » e di « *sinistra* » (per quel che possono significare queste due parole) e così non riescono spesso a muoversi; e, quando si muovono, si vedono nella necessità di rimproverare allo stesso tempo e *destra* e *sinistra,* imprigionati come sono da ambedue le tendenze opposte e battagliere.

XI. *Parrocchia*

La Parrocchia, come centro vitale dell'organizzazione ecclesiastica, sembra essere in crisi. Nei « *centri urbani* » la vita parrocchiale è resa difficile, se non impossibile, dalle esigenze dell'attività professionale dei fedeli. Nella zona parigina, per esempio, milioni di persone si recano

ogni giorno nella Capitale, vi rimangono fino alla sera e rientrano a casa solo per dormire. Per questo la Diocesi di Versailles è chiamata « le dortoir de Paris » (New York-Brooklyn; Londra-Southwark, etc.). Tutti questi fedeli non possono sentirsi membri di una Comunità parrocchiale nè a Parigi, dove vengono solo per lavorare, nè a Versailles, dove vengono solo per dormire. Sembra pertanto che una revisione del classico concetto di « parrocchia territoriale », almeno per quanto riguarda le zone urbane e industriali, s'imponga.

Nelle *campagne* invece sarebbe opportuno studiare un nuovo sistema d'organizzazione parrocchiale. La penuria estrema del Clero da una parte e la facilità delle comunicazioni dall'altra, non permettono di continuare ad assegnare ad un sacerdote ognuna delle numerosissime Parrocchie di 200-500 anime disseminate nelle campagne. Delle esperienze compiute in Francia dimostrano che l'assistenza ai piccoli villaggi può essere convenientemente assicurata da una Comunità centrale (corrispondente più o meno al Vicariato Foraneo o Decanato) della quale fanno parte tanti Sacerdoti quanti sono necessari per visitare due volte alla settimana una determinata Parrocchia. Durante gli altri giorni della settimana i medesimi Sacerdoti possono occuparsi dell'« Azione Cattolica », di attività culturali ed educative. In tal modo, senza privare i contadini della necessaria assistenza, si ha il vantaggio di risolvere il problema dell'isolamento del Clero di campagna e di permettere pure nelle zone rurali la creazione o un migliore impulso dell'apostolato dei laici. Di questi problemi si occupa con molta lode in Francia la nuova disciplina così detta « Sociologia Religiosa ».

Il Concilio avrà forse occasione di incoraggiare una migliore organizzazione parrocchiale che permetterà anche una migliore valorizzazione del Clero.

Il Concilio potrebbe anche incoraggiare, là dove è possibile, uno scambio di Clero sia come concessione temporanea o perpetua di Diocesi più favorite alle meno provviste.

XII. *Abito ecclesiastico*

La S. C. del Concilio ha studiato a fondo questa questione. Occorrerebbe far presente ai Padri del Concilio che non si deve far confusione tra *abito ecclesiastico* e *abito secolare.* È appunto per evitare che i Sacerdoti vestano spesso e senza alcun scrupolo l'abito secolare che è sorta la questione di permettere un altro *abito ecclesiastico,* che non sia la sottana, e che permetta al sacerdote una giusta libertà di movimenti richiesta ai nostri giorni. Se la sottana fosse usata soltanto nei presbiteri, nelle chiese,

come *abito liturgico* e poi in tutte le altre occasioni e cerimonie, anche civili, dove il sacerdote ha il suo posto, ci guadagnerebbe molto di dignità e rispetto. Tutti gli argomenti pro e contra sono presso la S. C. del Concilio la quale emanò un Decreto in forma di risposta a un quesito: purtroppo però, non credo abbia raggiunto il suo effetto. Nessun Vescovo vuole agire da solo in questa materia ed è difficile ottenere l'uniformità di opinioni.

Forse il Concilio potrebbe toccare questo punto.

XIII. *Valorizzazione dei Religiosi e delle Religiose per l'apostolato*

Sarebbe desiderabile una partecipazione più intensa dei Religiosi all'apostolato: alcuni Ordini altro non fanno che usare i loro membri per attività lodevolissime (insegnamento, pubblicazioni, stampa, movimenti d'azione cattolica, etc.): sarebbe utile che preparassero un certo numero per l'apostolato diretto nelle campagne (predicazione, amministrazione Sacramenti, etc.) e fossero pronti ad accettare parrocchie o zone parrocchiali là dove i Vescovi le offrono.

Sarebbe desiderabile che ogni Congregazione religiosa femminile e di « Fratelli » inviasse alcuni dei suoi membri a compiere, in determinati settori, alcune ore di lavoro ogni settimana, lavoro distinto dall'attività ordinaria da essi svolta (insegnamento, ospedali, etc.). Ciò per dare una visione più larga dell'apostolato in genere e per meglio valorizzare le energie enormi che la Chiesa possiede nei Conventi. Vi sono nelle Congregazioni Religiose dei membri che potrebbero e dovrebbero rendere molto di più.

XIV. *Esenzione degli Ordini Religiosi*

Il Concilio, rendendosi conto della grande importanza e responsabilità che hanno gli Ordini nella Chiesa, senza nulla togliere alla loro identità e personalità dovrebbe forse mitigare un po' certe disposizioni riguardanti le loro « *esenzioni* » dall'Autorità vescovile giurisdizionale. In ogni modo si dovrebbe positivamente *urgere* sia ai Vescovi che ai Superiori Religiosi una cooperazione e un contatto sempre più stretto per l'avanzamento del Regno di Dio nella Diocesi e nella Nazione.

XV. *Formazione di Seminaristi e Novizi*

Questa si potrà ottenere con una vera e prudente *iniziazione pratica* all'apostolato che verrebbe a completare l'*iniziazione dottrinale* e l'*iniziazione spirituale* che essi ricevono nei rispettivi Seminari e Noviziati.

Come in ogni professione umana esiste un periodo di sano « apprentissage »: non si comprende perchè ai Seminaristi e ai Novizi non si debba dare una nozione concreta della « tecnica » dell'apostolato. Occorrerebbe iniziarli, sotto supervisione, a un certo contatto con le anime, all'educazione del laicato, alla formazione dei giovani e all'organizzazione dei movimenti cattolici.

Questo tirocinio, sotto il controllo dei Superiori dovrebbe entrare a far parte della formazione normale degli aspiranti al Sacerdozio, senza peraltro recar danno alla loro vita spirituale e al corso di studi.

XVI. *Diaconato*

La penuria del Clero e l'aumento continuo degli uffici materiali ai quali deve dedicarsi sembra suggerire l'esame della possibilità di far rivivere nella Chiesa il Diaconato. Come agli inizi della Chiesa, i Diaconi, anche se ammogliati, potrebbero assicurare l'amministrazione temporale nelle Parrocchie; potrebbero essere incaricati delle opere caritative e sociali promosse dalla Chiesa; potrebbero essere addetti all'insegnamento delle discipline profane nei Collegi e Scuole libere Cattoliche, liberando così per il Sacro Ministero centinaia di sacerdoti diocesani; potrebbero insegnare il Catechismo, amministrare il Santo Battesimo, distribuire la S. Eucarestia. Particolarmente adatti sembrerebbero i Diaconi all'assistenza delle associazioni cattoliche famigliari, delle associazioni per la preparazione al matrimonio e simili.

Il Clero allora, liberato da tanti compiti, potrebbe dedicarsi più intensamente al ministero strettamente sacerdotale, spesso oggi trascurato per mancanza di tempo.

Il Diaconato servirebbe inoltre per collocare pastori protestanti con famiglia quando vengono alla Chiesa.

Se non si vuol chiamare « *Diaconato* » si scelga pure un altro nome. Quel che interessa è la possibilità di avere nella Chiesa un corpo di ministri gerarchici, con carattere sacro, che appaiano *coram omnibus* non dei semplici laici ma dei cooperatori del Clero, i quali, sotto la condotta dei Vescovi e dei Parroci, esercitino la loro attività.

Questa forma di « Diaconato » presenterà molte varianti nei vari Paesi. Il Concilio potrebbe stabilire il principio fondamentale e lasciar poi ai Concili Nazionali determinare tutte le modalità.

XVII. *Laicato*

Senza togliere nulla all'Autorità e responsabilità della Gerarchia e del Clero, sarebbe opportuno di esaminare la possibilità di dare al Laicato, nella Comunità Cristiana, un compito sempre più elevato: si deve evitare il pericolo di considerare i laici come degli eterni catecumeni.

Associando invece i laici all'andamento della Parrocchia, della Diocesi, dell'intera Chiesa in un determinato Paese, si avrà il vantaggio:

a) di aumentare il senso di responsabilità dei fedeli e di agevolare in tal modo la loro formazione e condotta esteriore;

b) di permettere al Clero di esser meglio illuminato, ed aiutato, nell'esecuzione di eventuali disposizioni su questioni di particolare interesse per tutta la Comunità.

XVIII. *Azione Cattolica*

Si desidera una definizione « *cattolica* » del termine « Azione Cattolica ». Questo è divenuto « termine di Chiesa », ma il suo significato non sembra ancora esser stato ben precisato. Occorrerebbe determinare la terminologia per sopprimere l'arbitrariato che regna attualmente in questo campo. In Australia per esempio si usa in alcuni stati il termine « Azione cattolica », in altri « Apostolato laico » come equivalente.

I Vescovi dovrebbero restar liberi di ammettere o no alcuni movimenti di apostolato nelle loro Diocesi, ma non sembra hanno la facoltà di definire la natura di un movimento, di classificarlo « Azione Cattolica » o semplice « movimento di pietà ».

L'uso esclusivista che si è fatto fino ad ora del termine « Azione Cattolica » ha creato in vari Paesi un profondo malessere.

È pertanto da augurarsi che il Concilio porti una soluzione a tale questione, la quale si agita al presente in Francia. Sarebbe anche desiderabile determinare la Natura e lo scopo dell'« Apostolato dei Laici » e dei suoi Congressi internazionali.

XIX. *Dottrina sociale della Chiesa*

Par che si senta maggiormente il bisogno di una definizione chiara e precisa della « *Dottrina sociale della Chiesa* ». Lasciando libero il campo a una futura evoluzione, il Concilio potrebbe riassumere, in qualche proposizione, i principi fondamentali di tale dottrina, e, soprattutto, indicare i limiti entro i quali è contenuto un sano progresso. Ci sono bellissimi

ed esaurienti Documenti Pontifici in materia e gran quantità di libri, manuali, articoli. Occorrerebbe « condensare » in pochi punti, con autorità, sia pure rimandando ai suddetti Documenti come fonti di consultazione.

XX. *Scristianizzazione delle masse*

Sembra che per ricondurre alla Chiesa tante masse da essa oggi lontane, l'azione apostolica debba essere più approfondita. L'opera « *difensiva* », che consiste quasi esclusivamente nel combattere gli errori, nel mostrare la fallacia delle teorie materialiste, dalle quali il Cristianesimo è soffocato, non è certo sufficiente.

Pur continuando a compiere, anzi intensificare tale opera, diremo così, per intenderci, « negativa », occorre forse che si dia il massimo incremento ad un'azione « *positiva* » di riconquista che consiste nel rivelare di nuovo in tutti i modi e in tutte le forme, le ricchezze del Cristianesimo quali appagatrici dei desideri umani, rivelare un Cristianesimo *vivo e vitale* alle masse che ci credono e ci pensano come dei « sorpassati », e cui si dovrebbe predicare l'« Ecce vivimus! » di S. Paolo.

XXI. *Chiesa e Comunismo*

A quanto si afferma da molti studiosi e viaggiatori, nei paesi oppressi dal Comunismo (satelliti) i cattolici, almeno in buona parte, sono restati profondamente tali. Al tempo stesso però sono venuti sempre più apprezzando certe « conquiste » nel campo economico-sociale, attuate sotto il regime comunista, nè sono o sarebbero disposti a permettere il ritorno al regime precedente. Vari Vescovi, a quanto ho inteso, pur rimanendo fedelissimi alla dottrina e a Roma, non sembra abbiano riprovato tale attitudine: trattasi infatti di paesi sui quali nei tempi passati, e non così lontani, pesava il giogo delle classi abbienti e di un buon residuo di antica aristocrazia feudale.

Quando, *faxit Deus!* cadrà la cortina di ferro, la Chiesa in Polonia, Cecoslovacchia, Ungheria, etc. riprenderà contatto con la Chiesa Cattolica d'Occidente che si troverà in condizioni di mentalità ben diverse da quelle dei paesi suddetti; se, come si spera, l'Occidente potrà scampare dall'esperienza comunista sempre minacciante.

Si porrà dunque a quel momento un grandissimo problema di « riassimilazione ». Forse il Concilio potrebbe delineare fin d'ora la posizione da adottarsi in proposito. Imprudenze o attitudini non abbastanza calcolate potrebbero essere pericolose e cagionare scissioni.

Si sente anche al presente la necessità di meglio definire il cosiddetto

« *progressismo* » e indicare a che stadio questa tendenza comincia ad essere un errore dottrinario o pratico. Questo nome di « progressista », come del resto molte altre simili etichette (sinistra e destra, integrista, ecc.), è ancora assai vago. In Francia, per esempio, basta che un cattolico parli di « progresso della classe operaia », di « miglioramenti economici » e simili, perchè sia accusato di « progressismo », che oggi in Francia equivale a « para-comunismo ». Al tempo stesso non mancano coloro che, stralciando dai Documenti Pontifici quei passi che, fuori contesto, sembrano favorire i loro interessi, si ritengono e si proclamano grandi alleati e amici della Chiesa, sotto la comoda etichetta di « anticomunismo ».

XXII. *Diritto pubblico ecclesiastico*

In un discorso pronunciato ai Marchigiani nel 1958, Sua Santità Pio XII di s. m. parlò di una « *sana laicità* » come facente parte della « *tradizione della Chiesa* »: non ricordo le precise parole. L'uso di questo nome « laicità » fece grande impressione in Francia, di sollievo in alcuni ambienti cattolici, di sorpresa in altri, secondo appunto note tendenze di « destra » o di « sinistra ». Sarebbe desiderabile che questo concetto fosse meglio approfondito e determinato: che cosa si vuol intendere con l'aggettivo « sana »? Quali sarebbero le conseguenze nel Diritto pubblico ecclesiastico?

Tale esame potrebbe esser richiesto dall'evoluzione moderna dei popoli; dalle circostanze concrete esistenti in tutte le democrazie occidentali con le quali la S. Sede ha relazione diplomatica, con o senza concordato.

Se questa « sana laicità » vuol dire la « separazione tra Chiesa e Stato », la Chiesa potrebbe oggi definirla nei suoi limiti e nei suoi scopi: fino a che punto cioè e con quali garanzie è accettabile. Ci vorrebbe insomma qualche cosa di più chiaro e di più positivo della nota formula di Leone XIII quando, parlando della separazione tra Chiesa e Stato che vige negli Stati Uniti, disse più o meno così: « Un état de choses qui n'est pas le pire de tous »; una tale precisazione sarebbe utile ai cattolici in varie Nazioni.

Non si tratterebbe, senza dubbio, di oscurare il concetto fondamentale della subordinazione del « temporale » allo « spirituale », nè di negare alla Chiesa il diritto nativo di pronunciarsi o d'intervenire in qualsiasi campo dell'attività dei popoli e delle Nazioni là dove la Fede o la morale fossero in pericolo, sia pure che si tratti di politica o di economia. Forse si desidererebbe una terminologia più chiara di quella del « potere indiretto ratione peccati » per far sempre meglio percepire la vera natura

e il vero scopo della Chiesa nelle sue relazioni con gli Stati. La frase di Pio XII « *sana laicità* » potrebbe darne l'occasione.

XXIII. *Propagazione della fede*

Certamente il Concilio vorrà dare nuovo impulso all'azione missionaria. Questo è reso urgente dall'evoluzione rapida dei territori di Missione, dai numerosi nuovi nazionalismi sbocciati in Africa, dall'efficacia della propaganda marxista e islamica nei paesi « sous-développés ». Un ritardo nell'adattamento dei metodi e della mentalità missionaria alle nuove situazioni potrebbe essere dannoso all'avvenire della Chiesa. Già moltissimo si è fatto e si fa, ma occorre tenersi « à la page ».

XXIV. *Tolleranza*

La Chiesa è attaccata e accusata di perseguitare i protestanti (Colombia, Spagna, Italia). Non sarebbe superfluo che il Concilio ripetesse e chiarificasse la posizione sia dottrinale che pratica della Chiesa in questa materia. Ugualmente l'attitudine della Chiesa verso le religioni non cristiane, oggi che il mondo diviene angusto e si moltiplicano rapidamente i contatti con l'Oriente e con l'Occidente.

XXV. *Insegnamento*

Il Concilio potrebbe ribadire il Diritto nativo della Chiesa di insegnare e di educare contro qualsiasi monopolio di Stato. Il fatto della possibilità o meno di esercitare questo Diritto vien constatato dai Vescovi, secondo le condizioni dei vari Paesi. Al tempo stesso togliere il pregiudizio che la Chiesa vuole per essa il « monopolio » e cerca di biasimare le scuole pubbliche. Quel che la Chiesa richiede in queste scuole di Stato è l'insegnamento religioso, almeno nei paesi cattolici, e che nulla vi si insegni contro la Fede e la morale, nè si presenti la Chiesa sotto falsa luce, specialmente nelle discipline storiche.

In via d'esempio vi sono Paesi a maggioranza protestante, come l'Australia, in cui tutti i Vescovi senza eccezione, fanno obbligo grave ai genitori d'inviare a scuole cattoliche, disseminate dovunque anche nei piccolissimi centri. Dicono, ed a ragione, che se gli Australiani hanno potuto mantenere la Fede, dispersi com'erano gli emigranti in quell'immenso territorio, ciò è dovuto alle Scuole. Se i genitori non obbediscono sono privati dei Sacramenti, a meno che, per serie ragioni, non abbiano ricevuto previa autorizzazione del Vescovo.

Negli Stati Uniti, parimenti a maggioranza protestante, la frequenza alle scuole cattoliche è vivamente inculcata, senza però pene canoniche, a quanto pare, anche perchè il numero di esse non è sufficiente per tutti, almeno in diversi Stati. In Francia, invece, paese cattolico, la massima parte dei giovani frequenta le scuole di Stato, non essendo stato possibile, in passato ed oggi, a molti Ordinari aprire scuole, almeno sufficienti, per mancanza di mezzi e di personale. Si eccettuano naturalmente gli Istituti di educazione tenuti da Religiosi e Religiose, sempre però in scarso numero. Così mentre nelle Diocesi (Bretagna, Vandea, etc.) a scuole numerose, la sola preoccupazione è quella di mantenerle, e si combatte per questo con le Autorità locali e Centrali per ottenere giusti sussidi dello Stato, in tutte le altre i Vescovi sono seriamente preoccupati della loro gioventù, che cresce quasi senza Religione, eccetto quei che frequentano la Chiesa. Perciò, pur appoggiando, s'intende, il Diritto fondamentale della Chiesa, e seguendo con simpatia gli sforzi dei loro Colleghi, si augurano che l'insegnamento religioso venga stabilito per legge nelle Scuole pubbliche.

XXVI. *Insegnamento religioso*

Alcuni forse si attendono dal Concilio la pubblicazione di un nuovo Catechismo. Veramente ve ne sono già tanti! Quel che il Concilio potrebbe raccomandare vivamente è di stare in guardia quanto ai metodi moderni d'insegnamento, poichè la Religione è ben diversa dalle altre materie profane scolastiche. Nei metodi d'insegnamento catechistico qualsiasi tecnica della moderna didattica può esser lodevole, purchè si tenga presente che, sin dalla più tenera età, fino all'età adulta, le verità della Fede debbono essere insegnate *in forma adatta* e *pro captu mentis,* s'intende, ma senza pericolose lacune, col pretesto che, a una certa età, non si può comprendere. Alludo al cosiddetto « *Metodo progressivo* » che ha fatto molto danno in Francia, così come era concepito e messo in pratica. Se trattasi di « *sano* » metodo progressivo, allora è più che naturale, e ci sono infatti catechismi per bambini, per gioventù, adulti e via discorrendo: ma ciascuno è *in sè perfetto* per l'età a cui è destinato, senza che si taccia ciò che non si può tacere e senza mutilare le verità della Fede.

XXVII. *Studi storici, scientifici, biblici*

Specialmente dopo l'*Humani Generis* si sente dire talvolta, anche in ambienti cattolici, che la Chiesa impedisce la « ricerca »; per dare un esempio: riguardo alle opere di Teilhard de Chardin e simili scrittori. Non sarebbe male, occasione data, dissipare tale falsa impressione, ripe-

tendo che non è escluso alcun settore del sapere allo studio cattolico serio e profondo, che, con la grazia di Dio, non dubita della propria Fede, e che, prima di pubblicare, riconosce suo dovere consultare persone esperte in Teologia e Sacra Scrittura, nonchè pesare le ragioni di prudenza secondo i tempi, luoghi, e persone.

XXVIII. *Beni ecclesiastici*

Si sa che questo punto riguardante le necessità materiali per l'amministrazione della Chiesa e per l'Apostolato nel mondo è, soprattutto oggi, mal compreso e, per alcuni, *petra scandali*; anche in ambienti cattolici, non esclusi talvolta gli ecclesiastici. Non so se il Concilio avrà occasione di dichiarare ancora una volta la natura e lo scopo di questi Beni; la loro particolare amministrazione, con tutte quelle garanzie che l'Autorità ecclesiastica ha stabilito per l'uso dei medesimi Beni, considerati non come appannaggio personale, ma come condizione *sine qua non* per il mantenimento e l'incremento del Sacro Ministero a profitto delle Comunità Cristiane (parrocchia, Diocesi, Santa Sede). Ecco perchè a questi beni si aggiunge l'epiteto di « Sacri ». Ciò dico in connessione con quanto si è esposto circa l'organismo e l'« organizzazione » della Chiesa in un altro Capo.

XXIX. « *Témoignage* »

In questi ultimi anni, con retta intenzione, si può concedere, si è sviluppata in via di fatto, una specie di « Teoria del Témoignage ». Essa consiste nel ritenere che la sola presenza fisica del sacerdote, *alter Christus,* in certi ambienti e tra certe classi di persone, indipendentemente dall'esercizio di qualsiasi ministero sacro, dà testimonianza al Cristo. Il sacerdote certo non nasconde la sua qualità e il suo carattere sacro, ma rende noto che non è là come Ministro, per annunziare cioè il Cristo con la parola, ma soltanto come compagno, amico, simpatizzante, operaio, ecc. Di passaggio, in certe circostanze si potrà ammettere che, per prudenza e per accattivarsi l'animo della gente, il silenzio sulle cose di Religione, per un certo tempo, può anche costituire un metodo d'apostolato. Ma il farne una teoria fino al punto di dimenticare la natura stessa del sacerdozio, e inventare un « prêtre de témoignage » diverso da quello che esercita il « ministerium Verbi », non è comprensibile. L'« eritis mihi testes », ad eccezione della testimonianza straordinaria della vita eremitica, comprende l'«Euntes docete ».

Si è giunti da alcuni perfino a negarsi di celebrare o dar Sacramenti

perchè « prêtres de témoignage ». Sono casi rari e sporadici che forse non si ripeteranno, ma certe tendenze hanno il loro lato generoso e attraente, e ad un dato momento potrebbero diffondersi. Infatti tra Fratelli e Suore di certi Istituti moderni si verifica che la loro formazione è basata sul « témoignage » attraverso cioè opere di assistenza che fanno onore alla Religione e accattivano certo l'animo dei popoli tra cui si lavora. Quando trattasi di ambienti « non-cristiani » o « non-cattolici » si comprende che la Catechesi non può farsi se non con grande prudenza e precauzione. Però è accaduto che Suore, lavoranti in ambienti cattolici, con gente scristianizzata non praticante, richieste, dopo qualche tempo, dagli stessi genitori d'insegnare un po' di Religione ai bambini, si sono senz'altro rifiutate dicendo che questo non era il loro compito, che esse volevano far conoscere la Religione soltanto attraverso la loro opera di assistenza, testimonianza del Cristianesimo. Anche qui può trattarsi di casi sporadici, ma sono sempre contagiosi.

XXX. *Iniziazione alla vita religiosa della gioventù*

Qua e là va manifestandosi una tendenza secondo la quale occorre lasciare ai giovani la massima libertà nella pratica della Religione nelle scuole, istituti e parrocchie senza voler « *interferire con la loro coscienza* ». Si teme cioè che se il giovane non domanda spontaneamente di accostarsi ai SS. Sacramenti, questi non abbiano il loro effetto buono sull'anima. Il giovane insomma deve determinarsi da sè senza subire influenze. Alcuni non vedono di buon occhio i giorni fissi per le Confessioni, le Comunioni Generali, ecc. Se con tutto questo si vuol dire che non devesi esercitare eccessiva pressione o repressione siamo d'accordo. Però secondo costoro che dicono di tutelare la libertà, si esclude anche, pare, l'esortazione e il consiglio, ammettendo soltanto in fatto di pratica religiosa la « *spontaneità* ». Ora è chiaro che se non si inizia il giovane alla vita religiosa fin dalla tenera età, sarà poi un disastro. Si sa che il giovane nasce oggi un po' « adulto », ma da questi pensatori si va assolutamente fuori del seminato e di ogni buona norma di educazione.

A proposito piace qui citare la pratica di certi Istituti, generalmente femminili, che eccedono per zelo nel senso opposto. Senza un obbligo formale, pare che le Direttrici e Superiore *aegre ferunt* se una giovane non si presenta alla Messa tutte le mattine. Per le interne è facile, sebbene anche per esse occorrerebbe un po' di larghezza; le esterne però, specialmente nella stagione rigida debbono levarsi di buon ora, scomodando tutta la famiglia e spesso trattasi di bambine. Molti me l'hanno fatto osservare, aggiungendo, ciò che io stesso ho avuto l'occasione di con-

statare, che, quando le giovani si sentono così moralmente obbligate e pensano, a torto od a ragione, che i Registri della Scuola sincronizzano con la Messa quotidiana, una volta uscite dall'Istituto non andranno più alla Messa se non quando fa loro comodo, non facendo più caso del precetto Domenicale. Certe Suore dovrebbero comprendere che le allieve educande non sono delle novizie.

20 agosto 1959.

✠ Paolo Marella
Nunzio Apostolico

86

Exc.mi P. D. LEONIS ARTURI ELCHINGER

Episcopi tit. Antandrini, Coadiutoris Argentinensis

Strasbourg, le 23 décembre 1959

Eminentissime Domine,

Infrascriptus coadiutor R.R. D.D. Episcopi Argentinensis hisce Eminentiae Vestrae transmittit responsionem pro futuro Concilio Oecumenico. (Ref. I C/59 - 2139).

Dignetur Eminentia Vestra excusare moram quam feci in mittendo sicut exponendum est in litteris iam missis die 27 novembris.

Dignetur Eminentia Vestra, cum osculo Purpurae, me habere servum suum fidelissimum in Christo Domino.

✠ Leo Arturus Elchinger
Episcopus titularis Antandrinus coadiutor c.i.s
Episcopi Argentinensis (*Strasbourg*)

Praeambula

Omnes partes populi christiani maximo cum gaudio certiores factae sunt de Concilio Oecumenico annuntiato a Summo Pontifice gloriose regnante, sperante Ecclesiam mutationes pastorales in mente habere ut melius implere possit ad homines huius temporis missionem a Domino Nostro Iesu Christo receptam. Summae spei fons!

Concilium Vaticanum duas promulgavit Constitutiones dogmaticas: alteram de *fide catholica,* alteram conceptam tamquam Constitutionem *de Ecclesia* uti partem primam, quam secunda pars sequi debuit, in qua prae-

sertim praevisa erant caput de Episcopis et caput de Missionibus. Haec secunda Constitutio complenda est. Item Constitutio *De fide,* quia tractat de relatione fidei ad rationem tantum philosophice et analytice. Patres sumunt hanc quaestionem philosophice. Hodie autem status quaestionis est mutatus. Causae mutationis sunt variae:

1. Incredulitas est factum generale in societate humana.

2. Hodie melius quam anno 1869 cognoscimus causas sociales, sociologicas et oeconomicas incredulitatis.

3. Progressus acceleratus et generalis in rebus technicis qui mutat existentiam humanam, et accelerat praxim materialismi et atheismi.

Quibus de causis complementum et extensio duarum Constitutionum necessaria esse videntur, et principaliter in sensu pastorali qui videtur esse finis Concilii conformis nostris temporibus.

Proposita

I. *De Constitutione « de Fide »*

Prospicienda est Fides totalis, tamquam fides qua creditur et fides quae creditur, id est virtus et obiectum fidei.

1. *De virtute fidei.*

Clerici et laici nostris temporibus satis praediti sunt notione biblica fidei: acquirunt hanc notionem tamquam fructum librorum quos legunt, sermonum quos audiunt, conciliorum de re biblica et oecumenica. Quae notio est essentialiter scientifica et dogmatica; sed non limitatur ad hoc, extendit se et fit vita fundata in Verbo Dei et transgreditur scientiam mere humanam et aperit Christo totam animam ut solus in ea regnet sicuti persona personae. Philosophi nostri temporis hoc docent, sed iam antea notum erat iuxta doctrinam L. Billot, quae distinguit inter fidem auctoritatis et fidem scientiae. Fide auctoritatis auditur fides infantis in verba parentum, in personam, cui se confidunt totaliter; fide autem scientiae auditur confidentia facta homini qui nos docet veritatem de qua ipse convictus est.

Constat in nostris et in longinquis missionum terris fidem, quae nonnisi catechismo « scholari » respondet — bene vel male per annos praepubertatis edoctam — vix reliquere in anima radices bene fundatas. E contra permanet fides, cum in pueritia et ceteris aetatibus ad conscientiam provocatum est, cum vigor fidei manifestatus est ad conscientiam informandam et confirmandam.

2. *De obiecto fidei.*

Modus docendi clericos et per eos laicis factus saepe saepius est nimis analyticus, ubi theses sunt explanatae una post alteram et unaquaque sumitur individualiter. Oportet assumere sensum de quo in Concilio Vaticano (Denzinger 1796) ubi definitur connexus dogmatum inter se et omnium dogmatum cum vocatione hominis, id est, sicut videmus in traditione Patrum, fides proponenda est tamquam una quae includit in se Verbum Dei et salutem hominum.

II. *De Constitutione « de Ecclesia »*

1. *Gradus in Ecclesia.*

a) *Episcopi*: Convenire mihi videtur continuare Concilium Vaticanum sicut Concilium ipsum in mente habuit et definire munus et facultates Episcoporum ita ut per administrationem minus centralem multis nostrorum « fratrum separatorum » reditum ad Ecclesiam faciliorem redderet.

b) *Laici*: Interest multum ut definiatur locus et missio laicorum in Ecclesia. Laici non sunt unice membra Ecclesiae, sed, sicut dixit SS. Papa Pius XII, constituunt Ecclesiam in mundo in quantum Ecclesia est « anima mundi ». Et eorum locus in mundo melius esset definitus si missio Episcoporum planius esset definita.

c) *De renovatione liturgica*: Adaptatio ritualis sacramentorum.

Oportet Ritus Sacramentorum ad rem adaptari: Ritus statuendi sunt secundum circumstantias actuales et sensum Sacramenti. Verbi gratia infantium baptismi ritus deberent habere formam minus « archaeologicam ».

De Concelebratione.

Concelebratio permittatur, etsi in casibus raris, sed semper cum licentia Episcopi.

De praecepto missae dominicalis.

Praeceptum assistendi Missae diebus dominicis et festivis facilius expleri posset si, praesertim habitantes urbes possent adimplere praeceptum iam sabbato post meridiem, cum labor hebdomadarius cessat iam sabbato, hora meridiei. Urbani indigent detentionis physicae et moralis post vitam agitatam hebdomadae in urbe, ubi carent ambitu sano physice et moraliter. Et Die sabbati melius possent adimplere praeceptum in parochia propria et forsan modo magis pio. Et Missae possent celebrari saepius et cum maiore proventu spirituali.

2. *De muneribus Ecclesiae pastoralibus.*

Coniunctiones et relationes Ecclesiae cum mundo differunt ab iis quae erant anno 1869. Non est amplius quaestio de relationibus inter « duas potestates », sed potius de relationibus inter Ordinem salutis et sanctitatis quae est Ecclesia et *Ordinem temporalem* latissime sumptum. Ordo temporalis non est solum politicus, est Cultus animi, est miseria et spes hominis, est vita personarum et populorum.

Sub hac specie inquiri potest de tribus quaestionibus:

a) *Ecclesia et Missio*: Missio intelligatur coextensiva cum Ecclesia, essentialiter coniuncta cum conditione Ecclesiae, ut est inter Pentecosten et Parusiam. Qui est conceptus semper dynamicus unitatis Ecclesiae eiusque structurarum et organisationum quarum finis nunquam in ipsis est, sed sunt dona Dei ad salutem mundi. Oportet hoc annuntiare.

Cum Concilium in intentione Summi Pontificis et iuxta diversas declarationes ab Eo factas debet esse Concilium unionis, valde utile est, ut semper prae oculis habeamus Missionem non esse separandam ab Evangelisatione, sed esse sumendam in sensu unitatis praeparantis fusionem cum Concilio universali Missionum.

b) *Ecclesia et « miseria » hominum*: Duo sunt magna studia specifica christianorum Dominum expectantium: « testimonium fidei » (vel evangelisatio) et caritas non ficta. Hoc quoque est annuntiandum.

Cum prima missio Ecclesiae est Iesum Christum annuntiare mundo, alterum esse officium: mundo hodierno ut Bonum Samaritanum se ostendere.

Prosit hodiernam fieri pauperum definitionem: est pauper non solum homo cui desunt media materialia existentiae. Paupertas est hodie in primis: tenuitas victus quotidiani pro maxima parte hominum: non habet cibum neque domum habitandi; insuper insecuritas totius generis humani propter periculum novorum bellorum, praesertim propter periculum quod proferunt usus armorum dictorum atomicorum.

Concilium det consilia et mandata de hoc periculo, verbi gratia: 1) condamnetur ut nationes utantur et fabricent arma « nuclearia aut thermonuclearia » (cf. Pius Pp. XII in *Doc. Cath.* 1957, coll. 600-01); 2) resumat et confirmet quod iam dicebant Summi Pontifices de discessione ab armis universa et simultanea (cf. Leo PP. XIII, *Acta Ap. Sedis,* t. 14, 1895, p. 210; sub Benedicto PP. XV nota Cardinalis Gasparri ad Ministrum Angliae diei 28 sept. 1917; Pius PP. XII in nuntio Nativitatis Domini 1939, 1941 et 1956); 3) haec declaratio pacis utiliter compleretur iteratis sollemnibus declarationibus iam a Summis Pontificibus et

Episcopis factis contra Racismum (cf. Pius PP. XI, *Mit brennender Sorge* 1937, Litterae Congregationis Seminariorum et Universitatum diei 13 aprilis 1938, et alia).

c) Ecclesia et Spes hominum: In mente habens quid proderit humanitatis saluti, considerans progressus scientiae et inventionum technicarum, et videns transformationem conditionum vitae, Ecclesiae erit: 1) testificare quantum ei intersit, ut homines acquirant novos progressus scientiae et rei oeconomicae. Homo debet curam habere ut fructus afferant omnia talenta quae Deus ei concessit; 2) sed memores sint finium quos Deus posuit labori humano et in memoriam revocentur conatus hominum spiritualis conditionis. Caveatur ne confundantur veri et falsi valores. Ideoque denuntiari debent errores qui non solum fidem, sed etiam vitam hominum in discrimen adducunt.

Conclusio

Ad consultationes admittendi sunt etiam laici pro quaestionibus quae ad eos spectant, et commissiones in quibus fit studium de diversis quaestionibus componendae sunt cum hominibus qui pollent experientia directa rerum pastoralium, ut possint praeparare Patribus Concilii futuri propositiones conformes missioni Sanctae Ecclesiae et conditionibus vitae humanae huius temporis.

Haec vota precibus ad Dominum fundantur.

87

Exc.mi P. D. IACOBI EUGENII MÉNAGER
Episcopi tit. Antiochiae parvae

Réf. I C/59 - 2143 Paris le 19 novembre 1959

Eminence Révérendissime,

C'est avec une grande confusion que je me permets d'adresser, avec tant de retard à la Commission antépréparatoire du Concile, le rapport que Votre Eminence a eu la bonté de me demander.

Chargé par les Evêques de France de veiller sur l'Action Catholique, succédant au vénéré Monseigneur Combe, j'ai voulu prier et réfléchir avant de donner ma réponse, si modeste soit elle, et le début de l'année

scolaire ne me l'a pas permis. Que Votre Eminence daigne donc me pardonner d'avoir attendu la période présente, beaucoup plus favorable.

J'ai écrit avec toute ma simplicité filiale, ce que je pensais, en me plaçant du point de vue de ma charge et compte tenu des problèmes rencontrés en bien des diocèses que j'ai pu visiter.

Je m'unis de tout cœur à la prière de l'Eglise Universelle pour la préparation du Concile, comme l'a demandé si instamment Notre Saint Père.

Daigne Votre Eminence, agréer l'hommage fervent de mon profond respect et de ma filiale obéissance.

✠ IACOBUS E. MÉNAGER
Evêque tit. Antiochiae Parvae
Secret. Gén. Action Cath. Française

ANIMADVERSIONES ET VOTA

I. FUNDAMENTALES QUAESTIONES

1. Repetendus esse videtur Tractatus « De Episcopo »:

A) Primo pressius definiantur: tum ipsius episcopatus natura; tum in sua cuiusque dioecesi episcopi iura et officia pastoralia; tum ad apostolicum totius Ecclesiae munus in unitate cum Summo Pontifice adimplendum episcopalis collegii iura et officia.

B) Sic adiri licebit praecipuum illud problema de apostolatus coordinatione tum in unaquaque dioecesi; tum inter diversas dioeceses; tum per totam Ecclesiam.

Providendae sunt enim viae rationesque quibus firmiter caveatur:

1) et vera illa potestas, quae « decentralisatio » appellari consuevit, sua reapse exercendi iura et officia, in omnibus secundariis necessaria quaestionibus, vel quotiescumque necesse est adaptetur actio apostolica singulorum locorum conditionibus, de quibus ipse solus loci episcopus iudicare potest;

2) coordinatio organica et perpetua, secundum diversos gradus, qualis requiritur ab ipso pastoralis muneris exercitio, ut adaptetur veris apostolatus problematibus:

a) In ipsa unaquaque dioecesi, requiritur coordinatio apostolatus sacerdotum, et religiosorum (etiam exemptorum), et religiosarum, et laicorum.

b) Inter eiusdem dioeceses, eadem requiritur coordinatio, ad quam efficiendam praerequiritur nova quaedam distributio provinciarum ec-

clesiasticarum, habita ratione naturalis regionum divisionis et earumdem evolutionis, tum demographicae, tum sociologicae, potius quam praeteritorum historiae eventuum.

Ut enim implantetur Ecclesia in hodierno mundo, organice quidem conectendus est apostolatus ad rationem extensionis territoriorum, intra quae vera orientur problemata (ex. gr. universae circa urbem Parisiensem artium industrialium conectionis, quae longe excedit dioecesanos fines).

Optandum est igitur ut sic extendantur potestates Metropolitarum, ut ab eis obtineantur viae mediaque huiuscemodi coordinationis revera efficiendae, vel ut facilius denuo instaurari liceat « concilia provincialia », quorum decreta legis vigorem habeant.

c) Eadem adhuc oritur quaestio ad rationem extensionis totius nationis, per quam ea, quae valde optanda est, unitas tum in agendo, tum in agendi fine directioneque determinanda, difficillime dumtaxat potest effici, nisi una auctoritas, sive personalis (scilicet ea quae in primate residet), sive collegialis (scilicet ea quae in EE. ac RR. Cardinalium et Archiepiscoporum coetu), donetur potestate leges edendi, limitata quidem, sed presse definita.

d) Experientiae quales ad procurandam huiuscemodi coordinationem intra fines amplioris regionis feliciter iam pertemptatae sunt in America Latina ab CELAM dicto, vel in Philippinis insulis, nonne eaedem extendi possunt ad alias orbis regiones?

In eo enim tempore quo Europa construitur et constituitur tum in oeconomicis (per « Commune Commercium » dictum), tum in politicis rebus (per ea quae nunc Argentorati aguntur), num licebit Ecclesiae diversas Europae nationes disperso confusoque ordine sinere in iis quae ad apostolatum pertinent rebus laborare?

Etenim laici qui Actioni Catholicae accensentur magis inter se per diversas nationes laborando colliguntur quam ipsi episcopi. Proinde timendum est ne sacra singulae nationis hierarchia iam non valeat eos efficaciter in actionis apostolicae fine directioneque determinanda regere.

e) Adhuc restat ut provideatur quibus modis universi orbis episcopi, dum omnes et singuli eodem iunguntur vinculo cum Summo Pontifice Dicasteriisque Romanis, illo ipso inter se coordinari possint.

Quaeritur enim quomodo episcopi et possint et debeant in apostolatus universae Sanctae Ecclesiae societatem etiam agendo venire, quae activa consociatio a litteris Encyclicis *Rerum Ecclesiae* et *Fidei Donum* postulatur.

Haec autem quaeritur num fieri possit, nisi provideatur, per officia quaedam permanentia, quomodo consulantur diversarum universi orbis regionum episcopi, quibus officiis competat et pressiorem necessitatum

omnium notitiam praestare, et, priusquam edantur maioris momenti decreta, eorum consilia colligere, qui omnium episcoporum sententias promere valeant. (Quod videtur esse munus EE. Cardinalium qui, per universum orbem distributi, secundum Codicem Iuris Canonici, « Senatum Romani Pontificis constituunt »).

2. Perscrutandus esse videtur Tractatus « De Laicis »; ita etiam ut explorata firmaque habeatur doctrina de laicatu in Ecclesia organice composito descriptoque.

A) Quaeritur primo quae sit eorum in Ecclesia conditio: quae oportet definiatur non solum negativo et passivo modo; sed optandum esse videtur ut positive determinetur quale sit eorum in Ecclesia munus activum, sub auctoritate sacrae hierarchiae: « nam et ipsi sunt Ecclesia ».

B) Secundo, distinguatur eorum munus tum in opere civitatis et humanae vitae in suo ordine naturali perficiendae (sive munus « temporale », quod « civilisationis » dicitur); tum in opere apostolatus (sive lato, sive stricto sensu).

Necesse igitur erit dilucide exponatur et necessitas et natura huius laicorum apostolatus.

Et optandum esse videtur ut pressius definiatur Actionis Catholicae ratio, ut est stricto sensu apostolatus organice compositi descriptique laicatus, ex officio cooperantis ad omnium salutis procurandae munus sacrae hierarchiae commissum, sub eiusdem auctoritate.

C) Tertio, exponatur eorum organica compositio tum intra singulas dioeceses, relative ad episcopum et ad paroecias et ad parochos; tum intra unam eamdem nationem, relative ad diversas dioeceses; tum inter diversas nationes.

N. B. - Quae res ut congruenter solvantur, oportebit elucidentur et illustrentur omnia quae in iis quaestionibus vel ad theologicam doctrinam, vel ad ius canonicum pertinent: tum de laicorum in Ecclesia conditione; tum de relationibus vigentibus inter opus civitatis et humanae vitae in suo ordine naturali perficiendae, quod « civilisationis » dicitur, et opus Evangelium praedicandi et disseminandi, quod « evangelisationis » dicitur (necnon et de connexis problematibus, scilicet de « laicitate » dicta, vel de relatione inter Ecclesiae munus proprium et Actionem Catholicam et « actionem socialem » et « actionem politicam »).

In quibus diversis quaestionibus, urget necessitas dilucide explanandi communem Ecclesiae doctrinam, a theologorum opinionibus distinctam.

II. Peculiares quaestiones de Re Pastorali

1. De apostolatu in regionibus « minus-excultis » dictis (qualis apostolatus commendatur a littera Encyclica *Fidei Donum*).

Exponatur igitur: et quaenam res ex totius episcoporum collegii munere reapse pendeant; et quomodo cavendum sit ut et omnes simul una, et celeriter, officium suum exsequantur.

2. De problematibus pastoralibus, qualia ob illas hominum societatis portiones quae aut prorsus christianae fidei vitaeque expertes (vel « non-christianae » dictae), aut ab eadem abalienatae (vel « dechristianisatae ») esse videntur, intra eas regiones oriuntur, quae « christianae » putantur.

Quonam igitur modo effici poterit ut Verbi Dei praedicatio in illas societatis portiones quae artium technicarum et auditus visusque sensum cultu praecipue erudiuntur (« civilisation technique et audio-visuelle ») ita perveniat, ut efficaciter et audiatur et intelligatur?

3. Apostolatus erga « personas de patria demotas » (« personnes déplacées ») vel « migrantes » effecit ut oriretur quaestio subdifficilis de « territorialibus » et « personalibus » paroeciis (« Exsul Familia ») (« Apostolatus maris »).

Alii enim inclinant ad cupiendum incrementum quoddam personalium paroeciarum, dum optant ut extendantur eaedem ad alios fidelium numeros, et sic facilius disseminetur evangelica praedicatio intra paroecias ex similioribus inter se hominibus constantes.

Alii contra verentur ne gravius discerpatur apostolatus, ita ut prorsus impediatur omnis coordinatio et omnis unitas in Ecclesia.

III. Canonica Problemata

1. Quaeritur quomodo fieri possit ut organice componatur describaturque apostolatus ad rationem extensionis totius nationis, quin canonice facultas data sit:

Et a pristino quolibet munere liberandi sacerdotes egregio valore, quales necesse est applicentur ad officia quaedam generalia in Ecclesia (pro pluribus dioecesibus vel omnibus dioecesibus unius nationis), (scilicet Instituta Catholica, — vel nationalem catecheticae institutionis, aut « liberae » dictae in scholis catholicis institutionis gubernationem, — vel

per totam nationem apud Actionem Catholicam cappellanorum munera, etc.);

et cleros omnes, tam saeculares quam regulares, inter diversas dioeceses melius distribuendi, habita ratione et necessitatum apostolatus, et totius Ecclesiae communis boni;

et quamdam peraequationem cavendi copiarum et onerum, minus habita ratione « beneficiorum » (ad sensum Iuris Canonici) quam necessitatum apostolatus.

2. Quaeritur etiam quomodo efficiatur ne, provecta in dies humanae vitae longinquitate, magis magisque senescant omnes, quicumque in Ecclesia obtinent maxima munera.

Quod gravissimum est in dioecesibus incommodum. Etenim in permagnis quibusdam paroeciis (ex. gr. triginta vel quinquaginta millium animarum) « inamovibiles » parochi, cum aetate adhuc iusta et consentanea nominati fuerint, in ipso suo munere senescentes etiam tum renuntiare nolunt, cum ad summam senectutem pervenerint. Quod et paroeciis et ipsis sacerdotibus detrimentum affert.

Iamvero num quis negare ausus sit idem de ipsis episcopis oriri problema? Etenim magnae dioeceseos et pastorali zelo animandae et gubernandae munus ut maxima navetur opera postulat. Quocirca sunt dioeceses quaedam, quae per multos annos detrimentum patiantur.

Nonne igitur fieri possit, ita quidem ut stricte non imponatur terminus quidam aetatis legitimae, quem difficilius fuerit definire, ut saltem leges hucusque vigentes, quae « beneficii » fundamento nituntur, magis flexibiles efficiantur, et ut eis, qui secundum hierarchiam maiore auctoritate sunt praediti, largior facultas concedatur amotionem postulandi, vel etiam exigendi, iam a certa quadam definita aetate.

Simul autem oporteat ratione provideatur systema quoddam aerariorum, ad iusta praebita suppeditanda iis omnibus qui muneris vacaverint.

3. De Sacramentis.

A) Ut infirmis facilius ministretur sacra communio, optandum esse videtur ut facultas largissime concedatur Sanctissimam Eucharistiam ad infirmos qualibet hora diei deferendi, iis etiam horis quibus Missae sacrificium non offertur.

B) De Sacramento Poenitentiae.

Valde utile esse videtur ut ipso iure canonico facultas provideatur adipiscendae iurisdictionis ad confessiones excipiendas:

1) tum pro consociationum Actionis Catholicae nationalibus cap-

pellanis, per totam territorii extensionem, ita ut litterae non sint necessario pro singulis mittendae ad singulos omnes nationis episcopos;

2) tum pro capellanis iuvenes itineris faciendi gratia se congregantes comitantibus, qui, intra paucos dies, una cum illa turma, plurimas etiam in terris peregrinis dioeceses percurrere debent.

C) De matrimonio.

Matrimonii sacramenti rituale perbreve est ac parcissimum. Optandum igitur esse videtur ut illi sacramento, tam amplum in adulti christiani vita locum obtinenti, magis « significativus » detur liturgicus contextus, quo melius intelligatur illius sacramenti pro totius vitae tempore sensus et pretium.

Paris (France), le 19 novembre 1959.

✠ Iacobus E. Ménager
Evêque tit. d'Antiochia Parva
Secret. Gén. Action Cath. Française

88

Exc.mi P. D. IOANNIS RUPP
Episcopi tit. Arceni

Paris, le 25 août 1959

Eminence Révérendissime,

En réponse à la lettre I C/59 - 2153 que Votre Eminence a bien voulu m'adresser, j'ai l'honneur de Lui parvenir le document ci-joint.

Baisant la pourpre sacrée de Votre Eminence Révérendissime, je La prie de daigner agréer l'hommage de mes sentiments très respectueux.

✠ Jean Rupp
Evêque titulaire d'Arca de Phénicie
Auxiliaire de Paris

Eminentissime Domine,

Humillimo servo Dei qui arcensi pollet titulo post multas quas maxime in diebus Beatae Mariae consecratis obtulit deprecationibus hoc videtur de futuro Concilio generali suggerendum.

Quatuor dividatur capitibus materia tractanda:

In primo de doctrina seu dogmate agendum sit.
In secundo de re morali.
In tertio de disciplina et ritibus.
In quarto de animis et rebus Christo Regi subiiciendis seu de apostolatu catholico.

I

Circa haec quae doctrinam respiciunt

I. De *Atheismo* agatur qui valde saeculo viget nostro ac de quo pauca apud Denzinger inveniuntur.

Nempe:

a) Solemniter condemnetur et refellatur.

b) Dato quod iuxta Paulum ad Romanos 1-21, parum videatur excusabilis, moneantur fideles ne leviter de bona fide atheorum nec sicut audacter aliqui fecerunt de « valore » atheismi loquantur; nec omittant atheismum simul esse blasphemiam maiestatemque Dei graviter offendere ac reparationem poenitentiamque postulare a fidelibus.

c) Cooperatio saltem habitualis vitetur cum illis qui aperte atheismum profitentur, libri eorum, spectacula, opera varia arceantur.

d) De hoc vero convincantur fideles: fidem in Deum quo maius christiani aperte profitebuntur ac Spiritu fidei movebuntur eo minus vigebit atheismus in hoc mundo.

II. *De transcendentia Dei* etiam agatur, nam:

a) De hac numquam vel parum loquuntur.

b) Hominem semper extollunt Deum minus laudant.

c) Falsa haec opinio de Incarnatione serpet: « in Christo, divinitas hominis, ut aiunt, sese manifestat: gradatim ac sine ruptura fit in Christo via a Deo ad hominem ». Aliquid antiqui illius Arianismi sic redivivum reapparet.

d) De habitu creaturae ad Creatorem parum loquuntur sed tantum de filio ad patrem.

e) Necessitas sacrificii praetermittitur quo creatura creaturis dominium supremum agnoscit; propter peccatum vel amoris causa tantum sacrificium admittunt.

f) Adoratio Christi in Sanctissimo Sacramento non inficitur sed paulatim decrescit. Sanctam communionem haud genuflecti ac gratiarum actionem omittentes accipiunt ubi Sanctissimum Sacramentum in processionibus publice fertur item genuflectionem omittunt. Quid sit vero adoratio multi ignorant nec de hoc nisi raro fit sermo ad populum.

III. De *Episcopatu* sermo fiat.

a) Definiatur Episcopatum esse ordinem, gratiam conferre quae vere sacramentalis est ac consecrationem episcopalem ordinationi aequiparandam esse.

b) Canon 7 Conc. Tridentini de Ordine resumatur ubi damnatur haec propositio: « potestatem quam episcopi habent confirmandi et ordinandi communis est cum presbyteris ». Refellatur opinio eorum qui putant potestatem ordinandi extare in presbyteris, sed ligatam fuisse.

c) Enumeretur Episcopatus inter ordines qui in can. 949 ponuntur.

d) Episcopos titulares constituere simul cum residentialibus collegium episcoporum qui, iure divino, collegii apostolici locum tenet, etsi in actu nullam exercent in sua dioecesi iuridictionem, omnibus pateat.

e) De coetibus episcoporum agatur: 1) ab episcopis solemniter requiratur ut concilia provincialia ad normam can. 283 saltem decimo anno teneantur; 2) item ut Concilia plenaria frequentius etsi semper ad nutum Sanctae Sedis teneantur iuxta ea quae can. 281 statuit; 3) coetus illi S. R. E. Cardinalium, Metropolitarum vel episcoporum qui insuper frequentius ac frequentius in multis regionibus vel nationibus habentur certae regulae subiiciantur canonicae. Quae si non exstat conficiatur. De his coetibus notetur: quod si necessarii sint procul dubio attamen pluribus subiiciuntur periculis:

a) minuitur aliquo modo aequalitas et libertas quae sub Petro omnibus competit episcopis;

b) accidit ut episcopi dioecesani his coetibus nimis nitantur nec satis de his quae proprio motu dicere vel facere debeant, cogitent;

c) si gallica vel alia eius modi pestis hodie debilior evadit nec magnam in coetus nationales exercet influxum, accidit tamen ut laici de his coetibus putent quod aliquam constituunt iurisdictionem quae medium tenet inter Ecclesiam universalem et particularem. Quod omnino falsum est;

d) ad haec vitanda exoptetur ut coetus de quibus agitur nuntiis apostolicis vel delegatis praesideantur nec de re morali, dogmatica et liturgica saepius agant sed magis de practicis ut aiunt quae solvendae sunt quaestionibus. Sic ea quae iuri competit divino Romani Pontificis ac in sua propria dioecesi episcopi iurisdictio clarior evadet.

IV. De *Sacerdotio* ea quae in can. 107 inveniuntur omnino ante oculos omnium ponantur nempe quod « ex divina institutione sunt in Ecclesia clerici a laicis distincti ».

Abhorret a vero conceptu sacerdotii quod presbyteri modo laicorum sese habeant, commixti cum laicis vivant negantes sacerdotem fidelibus praeesse.

Haec vero valent etiam si motiva apostolica in animo habentur.

Evangelico tantum modo, id est « relictis retibus » debet sacerdos Evangelium annuntiare.

V. De *Sacra Scriptura* sermo fiat ac a Patribus requiratur quo modo Verbum Dei fidelibus tradatur in versionibus quae simul scientifico non careant valore ac verum sensum qui a traditione christiana, a Patribus, a conciliis et Pontificibus statutus est non praetermittant.

Naturalismus biblicus strenue reiciatur. Biblia sacra sic legatur ut haec lectio actus fiat religionis et fidem ac caritatem fidelium nutriat.

VI. Sunt qui negent Ecclesiam ullam possidere doctrinam de re sociali. Haec omnino refellantur.

Magni videtur momenti his vero temporibus ubi communistae uno impetu Christianitatem aggrediuntur, Catholicos omnes uno ore principia tenere quae hunc impetum, reicere vitamque hominum meliorem ac feliciorem reddere valent. Clara profiteatur Sacrosanctum Concilium post tam multa quae in documentis inveniuntur Pontificum:

de existentia Culturae Christianae (Civilisation chrétienne, Civiltà Cristiana) quae defendi ac dilatari debet;

de necessitate institutionum christianarum quae fidem et mores populi tueantur (uti sunt scholae, associationes, leges doctrinae catholicae consonae);

multa mala vitari possent si Christiani vel saltem sacerdotes et Theologi fragilitatem humanam magis ante oculos tenerent, difficultates maximas cogitarent quas populus simplex et rudis invenit in fide vel saltem religiosa praxi servanda ubi Status atheus vel laicus (ut aiunt) vel fictis Islamismi parens invenitur vel aliis eiusmodi, nec exstant institutiones christianae quae debilitatem adiuvant.

Hi vero qui proletarios Christo iterum lucrari volunt die ac nocte de his cogitent. Ne propter ideas falsas quibus inficiuntur hostes fiant infensissimi parvulorum pro quibus Salvator ille mortuus est quem Deus « ad evangelizandum pauperibus » misit.

II

De Re Morali

I. Condemnetur personalismus falsus qui conscientiam humanam supremum iudicem in re morali fingit esse. Reiciatur subiectivismus moralis qui anarchiam inter catholicos fovet ac ideologiis multum prodest.

II. Ostendatur vera oboedientiae natura quae a transcendentia defluit Dei ac sine qua virtus religionis evanescit.

III. Explicetur iterum quomodo sana democratia quae ab Ecclesia

admittitur cum iis quae Paulus in capite XIII ad Romanos scribit de divina qua pollet status auctoritate conciliatur.

IV. Amor patriae sanus quomodo Dei mandatis imperetur, ostendatur.

V. Luxuriam quae in libris, spectaculis, diariis semper ac semper propagatur damnet Sacrosanctum Concilium. Catholicos moneat ne propter rationes leves mali huius gravissimi complices fiant vel saltem illud segniter impugnent. Pastores examen conscientiae, humiliter, faciant de hoc.

VI. Divortium quod secum mala infensissima praesertim in pueros innocentes fert iterum ac iterum damnet Concilium.

Qui post divortium « matrimonium civile » contraxerunt, ab operibus catholicis ac praesertim a muneribus in eis gerendis arceantur.

VII. De matrimonio dicatur quam imprudenter hodie ac nimis cito a multis contrahatur. Iterum ac iterum considerare debent fideles matrimonium onus imponere ad quod gratia Dei adiuvante sese praeparare diu ac serio debent. Familia non impetu passionum sed quasi a sapiente architecto aedificanda sit.

VIII. Excellentia Virginitatis super sic dictum « sacerdotium laicorum » extollatur. Haec nimis proflua matrimonii exaltatio unde strages defluxit vocationum, reprobetur.

IX. De caritate ponatur:

quod saepe cum sensibilitate quadam quae non ex fide sed ex carne procedit confunditur. Hostes Christi, communistae praesertim, qui hanc sensibilitatem modo scientifico excitare valent, ex ea multa sibi proficua metent. In haec tam bene tensa adversarium retia, non tantum fideles et sacerdotes multi cadunt sed et qui maioribus in Ecclesia pollent dignitatibus. Vide quomodo pacifistae vel qui exercitus subversionem impugnantes detrectant a permultis libenter audiuntur!

ordo caritatis saepissime praetermittitur. Infideles catholicis praeferuntur. Amor mutuus inter catholicos parum viget. Verba Pauli ad Gal. VI, 10 silentio praetereuntur. Timeamus ne Christianitas sic dilaniata cui infideles maioris quam fideles pretii esse videntur, nec his nec istis lumen proferat veri amoris.

III

Quoad disciplinam et ritus

I. *Oboedientia* inter clericos (et religiosos) strenue promovenda. Quod inde ab initio vitae clericalis serio profiteantur se episcopo oboe-

dituros esse (vel praelato) ac legibus Ecclesiae, summique Pontificis mandatis voluntatem subiecturos.

II. Clericalem habitum nonnisi gravissima de causa deponant. Alia quae in codice de clericis statuuntur stricte observentur.

III. Sacerdotes exemplum praebeant urbanitatis nec credant se populum facilius Christo lucraturos si ad modum rudium se habent nec iam ad invicem respectum ostendunt sibi debitum.

IV. In seminariis minoribus disciplina strictior vigeat ac magistri falsas methodos paedagogiae refellentes necessariam in Christi acie subiectionem et oboedientiam quae cum amore perfecte convivunt, pueros a Domino electos et speciali modo dilectos doceant.

V. Item seminarii maiores reformentur. Spiritus silentii, mortificationis, orationis, solitudinis denuo colatur .Qui viam parare vult Domino discipulus fiat Ioannis in deserto. Nec alius datur ad verum apostolatum exitus.

VI. In multis orbis civitatibus ubi vigent Universitates, numerus fit crescens seminaristarum vel sacerdotum qui studia perficiunt. Si multi laudabiliter officium implent, plures libertate nimia praediti, in varia pericula cadunt circa fidem, mores vel saltem sensum ecclesiasticum. Caveatur ne propter mentis aperturam quam sacerdotibus exoptamus, vocationes permultas amittamus vel saltem venenum aliquid clero iniciamus. Fiat in Ecclesia universali regulatio stricta studiorum ecclesiasticorum ab alienigenis, vel saltem ab aliis dioecesibus oriundis in Universitatibus orbis perficiendorum.

VII. Examinare libeat ac forsan admittere opinionem illorum qui, dato quod sacerdotes Ecclesiae pertinent universali magis quam propriae, putant:

Sanctam Sedem vel aliquam ab ea constitutam auctoritatem, sacerdotes posse extra dioecesim mandare ac regiones, ubi desunt sacerdotes, sic spirituali quam patiuntur egestati eripere.

Hanc vero translationem sive in propria sive in aliena natione effici posse.

Sacerdotes omnes saltem paratos esse debere ad ministeria varia solo iussu superioris implenda intra limites propriae dioecesis. Unde fit ut de inamovibilibus parochis ac de autonomia parochiarum quae medio magis quam hodierno consonat aevo ius esset reformandum.

Sacerdotes qui migrantes curant vel ipsi propter persecutionem migrarunt nec proprio de facto subiiciuntur episcopo, coadunari debere in unaquaque natione sub iurisdictione alicuius episcopi residentialis. Sancta Sedes deligeret insuper sacerdotes migrantium, quos, auctoritate praeditos, in hanc vel illam nationem mitteret.

VIII. De re liturgica, haec pauca.

Linguae liturgicae salventur nec ullo pacto vernaculae omnia invadant.

Omnino prohibeantur mutationes quae hodie in sacra liturgia a sacerdotibus incessanter, sine ullo iure perficiuntur. Gloria Dei, Unitas Ecclesiae, Pax et reconciliatio, Sanctitas templorum, libertas fidelium (quae mutationibus illegalibus laeditur) haec exigunt.

Solemniter a Concilio haec unitas Ecclesiae rituum proclamari debet. Lex orandi, lex credendi. Qui in rebus liturgicis periti sunt ac mutationes quae legitime ab auctoritate Sanctae Sedis effici possunt modo suo praeparant, dum lex antiqua viget, ipsi, ante omnes, exemplum praebeant oboedientiae strictae hodiernis rubricis.

IV

De apostolatu catholico

I. De Actione catholica haec videntur humiliter dicenda: ad normam verborum Pii Papae XII (die 5 octobris anni 1957) reformetur. Cesset illa obligatio quae saepissime ad perturbationem conscientiarum imponitur laicis adhaerendi tali vel tali associationi, si salutem proximi procurare volunt.

Libere sub inspiratione Spiritus Sancti hanc formam sibi eligant actionis catholicae ab Ecclesia probatam qua, vocatione quadam, attrahuntur.

Triplex videtur existere forma quae admitti potest Actionis Catholicae.

Actio Catholica generalis quae nullum excludit finem apostolicum ac membra ubique sibi cooptat.

Actio Catholica minus generalis (Action Catholique spécialisée), quae hanc partem tantum, vel illam societatis attingit, v. g. opifices, vel ruricolas vel alios.

Omnes associationes quae bonum proximi spirituale procurare volunt, quin etiam omnes christiani, etiam nulli adhaerentes Associationi qui evangelium diffundunt sub directione Ecclesiae, v. g. Magistri scholarum catholicarum, catechistae etc.

Hae tres formae sollemniter aequiparentur, nec ullum detur amplius alicui Associationi privilegium.

Coordinatio foveatur omnium sub Parocho et Episcopo quae facillime perficietur si libertas et aequalitas omnium admittitur.

Haec veri nominis *liberatio* si efficietur, magnum enthusiasmum suscitabit apud maiorem partem catholicorum, novas formas apostolatus crea-

bit, clero animum reddet qui tutelam actionis catholicae nimis strictae aegre fert, nihil de bono hucusque obtento supprimet, traditioni Ecclesiae quae mater est omnium, consona erit.

II. Abstineat Actio Catholica ab omni actione proprie politica. Problemata temporalia et oeconomica syndicatus christianos magis quam actionem catholicam respiciunt. Ubi iura Ecclesiae ac libertas catholicorum defenduntur, persecutiones reprobantur, communistarum errores refelluntur nihil vetat quin A. C. interveniat.

III. De diariis et periodicis catholicis quid providendum sit examinetur. Magnum eis tribuatur momentum.

Divisio materiae quae apud Em.mum Cardinalem Bononiensem invenitur admittatur. Inspirentur magis a sacra hierarchia nec ullo pacto a politicis partibus vel ut aiunt a « temporalibus optionibus » ea diaria et periodica quae in parochiis vel operibus catholicis a clero diffunduntur.

IV. Quod Ecclesia et catholici ius habeant ad scholas christianas quae pueros non tantum catechismum sed et spiritum Fidei doceant, solemniter affirmetur. Opinio eorum qui putent in scholis quae influxui laicismi subiiciuntur nec ullum vel infimum relinquunt religioni locum, sufficientem dari educationem pueris catholicis fortiter refellatur.

V. Examinetur a Concilio quomodo syndicatus christiani inter operarios maiorem influxum habere possint ac quo pacto auxilium pecuniarium eis procurari possit nempe a Statibus Foederatis Americae Septentrionalis.

VI. Sacerdotes in multis provinciis pecuniam non habent quae sufficiat ad eorum sustentationem. Haec miseria cleri denuntietur, impugneturque.

VII. Sciant Christiani omnes artem politicam finem habere ultimum qui est, ultra terrena, gloriam procurare Dei salutemque animarum.

Si Status laicus aliquo pacto admitti potest laicismus condemnetur, omnibusque fidelibus clarum sit cultum publicum a Statu Deo offeri debere nec sine peccato saltem materiali saepissime omitti.

Conetur Sacrosanctum Concilium unionem saltem spiritualem procurare maiorem inter status, nationes, provincias, civitates quae culturam christianam sicut fundamentum historiae ac hodiernae vitae habent.

Communis defensio Christianitatis vinculum creabit maius inter catholicos et alios qui christiano se ornant nomine, quin infideles ab eorum amore excludat; sed iuxta Paulum maior debet domesticis fidei amor quam aliis. Haec praedilectio, quae sana et naturalis est, alios saepe aedificabit. Scandalum laicismi minuetur, animus credentium crescet, propagatio fidei facilior evadet, eiusque defensio firmior.

VIII. Ne in infinitum procedamus, nec ampliores quaestiones quae

remanent omittamus, audemus enumerare commissiones quae iuxta mentem nostram ante Concilium vel durante Concilio exstare possent.

a) Commissio studiorum de rebus technicis ac scientificis quae examinet quo pacto progressus scientiarum et technicae maiorem Dei gloriam procurare possit.

b) Commissio Migrantium quae bono spirituali exsulum in Concilio Oecumenico procurando consulet.

c) Commissio « Oecumenica » quae de omnibus quae ad reunionem cum fratribus separatis tendunt providebit.

Exopto humiliter quod inter membra huius commissionis R. P. Christophorus Dumont, rector parisiensis Instituti « Istina » includatur.

89

Exc.mi P. D. TIMOTEI RAYMUNDOS

Episcopi tit. Chariopolitani

Athenis, 27 augusti 1959

Ad litteras, I C/59-2321, quae labente mense augusti, i. e. 25 augusti, ad me, absentem a Lutetia Parisiorum, pervenerunt, dum quietis ratione, praecipue tamen, ad promovendas et fovendas relationes inter Ecclesiam catholicam et communitates orthodoxas, in Graecia, iam a mense essem, libenter, sed festinanter et inordinate, in paucis respondeo cum sinceritate cordis, previa oratione.

I. De ipso Concilio...

Concilium Oecumenicum, sine convocatione et participatione Ecclesiae Orientalis dissidentis, potest adiungere ad pristinas, novas difficultates.

Si haec sententia praevalet, mihi videtur utile, immo necessarium, ut, quodam modo istae communitates, participent ad preparationem eiusdem, etiam a longe, unitis, scilicet, eorum cum nostris studiis circa easdem materias.

II. De dogmatica expositione et definitione mysterii Ecclesiae, utpote est *civitas,* regnum Dei, populus Eiusdem, tabernaculum Dei e vivis lapidibus aedificatum, Corpus mysticum Christi, unicum et unum, ex multis membris constitutum, organice iunctis et unitis, ad diversa ministeria destinatis, aut variis charismatibus praeditis — per voluntatem Christi interdependentibus, ut docet Apostolus Paulus — ad aedificationem Ecclesiae.

A) In primis, utile et necessarium esset, ad vitandas confusiones,

irritationes spirituum, si doctrina de primatu et infallibilitate Episcopi Romae, iam definita, declaretur non solum cum terminis theologicis, sed etiam, per maiorem illustrationem et integram intelligentiam praesentetur cum expressionibus et imaginibus adhibitis a Sancta Scriptura et a Patribus.

Sic, Summus Pontifex non apparebit quasi alter ab Ecclesia, sed membrum hierarchicum unius Ecclesiae, cum suis ligaminibus, relationibus cum ceteris membris, his etiam a Christo stabilitis pertinentibus ad structuram intrinsecam, essentialem Corporis Ecclesiae. Corpus non est ex solo capite. Necessarii sunt influxus, activitates omnium membrorum secundum cuiusque naturam, ad sanitatem, foecunditatem totius corporis.

B) Cum aliis verbis, ut definitio Primatus et infallibilitatis Episcopi Romae, appareat magis fulgens et in suo loco ut suadent expressiones et imagines Sanctae Scripturae et Patrum, debet sequi definitio altera circa naturam Episcopatus et eius institutionis, circa naturam populi christiani.

Attentio Ecclesiae, hodie (haec est mea persuasio), vertitur in totum suum esse humano-divinum. Praevidente et assistente Spiritu Sancto, Ecclesia, in nostris temporibus, acquirit conscientiam meliorem et pleniorem sui ipsius sive per spatium et historiam, sive et praecipue sine essentia in suis vel minimis membris etiam absconditis cum diversis eorum ministeriis et activitatibus.

Necessarium itaque est, etiam ad vitandos errores, ut concilium se praeoccupet in stabilienda doctrina, circa cetera membra Ecclesiae, circa ligamina intrinseca, vitalia, Corporis unici, influxus reciprocos in communione fidei et gratiae, per Spiritum Sanctum, in Christo, secundum oeconomiam spiritualem Patris Caelestis.

In specie:

a) Definitio institutionis Episcopatus.

b) Definitio populi christiani, seu laicorum:

1) Actio Catholica generalis promovenda;

2) Actio Catholica stricte dicta, ab electis idoneis, praeparatis secundum doctrinam et spiritualiter exercenda. Qui apostolatus laicorum, quoad suam efficacitatem regitur a dispositionibus Providentiae supernaturalis in parte solum a principiis sociologicis et psychologicis;

3) Actio temporalis, servatis dispositionibus quoad finem ultimum hominis et modum procedendi, oeconomiae divinae supernaturalis, sit dependens a consilio proprio, secundum loca, tempora, circumstantias.

c) Quo modo et gradu infideles pertinent ad Ecclesiam ex voluntate salvifica Providentis Dei et Iesu Christi, qui est mortuus pro om-

nibus, mirabiliter manifestata in conscientiis et eventibus quasi propedeutica quadam.

Missio Ecclesiae est illa Christi, salvare omnes animas. Omnes non perveniunt ad plenitudinem veritatis, possibilis tamen ex bona fide et recta conscientia, cum gratia divina, actus caritatis perfectus.

d) Ecclesia et mundus materialis. Hic mundus suspirat post suam restaurationem...

Efficacitas *benedictionum* Ritualis tam spreti hodie!...

De vita christiana. - Vota

1. Vita gratiae *per Sacramenta.*
2. Vita liturgica; participatio intelligens, pia; serventur traditiones Ecclesiae et ordinationes.
3. Templum Dei, non ad modum musaei, non denudatum, ut est apud protestantes. Est tabernaculum Dei e vivis lapidibus qui sunt, sancti omnes; ad orationem communem totius Ecclesiae, caelestis, terrestris, in sacrificio laudis et reparationis.
4. Catechismus et *vita christiana.*
5. Catechesis adultorum, ubicumque, etiam in missionibus. Initiatio ad totam vitam Ecclesiae utpote interventionem Dei in historiam mundi.
6. Usus rituum Ecclesiae Orientalis, in missionibus quasi necessarius, pro multis rationibus.
7. De sacerdotibus. Segregatus, diversus ab aliis etiam in suo vestitu. Necessitas theologiae scholasticae, simul et philosophiae.
8. Vita religiosa, pars integrans Ecclesiae.

Eminentissime Domine, deprecor suam benignitatem super omnia haec, inordinate exposita, quia festinanter et magna difficultate propter statum salutis, praecipue oculorum.

90

Exc.mi P. D. STANISLAI COURBE

Episcopi tit. Castoriensis, Auxiliaris Parisiensis

Prot. N. I 59-2.327 Paris, le 16 septembre 1959

Eminence Révérendissime,

En réponse à votre lettre en date du 18 juin 1959 j'ai l'honneur de confier à la bienveillante attention de la « Pontificia Commissio Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico » les « vota » suivants:

I. *En ce qui concerne l'Action Catholique*

1. Que soit affirmé authentiquement que l'Action Catholique appartient incontestablement à l'office pastoral et à la vie chrétienne.

2. Que les laïcs y soient encouragés.

3. Que la définition, déjà donnée par Pie XI, soit précisée et amplifiée.

4. Que les caractères constitutifs de l'Action Catholique soient davantage mis en lumière.

5. Que soit précisé ce que l'on entend par Associations Auxiliaires de l'Action Catholique.

6. Que le rôle et la compétence des laïcs soient définis avec précision.

7. Que leur dépendance vis-à-vis de la Hierarchie soit nettement affirmée.

8. Que le champ de leurs activités soit délimité avec précision.

9. Qu'il soit rappelé que les problèmes et les activités d'ordre temporel ne sont pas « in se » du ressort de l'Action Catholique; mais que leurs dirigeants, obligés qu'ils sont de s'y intéresser pour y insérer les principes chrétiens, s'en tiennent là et qu'ils évitent d'engager la responsabilité de leur Mouvement et celle de l'Eglise dans des options d'ordre temporel.

10. Que soient fixés les rapports des Organisations internationales Catholiques avec les activités d'ordre national ou purement diocésain en sorte que soient réservés les droits des Evêques.

II. *Marie Mediatrice*

Que soit proclamé comme une vérité s'imposant à notre foi que la Très Sainte Vierge Marie est Médiatrice universelle, dans l'obtention et la distribution des grâces divines, médiation subordonnée à la médiation de Jésus, le seul Médiateur.

Daignez agreér, Eminence Révérendissime, l'humble hommage de mon tout dévoué respect.

✠ STANISLAS COURBE
Evêque de Castoria

91

Exc.mi P. D. FRANCISCI AUVITY

Episcopi tit. Dionysianensis

Le 18 août 1959

Reverendissimi Domini,

Propter infirmitatem meam, id est caecitatem et debilitatem sanitatis meae, mihi non adest facultas scribendi et narrandi vota, desideria et opiniones relativas ad futurum Concilium oecumenicum.

Attamen non mihi deest facultas recitandi multas et ferventes preces ad obtinendum effectus fructuosos et finem perfectum huius concilii.

Concursus divinae Maiestatis est absolute necessarius in negotio maximi et altissimi pretii quod est Concilium oecumenicum. Promitto multas preces, praesertim « Rosaria », in honorem beatae Mariae Virginis.

Sint Vobis, Venerabiles Magistri, cuncta fausta, deprecor a Domino.

✠ Franciscus Auvity
Episcopus tit. Dionysianensis

92

Exc.mi P. D. HENRICI DUPONT

Episcopi tit. Dorylaensis, Auxiliaris Insulensis

Lille, le 1er septembre 1959

Eminentissime et Reverendissime,

Mense iulio praecedenti, Eminentissimus Cardinalis Liénart episcopus Insulensis, cui auxiliaris adiunctus sum, a me quaesivit sententias et vota circa futurum concilium, ut sibi operam darent ad te, reverendissime, respondendum interroganti.

Hae sententiae infra scriptae sunt.

Reverendissime, haec vota Eminentiae tuae propono humiliter. Salutem et preces ad Dominum tuis operibus ex corde oblatas, velis acceptas habere.

✠ Henricus Dupont
Episcopus Auxiliaris

Concilio futuro ad Ecclesiam Catholicam disponendam praenuntiato, ut faveatur Unitas Ecclesiae, opportunum videatur quosdam fratres separatos electos interdum admitti in concilium, tantum ut spectatores.

De Doctrina.

Dum homo immensis auctibus hodiernis sese superbia effert, necesse est Dei iura infinita revocare quae favent splendidam vocationem hominis ad omnes creatas res a quacumque servitute liberandas.

Ob pericula progressus doctrinae materialistarum urget dignitatem hominis, Dei filii adoptivi, solemniter proponi.

Alia doctrinae capita, a quibusdam inscite exposita hodie, utile est claris et aptatis verbis solemniter proclamari; ut: Ecclesiae mysterium, laicorum in Ecclesia partes, B. M. Virginis Mariae ad redemptionem participatio, quaenam sit confirmationis sacramentalis gratia.

De disciplina cleri et Christi populi.

Sine administrativarum divisionum adhuc vigentium perturbatione (dioecesis, paroeciae) necesse est, ut fractiones et dissentiones minuantur, publice constitui cooperationis instrumenta secundum vitae humanae partes...

De Clero: Ecclesiae disciplina de cleri perfecta castitate revocanda et vindicanda est... Cleri vestis adaptari potest ad hodiernae vitae necessitates... Ornamenta episcoporum et quaedam coeremoniae expansae episcopis reservatae, ut altaris et ecclesiae consecrationes simpliciores reddi possint.

De religiosis: Religiosorum Congregationis momentum opportunius esse possit, si maiorem laborem episcopis residentialibus communicet.

Actio Catholica introducenda sit in tertiam partem Libri secundi *Codicis I. C.* iuxta alias associationes.

Nonne simplices fideles promoveri possint lectores... ostiarii... acolythae; horum officiis plerique laici funguntur.

De poenis.

Poenae ecclesiasticae neminem afficere possint nisi auditum, et fortasse audito illius episcopo.

93

EXC.MI P. D. ANDREAE LECLERC

Episcopi tit. Hephaestiensis, Auxiliaris Parisiensis

Parisiis, die 31 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteras, quas sub Prot. N. I C/59-2525 die 18 iunii 1959 Eminentia Vestra ad me mittere dignata est, cum omni qua par est reverentia accepi, eisque, quantum in me est, respondere intendo:

I. *Circa sollicitudinem pastoralem*

Fit interdum ut detrimentum spirituale patiatur paroecia quaedam, non ex culpa pastoris, sed potius ex causa non imputabili Parocho, ita ut non expediat nec deceat ad canones 2147-2161 recurrere.

Optatur ergo ut canoni 475 § 5: « Quod si per vicarium adiutorem bono animarum provideri nequeat, locus est parochi amotioni... ».

Addatur § 5: « Cum autem pastoralis sollicitudo omnibus aliis argumentis anteponi debeat, si datur una ex causis de quibus can. 2147 tractat, post visitationem episcopalem, iuxta can. 344 § 1, visitator, quin ad normam can. 2147-2161 procedat, potest parochum ad renuntiationem intra certum tempus faciendam invitare. Quod si parochus non renuntiaverit, episcopus, audito capitulo, decretum amotionis ferre poterit, et ab eius decreto dabitur recursus in devolutivo tantum, iuxta can. 345, ita ut, contra can. 2146 § 3, Ordinarius, pendente recursu, alii paroeciam conferre valide possit. Post renuntiationem vel amotionem, servetur de cetero can. 2154 ».

II. *Circa Cleri sanctificationem*

Post exhortationes Pii XII et recentes Litteras Encyclicas Sanctitatis Suae Ioannis XXIII, feliciter regnantis, ob anniversarium Sancti Ioannis Mariae Vianney, *optatur*: « Ut omnis sacerdos, ad animi sui quietem et ad maiorem in via Dei progressum, sibi eligere possit quemlibet alium sacerdotem tanquam confessarium, qui, si iurisdictione ibi careat, eam ipso iure obtineat, etiam quod spectat ad casus Ordinario loci reservatos, dummodo electus confessarius a proprio Ordinario facultatem confessio-

nes audiendi rite acceperit » (Qui textus ad mentem sacrorum canonum: 239 § 1, 2; 349 § 1, 1; 520 § 2; 883 § 1 proponitur).

Quae, ad bonum animarum, Eminentiae Vestrae et Commissionis iudicio reverenter subiicio, et, sacram Purpuram Vestram deosculans, me iterum profiteor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
humillimum et addictissimum in Christo famulum

✠ Andreas Leclerc
Episcopus tit. Hephaestiensis
Auxiliaris Emin. Card. Feltin, Arch. Parisiensis

94

Exc.mi P. D. FELICIS MARIAE VERDET

Episcopi tit. Gurzensis, Auxiliaris Nicensis

Prot. N. I C/59-2606 Niceae, die 3 septembris 1959

Reverendissima Eminentia,

Litterae quibus a me quid sentirem interrogabas, datae Romae die 18 iunii 1959, tamen novissimo die iulii missae fuerunt et ad civitatem Nicensem primis diebus mensis Augusti, cum maxime iter inirem, allatae, et mihi domum regredienti traditae sunt.

Ne proferrem diem laxius quam constituisti, Eminentia, ad responsum tibi dandum, ad te quam celerrime rescribo. Quod epistula mea tardior fuit velim mihi ignoscas, tridui tantum mora intercepta post diem primam septembris.

Etsi animo sedatiore perscripta, haec responsio non multum copiosa fuisset, temporis tanta exiguitate adhibita ad componendam eam, quanto magis infirma mihi videtur, et tibi, vereor. Mihi ignoscas, precor; veniam te mihi concessurum spero.

I. De theologicis considerationibus

Ut opinor, optabile fiet ut ingrediatur ad studium Theologiae de Episcopatu, de Laicatu, et denique de Actione Catholica, concilio instigante. Nam multa exarantur his temporibus quae ad illas tres materias attinent.

Sententiae, ad liquidum perductae et ad movendas approbationes aptae, magnam utilitatem habeant.

Exempli causa hoc tantum dicam: in unum et idem verbum i. e. « Actio Catholica » multae res conclusae sunt, et profecto inter se dissimiles varietate locorum.

II. De quibusdam rebus ad mores vivendi novos non penitus accommodatis emendandis.

1. *De Diaconatu*

In pluribus regionibus parum multi sacerdotes. Maximo ad ministerium sacerdotale adimplendum adiumento sit institutio diaconorum qui ad catechizandi officium admittantur, orationibus fidelium praesint, verbum Dei proclament, baptizent, sacrum Corpus Christi distribuant.

Sine dubio, theologiae discendae vacent necesse est.

Optare liceat ut iis facultas matrimonium contrahendi concessa sit, et, hic in arte aliqua, illic in solo ecclesiae ministerio versentur.

2. *De lingua vernacula*

a) De Missa.

Optabile est, mea quidem sententia, ut in priore parte Missae sermo patrius amplitudine maiore fruatur, secluso omnino Canone. Epistula et Evangelium praecipue voce magna atque solemniter pronuntientur ea lingua quam fideles multo facilius intelligunt (translatio enim lectionum, ut opinor, tantam vim non habet ut loco usus patrii sermonis esse valeat). Haec est necessitudo, credo, ad officium pastorale ita implendum ut moribus novissimis accurate accommodatum sit; et, ad hanc rationem, haud multum valebunt non solum Missale optimum, etiamsi studiose multiplicatum ac evulgatum fuerit, sed ipsa institutio liturgica fidelium de qua maior in hac aetate quam tempore praeterito cura habetur, necnon recentiores regulae ad excitandos fideles edictae ut adstantes quam devotissima participatione Sacrosancto Missae Sacrificio communicent.

Ego vero opto ut aequo animo illam viam sequamur in quam Sanctus Cyrillus et Sanctus Methodius se dederunt. In tot tantasque insidias inciderunt, sed in Pontificis Romani paterno ac ad efficiendum potenti amore conquieverunt.

b) De Breviario.

Quin etiam, votis expeto facultatem dari recitandi, privatim, breviarium lingua vernacula compositum, saltem ex parte (v. g. lectiones).

Quam multi sacerdotes, boni, pii, nullum cibum ad recreandam vitam animae inveniunt in illa recitatione quotidiana cuius celeritas, quamvis

moderata, ut mos est, vixdum unam horam excedit, et, ob eam rem, incapacitatem intelligendi sermonem latinum auget. Immo, doctrinis in ratione studiorum magis magisque quotidie plurimum pollentibus, plures clerici, praecipue qui tardi in Seminarium ingressi fuerint (quorum insuper numerus in dies multiplicatur) in illam magnam difficultatem incurrent.

Et plurimi sacerdotes, heu! quaeruntur super hoc quod illa quotidiana recitatio in veram paenitentiam vertitur, separato etiam meriti ac efficacitatis pretio. Num mirari oportet quod alii, ea quae sursum sunt minore affectu quaerentes et sapientes, usque eo aberrationis veniunt ut motu proprio, facilitate pessima, hoc breviarii onus remittant.

3. *De poenis ecclesiasticis*

Elenchus poenarum tantam implicationem fert ut rarissimi sint sacerdotes qui hac eruditione apte ornentur, exceptis fortasse iis qui speciali modo iuris canonici periti sunt.

4. *De Dominicae sanctificatione*

a) De Missa.

Diebus Dominicis, multitudo magis magisque civitate vel finibus mutari solet, et consuetudo vacationis Sabbato in pomeridianum tempus datae, vel etiam ad totum Sabbatum provectae, increbescit.

Num nullo modo fieri potest ut Dies Domini initium capiat Sabbato ad solis occasum? Quam facilius, si res ita se haberet, fidelis quisque sacris ritibus in propria ecclesia paroeciali assistere posset; nunc vero, omnibus diebus dominicis, missae adest in quacumque ecclesia, viae fortuitae causa, ita fit ut copia quaedam christianorum, nisi in maximis vitae rebus, nullam cum paroecia propria coniunctionem habeat.

b) De operibus servilibus.

Optabile mihi videtur ut opera, quae sanctificationi dierum festorum obstant, recognoscantur et hoc argumentum significanter indicetur, novorum morum habita ratione.

5. *De mortificationibus*

Videmus poenitentias, antiquitus vigentes, magis et magis quotidie defluere; lex ieiunii, imminuta ad quattuor tantum dies, a nullo servatur, ne a clericis quidem, qui se dispensatos arbitrantur. Legem abstinentiae servandam singulis sextis feriis pauci inter christianos obser-

vant, non solum cum domo egressi sunt, sed etiam aliquando cum se domi non commovent.

Saepe fit ut in sacerdotibus ipsis causa huius malae consuetudinis repetenda sit: optimo enim animo utuntur; sed, improba veri sensus christiani defensione adhibita, signa inferunt cum iis qui, Pharisaeorum more, omnia religiosa tanquam ex aliqua formula agunt, et, ob eam causam, in contionibus praedicant, non satis tenue discrimen intendentes, multa peccata graviora esse quam ex carne vesci die prohibito.

Si oportet regulas paenitentiales ad mores modernos accommodari, accommodentur, dummodo Ecclesia graviore et pleniore voce universo populo christiano proprium ac gravissimum paenitentiae agendae officium commemoret.

6. *De acatholicis de facto et de publicis peccatoribus*

Apud permultas gentes, antiquissimam christianam religionem profitentes, in regionibus ubi fere omnes infantes baptizantur simul ac nascuntur, sed eruditio divina iis non semper datur disposite et constanter quia non optima conditione fruitur (persaepe enim huic eruditioni obsistunt circumfusae undique pravae conditiones familiares vel hominum societatis status), non raro inveniuntur, matrimonio occurrente, sponsi qui alieni a fide catholica videntur, etsi baptizati fuerint.

Certe, ex pastorum usu constat quosdam ex illis fidei quasi sopitae esse. Sacerdos sagax, prudens, qui ut pater agit, saepe impetrabit colloquiis et inquisitione a iure praescripta, et fructuosam confessionem et animi habitus ad matrimonium opportunos.

Sed ex pastorum eodem usu constat etiam multos sine fide esse. Et recenter peritus parochus, ruri ministerium adimplens, mihi dicebat se credere pueros sibi commissos, antequam ad solemniorem Communionem admittuntur, ex opere familiae et circumstantium actionibus, fidem perdidisse. R. P. Loew ipse, in novissimo libro, idem sentit quoad operarios in maximis urbibus.

Attamen, impulsu familiae, traditionum, atque consuetudinum in universum diffusarum, vel tantum ob voluntatem sibi comparandi easdem pompas quibus multitudo gaudet, hi iuvenes contendunt ut matrimonium in facie Ecclesiae contrahant sicut nuper Communionem ad altare solemniori modo acceperint.

Ex his multi, ne detrimentum capiant, quaelibet declarare, quaelibet promittere parati sunt, cum ex iure interrogantur. Alii pauciores aperte dicunt se fidem non habere et ad sacra adire impulsu tantum familiae et societatis.

Matrimonium ex iure naturali constituitur, his vero, cum baptizati sint, solum valet matrimonium coram Ecclesia initum. Cur negetur, si proprietatibus essentialibus adsentiuntur et rem sacramenti non excludunt, actu positivo voluntatis?

At si matrimonium sponsis ita dispositis permittitur, alicui simulationi obsequi videtur.

Codex quidem I. C. statuit de fidelibus qui matrimonium contrahere volunt « cum iis qui notorie aut catholicam fidem abiecerunt, etsi ad sectam acatholicam non transierint, aut societatibus ab Ecclesia damnatis adscripti sunt » (can. 1065, § 1), sed nullo loco statuit de sponsis qui ambo catholicam fidem abiecerunt. Atqui multi, heu! in nostris regionibus sunt qui, cum apostatae de iure non sint, tamen de facto extra ecclesiam versantur: coniunctionem cum Ecclesia habent quattuor tantum ritibus baptismi, solemnioris communionis, matrimonii, funerum, qui iis cordi multum sunt magis huius saeculi diligentia quam vitae christianae.

Nonne res opportuna erit, ut haec incommoda eradicentur, can. 751 ad acatholicos de facto extendi sicut can. 765, 2° et 795, 2°, si volumus can. 769 et 797 sane servari, ut magnopere expetimus.

Nonne oportet optare ut Codex I. C. de matrimoniis acatholicorum de facto vel publicorum peccatorum statuat, et can. 1099 § 2 quoque ad eos extendatur, et can. 1065 ac 1066 haec matrimonia severius vetant ut novum etiam impedimentum impediens constituatur.

7. *De pompis in matrimonio et funeribus institutis*

Aetas nostra minus minusque aequam habet omnem in hac re distinctionem, praesertim ex fortunis pendentem. Quam multi sic ab Ecclesia arcentur! Iustum certe est maiorem honorem Ecclesiam tribuere iis qui per totam vitam ei se dederunt. Sed, in ceteris casibus, inopes et divites eadem decentia honorentur. Utinam omnia haec stipendia tollamus, etiamsi pauperiores fiamus!

Dignetur Eminentia vestra impensos aestimationis et reverentiae meae sensus accipere cui fausta quaeque a Domino adprecor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus

✠ Felix Maria Verdet
Episcopus Auxiliaris Nicensis

95

Exc.mi P. D. AEMILII BLANCHET

Episcopi tit. Leriensis

28 octobre 1959

Eminence,

La lettre par laquelle Votre Eminence me demandait d'envoyer toutes remarques qui me paraîtraient utiles en vue de la préparation du futur Concile n'est arrivée ici qu'avec un notable retard et en un temps où diverses obligations m'appelaient hors de Paris et même hors de France, de telle sorte qu'il ne m'a pas été possible d'envoyer plus tôt les notes demandées.

Je prie Votre Eminence de bien vouloir excuser un involontaire retard et de trouver ci-inclus quelques vœux. Le rapport plus étendu qui a été demandé ensuite aux professeurs de l'Institut Catholique est présentement à l'étude et sera envoyé en temps convenable.

Daigne Votre Eminence agréer l'hommage de mon religieux respect et de mon entier dévouement.

✠ Emile Blanchet
Evêque de Lero
Recteur de l'Institut Catholique de Paris

Vota

1. Ut accuratius determinetur, in Ecclesia Christi status Collegii episcoporum, qui, ut successores apostolorum, sunt veri pastores ecclesiae sibi commissae et simul in unione cum Summo Pontifice, Petri successore eiusque primatum in Ecclesia habente, magisterium habent in docendo et in regendo potestatem.

Quae quaestio, vix ab oecumenico Vaticano Concilio mota, adhuc hodie pendet, ita ut theologia Ecclesiae Corporis mystici, ut hierarchia a Christo condita, nondum plene elaboretur, cum de successoribus apostolorum agatur. Maxime optabile est ut illa « iurisdictio episcopalis ordinaria et immediata » de qua Vaticanum Concilium loquitur (Denziger 1838), cum de potestate docendi, cum de auctoritate gubernandi, plenius et perfectius, respectu Summi Pontificis, respectu presbyterii et respectu plebis christianae, determinetur.

2. Ut de traditione apostolica, quae est fons fidei a scriptura distincta et cum scriptura coniuncta, iterum tractetur; a traditionibus particula-

ribus melius appareat distincta. Oecumenica Tridentina Synodus, in sessione IV, quaestiones apertas hac de re nequivit omnes solvere: « Placuit ut reservarentur suo loco et commodiore tempore tractentur », ut dixerunt pontificales legati (Soc. Goerr. V, p. 42; 54).

A Protestantibus modernis traditio adhuc impugnatur et recusatur. Ex altera parte, maximi momenti videtur haec quaestio de traditione quando de orientalibus christianis a Romana sede separatis agitur, cum traditioni antiquae reverentiam exhibeant, nobis de traditionibus particularibus non consentientes.

3. Ut, non solum venerabilibus orientis christiani liturgiis reverentia, semper a Sancta Sede professa, exhibeatur, sed etiam quaedam « apertiores » prudenter et discrete permittantur, ita ut respectus habeatur ad diversitatem ethnicorum usuum, salva in necessariis unitate catholica et abstracto omni « syncretismi » periculo.

4. Ut, in lege orandi populi christiani (v. g. in litaniis sanctorum) amplius manifestetur Catholicitas Ecclesiae, Doctores Ecclesiae graecae cum Doctoribus Ecclesiae latinae invocentur; sanctitas matrimonii, non tantum in viduis, sed etiam in coniugatis agnoscatur (omnes sanctae virgines, *uxores* et viduae, orate pro nobis), etc.

5. Ut in consultoribus et minutantibus congregationum Romanarum ac tribunalium et officiorum Curiae Romanae amplior etiam diversis nationibus locus reservetur, ita ut Catholicis hic appareat quae fulget in corona Collegii EE. ac RR. Cardinalium Sanctae Romanae Ecclesiae.

✠ EMILE BLANCHET
Evêque de Lero
Recteur de l'Institut Catholique de Paris

96

EXC.MI P. D. HENRICI JENNY

Episcopi tit. Lycaonensis, Auxiliaris Cameracensis

Monseigneur Henri Jenny, évêque titulaire de Lycaonie, auxiliaire de Son Exc. Mgr Guerry, archevêque de Cambrai présente ses hommages respectueux à Son Eminence le Cardinal Tardini.

S'excuse de faire parvenir avec un peu de retard sa réponse à la lettre C. I/59 N. 2646 reçue vers le 15 août. Ayant déjà participé à la réponse envoyée par Son Exc. Mgr Guerry, il a pu donner seulement

quelques notes et impressions personnelles au sujet du prochain Concile dont nous espérons de nombreux fruits pour le Règne de Dieu.

Il prie Son Eminence le Cardinal Tardini d'agréer l'expression de son filial respect.

✠ Henri Jenny
Evêque auxil. de Cambrai

I. *De « Ecclesia » et speciatim de « dioecesana » Ecclesia*

1. *De Episcopo.*

Ad pergendum in opere tam utili Concilii Vaticani, de Ecclesia universali et Summo Pontifice, nunc evolvendae et definiendae venirent partes Episcopi, necnon et determinanda amplitudo pastoralis curae cui incumbere debet.

2. *De fidelibus.*

Item exactiori modo partes determinandae laicorum in Ecclesia scilicet id quod proprium habent in re apostolica; definiendae essent « Actio catholica » eiusque diversae formae.

3. *De labore apostolico.*

Magis ita illustraretur huius apostolicae actionis essentia. Melius in memoriam revocaretur necessitas veraque natura « Evangelizationis », ut aiunt, eam distinguendo a praevio labore sic dicto « humanisationis ».

4. *De circumscriptionibus ecclesiasticis.*

Forte, ad utilitatem fidelium et efficacem apostolicam actionem, possent dismembrari vel remembrari, aut generatim necessitatibus novis adaptari, in quibusdam regionibus, diversae dioeceses, ita ut in tuto ponerentur historiae et traditionum rationes, attamen praesertim apostolicae necessitates.

5. *De conciliis provincialibus.*

Optamus permitti concilia provincialia eisque faveri ita ut eorum decisiones, a Sancta Sede approbatae, vi legis potiri possint, imponanturque regionibus aut nationibus, in quibus unitatem pastoralem promoveri interesset.

II. *De Sacra Liturgia*

Quod renovetur sensus *Sacrae Scripturae et Liturgiae* beneficia multa in vitam Ecclesiae inducit.

1. Operae pretium esset magnam in lucem remittere « *Mysterium paschale* » (mortis et Resurrectionis Christi Domini) quod merito adprobatur ut principium primum in Ecclesiae cultu, in Anni Christiani ordi-

natione, in sacris functionibus et festis liturgici officii, demumque in christiana fidelium vita.

2. Forte etiam insistendum esset in *pastoralem* « valorem », ut aiunt, liturgiae, quippe quae collegiorum monasticorum aut sacerdotalis pietatis privilegium non sit, sed totum christianum populum animare debeat et Ecclesiam ad Patrem advehere.

3. Item apparet *Biblia* sacra, uti Dei verbum, in re spirituali et pastorali, temporibus nostris valde accommodata. Biblia enim eiusque authentica interpretatio per praedicationem, liturgiam ipsam integrant, et in coetu christiano praesentari proclamarique debent.

4. Liturgia, quin ullo modo ad inopiam redigatur, denuo tamen *instaurari* debet, ita ut incrementis Ecclesiae et temporum praesertim novitatibus conveniat.

5. Qua *lingua* uti interesset in liturgia, magni momenti specialeque problema ponit.

6. Magni momenti apparet Missa sollemnior, liturgia communitatis, in qua cantus interveniunt actioque sacra collective exercita omnium fidelium.

III. *De relationibus inter naturam et gratiam*

Problema enim magni momenti hodiernis temporibus prae se ferunt relationes inter naturam et supernaturale.

De hac re serpere videmus graves errores; nempe persaepe confunduntur actio temporalis et spiritualis apostolatus, regio propria Ecclesiae ipsaque Nationis vel Status.

Multum interest exacte exponere ubi situm habeat actio Ecclesiae et in memoriam revocare qualis est natura Regni Dei: « Regnum meum non est de hoc mundo » (*Ioh.* XVIII).

Attamen apostolicus Ecclesiae labor homines respicit, qui temporalibus addicti sunt; et intermiscentur terrestribus rebus. Valde igitur utile esset ut sanam « Eschatologiae » theologiam componeremus, cum « rerum terrestrium » sana theologia.

Ita componerentur « temporale et spirituale », « praesentia in mundo necnon et christiana specifica actio », « mundus praesens et mundus venturus », « iura Ecclesiae et iura Status », « Incarnatio et Assumptio ».

Forsitan alicuius momenti esset quod solemniter Concilium profiteretur omnes homines coram Deo aequales esse, supra omnes diversas sociales classes, diversa genera etc. omnesque universim ad salutem vocari.

IV. *Quaestiones diversae*

Forte processus de beatificatione vel canonisatione reformandi ut melior crisis habeatur historica, medicalis et iudiciaria; ita minus obstrueretur martyrologium et veriores valores excolerentur.

Cameraci (in Gallia), 30 oct. 1959.

✠ HENRICUS JENNY
Episcopus tit. Lycaonensis

97

EXC.MI P. D. PETRI BROT
Episcopi tit. Marcianensis

I C/59-2209 Parisiis, die 25 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Ad respondendum desiderio Summi Pontificis a Tua Eminentia Reverendissima expresso, Episcopus tit. Marcianensis, Auxiliaris Parisiensis infrascriptus, humiliter exponit quod sibi videtur maxima cura in praesenti tempore, scilicet « renovationem oboedientiae S. Romanae Ecclesiae praeceptis ».

Nuper Supremus Pontifex Pius XII sacerdotes et fideles admonuit ut periculum vitarent haereseos « Neo-Protestantismi » dictae.

Quoad Doctrinam, quidam enim practice negant Traditionis valorem, se unice referentes ad S. Scripturam libere interpretatam.

Quoad S. Liturgiam, sunt quidam Sacerdotes qui rubricas contemnunt, praesertim in S. Missae celebratione, vernacula lingua abusive utendo.

Notatur etiam quod dicunt « Para-Liturgia » quae saepe, loco Officiorum S. R. Ecclesiae celebratur — sane ad aedificationem et instructionem fidelium —, sed periculose, quia fideles censent pastores potestatem habere regulas mutandi ad normam cuiusque mentis.

Si vera est sententia « Lex orandi, Lex credendi » schismatis et haereseos periculum latet in tali interpretatione.

Immo, transgressio in minimis via est ad transgressionem in maioribus, ut experientia constat.

Placeat RR. Patribus S. Concilii leges edicere ut renovetur spiritus

oboedientiae erga S. Romanam Ecclesiam in animis tam Sacerdotum quam Fidelium.

Sacram Purpuram osculans,

Eminentiae Tuae Reverendissimae
Humillimus Servus

✠ PETRUS BROT
Episcopus Marcianensis, Auxil. Parisiensis

98

EXC.MI P. D. ALAPHRIDI ANCEL
Episcopi tit. Myrinensis, Auxiliaris Lugdunensis

Prot. I C/59-2237 27 août 1959

Eminence Révérendissime,

J'ai l'honneur de vous envoyer sous ce pli le texte de la réponse que j'envoie à la Commission antepréparatoire pour le futur Concile œcuménique.

Je vous prie d'agréer, Eminence, l'expression des sentiments avec lesquels j'ai l'honneur d'être, de Votre Eminence,

✠ ALAPHRIDUS ANCEL
Episcopus Aux. Lugdunensis

I

QUAESTIONES QUAE AD DOCTRINAM ATTINENT

Omnia dicturi sumus quae in scriptis Apostolicae Sedis legi possunt. Utile tamen videtur, ad bonum Ecclesiae persequendum, a Concilio oecumenico, problemata nonnulla, quae multis de causis, nostra aetate, in homines impendent, examinari et pervolutari.

I. *Summa capita doctrinae christianae in mentem revocemus, de quibus nonnulli plus minusve, tum in doctrina exponenda tum in vita sociali vel individuali peragenda, false opinantur.*

1. *Sensus Dei et rerum spiritualium vel aeternarum aestimatio*: Vitemus ne contenti simus nos tantummodo doctrinas materialisticas, Deum

et res spirituales ac aeternas negantes (Marxismum, Existentialismum atheum, Laicismum) pugnavisse; sed etiam operam demus ut consideremus materialismum practicum, quo plurimi christiani imbuuntur.

Qui enim speculativo modo Deum existere, animam et vitam aeternam esse affirmant, re, tamen, debitum honorem Deo negant. Nam anima eorum acriter ad terram tendit et ad ea quae ad terram pertinent: divitias, voluptates, imperium politicum et oeconomicum. Ex quo omnibus clare patet hodiernis temporibus hoc longe lateque dominari: hominem et res terrae in locum Dei et rerum spiritualium successisse.

Ac saepe accidit ut hi christiani sibi falsas imagines de suo ipsorum statu fingant, vel quia diu atque acriter in re publica (sur un plan politique) communismum atheum pugnant, vel quia religionem suam saltem exteriore modo et rite (d'une manière formale) serviant, vel etiam quia eleemosynam facile et liberaliter erogant.

2. *Sensus peccati et Redemptionis*: doctrina rationalistica et naturalistica ipsos christianos nostrae aetatis maximis malis afficiunt. Nam hodie plurimi, miseria, dolore, moribus corruptis, bello, iniuria publica oppressi, scientia progrediente, arte crescente vel structura rei publicae et oeconomicae permutante, confidunt.

Qui vero affirmant absolute culpam originalem existere, sed tamen tali modo explicant ut verus sensus evanescat. Quod vero ad peccata personalia pertinet, sic opinantur vel se peccata negare debere ut, quod a natura directe procedit, facile excusetur ac arbitrio Ecclesiae quod reapse est ipsa lex naturae, attribuatur; vel se illos qui peccata faciunt excusare debere, dicentes illos vi et instinctu, vel compressione hominum societatis coerceri et impelli.

Quo fit ut Redemptionis, Sancti Sacrificii, Orationis atque Sacramentorum notionem intelligere non possint. Quin immo illos fugit munus sui abnegationis ac satisfactionis sensus. Hi etiam, dum in lucem Resurrectionem proferunt, Passionem Christi neglegunt, praeceptumque Evangelii de necessitate Crucis portandae despiciunt atque minuunt.

3. *Sensus Ecclesiae*: in tribus, ut videtur, erroribus, de Ecclesiae sensu, est insistendum.

1) Regiminibus popularibus moventibus, quidam obsequium in rectorum ordinem (autorité) perdiderunt. Illi ipsi qui auctoritati oboediunt nonnumquam a recta ratione oboedientiae deficiunt; quae aut mere exterior, aut mere passive exercetur, nec est per fidem adhaesio Christo, qui per Summum Pontificem Episcopos docet et gubernat.

2) Doctrinis de genere, natione et classe exagitati, nonnulli vero sensu unitatis Ecclesiae, hominum soliditatis ac primariae inter homines aequalitatis carent.

3) Sunt denique alii qui motibus (tendance), qui oecumenici dicuntur, ita favent ut verum sensum Ecclesiae visibilitatis eiusque genuinae unitatis amiserunt. Nam sperant se ita aucturos esse unitatem omnium christianorum, et cum auctoritas innumera praecepta edidisset, continuam tamen distinctionem faciunt inter Ecclesiam, Corpus Christi, et Ecclesiam catholicam romanam. Eodem modo seiungunt Ecclesiam invisibilem, cuius membra sunt omnes homines bonae voluntatis vel etiam baptismo carentes, ab Ecclesia visibili vel in societate redacta.

II. *Exponuntur nonnulla doctrinae capita quae, ut videtur, maxime hodiernis temporibus urgent et exagitant.*

1. *Episcopus*: ut Concilium Vaticanum doctrinam catholicam de Summo Pontifice tam clare illuminavit, ita auspicabile est proximum Concilium oecumenicum lucide illuminaturum esse quae sit catholica doctrina de Episcopo: de eius potestate in sua dioecesi ex Summo Pontifice pendentis, et de officio (responsabilité) eius omniumque Antistitum ex Summo Pontifice pendentium, ac cum Summo Pontifice coniunctorum, ad universo mundo doctrinam Christi praedicandam.

2. *Laici*: magis magisque invitentur laici ut muneribus praecipuis in Ecclesia fungantur. Utile videtur Concilium: originem, extensionem, fines munerum quae laicis tradi possint, modum in muneribus exercendis una cum dependentia ab auctoritate in eo quod ad disciplinam et ad actionem apostolicam pertinet, partem in cultu liturgico, determinare.

III. *Proponuntur methodi quae problemata coetaneos exagitantia solvant, ac doctrinam Ecclesiae illis tradant.*

Errores qui in mentes fidelium permanant non sunt a mala voluntate vel a defectu oboedientiae Ecclesiae. Sunt enim plerumque tribuendi doctrinis non-catholicis vel discriminibus (situations) quae gravia problemata ponunt. Nobis igitur satis non sit errores ipsos damnare, sed eorum origo est investiganda et problemata quae hos errores causaverunt sunt solvenda. Ita gradatim fit in Ecclesia Dei doctrinae purificatio. Sed diversa disputantur de methodo:

1. *Methodus positiva magis quam negativa*: ut homines nostri aevi lucem Christi videant, satis non est tenebras dissipare quae luci sunt impedimento: facilius lux tenebras fugat. Praebeamus ergo positivo modo Ecclesiae doctrinam. Sed cum diabolus se in angelum lucis mutet, falsas luces ostendere debemus, quae reapse tantummodo tenebrae sunt.

2. *Accommodatio in fidelitate* (*adaptation dans la fidélité*): qui docet, duo contraria vitare debet:

Ne profundius mente et cogitatione doctrinam Ecclesiae separet (ne pas considerer la doctrine de l'Eglise d'une manière trop abstraite) ac si, ut ita dicam, a temporibus seiungatur. Hoc modo purissima erit certe doctrina: non dabit tamen solutionem problematibus concretis in unaquaque vitae tempestate.

Sed caveamus etiam ne in contrarium incidamus, ne tempestatibus et problematibus hominum nostrae aetatis nimis indulgentes, fidelitatem negligamus quam Christo debemus.

Heu, finxerunt sibi quidam theologiam quandam situationis qua audientibus placerent ac eos ardore quodam incenderent. Sed non sufficit delectabilia dicere si veritatem dicamus.

Aliquando fit ut accommodationis sollicitudo ad propositiones inducat non plane haereticas, ad haeresim tamen proximas; vel etiam sollicitudine accommodationis moti, aliquas partes doctrinae celamus, vel singulis doctrinae partibus pondus debitum negamus. Ita loqui possumus de Christi Resurrectione cum notitia Passionis, nec tamen in loco suo Passionem ponere.

Sed brevi ita concludamus:

Problematibus concretis nostrae aetatis moti, quaeramus in origine genuina nostrae revelationis responsionem certam, quae sit doctrinae Ecclesiae consentanea et facile comprehensibilis.

3. *Verba* (*vocabulaire*) *et methodus*: hic quoque debet magister contraria vitare: qui docet utitur aliquando, per causam verbis theologicis fidelitatis, verbis incognitis vel in nostra lingua ambiguis; ac etiam per causam methodo theologico fidelitatis, premit audientes ratione ac via (avec une méthode) omnino nova atque extranea.

Sed contra fit aliquando ut, magister qui melius intelligatur omittit sententias ipsas conciliorum vel propositiones in more positas (consacrées par l'usage) vel cogitata sumit quae omnino deficiunt in doctrina revelata praedicanda. Quod videmus quum methodo positivistico vel mere phenomenologico servimus.

Una videtur solutio: per gradus doctrinam explicemus: initio verba et ingenia eorum qui audiunt sequamur; deinde longiore via est gradatim progrediendum. Ceterum si quidem doctrinam vivimus, nec tantum cognoscimus, clare patet tantas res et veritates existere quae solum praecipuis verbis illustrari possint, immo etiam sola methodus propria restrictam facit enunciationem harum rerum et veritatum.

Soli Ecclesiastici qui, ut debent, principia, methodum et doctrinam Sancti Thomae sumpserunt, in promptu habent facutaltem quamdam talis progredientis enunciationis qua gradatim totam et integram Ecclesiae doctrinam praebeant ac, omni ratione, errorem vitent.

II

Ea quae ad disciplinam attinent

In hac parte nostri breviarii (rapport) consilia suggerimus quae a condicionibus propriis Galliae oriuntur. Ad aures nostras tamen pervenit in similibus difficultatibus et alias nationes versari.

I. *Dioeceseon temperatio*:

1. *Provinciae ecclesiasticae*: duo optamus:

1) Potestate ordinaria Episcopi in suam dioecesim, a Deo data, stante, cur metropolitanis maior potestas negatur, qua vitam pastoralem omnium suae provinciae dioeceseon ad unitatem redigant?

2) Optanda est etiam nova ecclesiasticarum provinciarum dispositio et divisio cum vita pastorali magis consentanea: videmus enim constitutionem aliquarum provinciarum penitus inhaerere in causis historicis, quae cum temporibus praeteritis optime essent, hodie tamen in nihilum reducuntur.

2. *Dioeceses minimae et maximae*: omnibus constat aliquando quasdam dioeceses exiguiores esse quam ut necessitates ecclesiasticorum et fidelium sufficienter expleantur. Utile videtur forsitan, plures dioeceses recolligi posse, Episcopis auxiliariis in antiquis sedibus episcopalibus, saltem aliquot annis, relictis.

Fit etiam ut quaedam dioeceses maius pondus ferant ex terrae latitudine vel ex incolarum numero, quam ut singulus Episcopus, etsi unus vel duo Episcopi auxiliarii adiungantur, munus suum sufficienter exercere possit.

Aliquando dioeceses dividuntur: quod plerumque ad solvendum hoc problema sumimus. Sed aliquando haec solutio multis de causis fieri non potest vel gravissimas consequentias secum fert.

Tunc, hoc consilium damus:

Episcopum principem plures Episcopi auxiliarii adiuvent, qui satis non habeant ei in suo officio subsidio venire, sed ab ipso pendentes delegationem recipiant, qua veram potestatem in partem quandam dioeceseos exercere possint: sedem ad domicilium habere, paroecias visitare, potestate episcopali fungi ex delegatione recepta.

3. *Distributio sacerdotum in gremio dioeceseos*: Saepissime sacerdotes sunt in ipsa dioecesi male dispositi.

Aliquando sacerdotes officio parvarum parochiarum innumeri funguntur, dum sacerdotes desunt praecipuis urbium parochiis, spirituali

Liceorum, Collegiorum, aliarum scholarum disciplinae, sodalitiis Actionis Catholicae eorumque muneribus.

Si Concilium praescripta de aequiore modo sacerdotibus distribuendis profert, facilius Episcopi impendentes emendationes in sua dioecesi efficient.

Nam hae emendationes, quarum praecipua est plurium parochiarum ruralium in unam principaliorem conglobatio, oppositionem habent in populo et in ipso clero. Concilium facultatem Episcopis facilius difficultatis superandae, praebere potest.

4. *Episcopatus temperatio* (*organisation*) *cum vita universae nationis congruens* (*sur un plan national*) *et a Sancta Sede pendens*: difficultates usque adhuc insolutae se praebent.

Quod ad doctrinam attinet: Episcopus non amplius doctrinam docere solus, ut debet, valet. Aliquando est ab amplitudine difficultatum praepositarum oppressus ita ut facultate eas examinandi careat vel aliis peritis atque doctoribus tradere nequeat.

Aliquando contagio (influence) quarumdam doctrinarum vel communis opinionis non oritur a sua dioecesi.

Denique, si solus est, in condicionibus temporum vel locorum, minuitur virtus Episcopi imperantis.

Quod ad vitam pastoralem attinet: saepe tempori cedimus et partes publicas (mouvements nationaux) amplectimur. Operam sane dedimus ut hae partes cum Episcopatu adiungerentur: sed fit etiam ut sacerdotes qui totius nationis animas moderantur multo plus apud quosdam Ecclesiasticos et laicos quam ipse Episcopus valeant.

Ex quo videtur non recta esse sacerdotum distributio: nonnullae enim dioeceses saltem per quoddam tempus, perdurare valent, dum aliae maxima carentia dolent.

Utile est igitur ubique Episcopatus temperationem magis colere: iam quidem in multis locis concilia generalia vel partialia notantur: procurationes (commissions) commissae sunt: temperatio tamen hodierna insufficiens apparet.

Nemo dubitat quin Sanctam Sedem interrogare possimus: sed Summus Pontifex usurpare non vult quod ad Fratres suos in Episcopatu pertinet. Fit enim aliquando ut iussa S. Sedis non recte interpretentur: quae inutilia forsitan fuissent si Episcopi realem facultatem habuissent, una simul, regendi ad doctrinam elucidandam et vitam moderandam.

Sed contra periculosum est scholas theologicas vel pastorales sese clero et christianis praebere ut genuinos magistros cogitandi refellendique ac recte agendi.

Optamus ergo Episcopatus temperationem cum universae vita natio-

nis congruentem: quod fieri non potest nisi a S. Sede, a qua pendeat, sit instituta. Perdifficile videtur futura praedicere: nobis in animo est aliquod suggerere.

Nihil impedit quominus in unaquaque natione procurationes (commissions) creentur ab omnibus nationis Episcopis compositae, quae, cum errores funestos damnent, tum solutiones veras difficultatum e doctrina Ecclesiae eliciant. Bonum est legatum S. Sedis his collegiis interesse ut clare appareat quanta cura sit S. Sedis, ac lucem et vim, si necesse videtur, ferat.

Est etiam simul optabile unum ex membris huius collegii totum collegium apud S. Officium repraesentare, quo rectiore via uniuscuiusque nationis difficultates S. Sedi communicari possint.

Est aliquid simile in vita pastorali? Semper tamen temperatio Episcopatus congruens cum vita omnium civium, quam plurimum urgens videtur.

5. *Necessitudines* (*rapports*) *Episcoporum cum S. Sede:* Nos optamus:

1) S. Apostolica Sedes, quasdam immunitates semper elargit: cur Episcopi has concedere non possunt, si sexto quoque anno, occasione data, rem denuntient?

2) Cum aliquid ad S. Sedem delatum est, cur semper Episcopus a quo reus regitur, de re non consulitur? Cur, per Episcopum antequam poena detur, reum non interrogamus ut notum faciat qua via pro se dicere possit?

3) Utile est diversas dioeceses (una cum Institutis Religiosis iuris Pontificalis) praebere possint S. Sedi illos quibus eget adiutores, ad Ecclesiam universalem regendam. Certo quidem grato animo fruimur italicum clerum primas partes quantum ad hoc habuisse: sed forsitan tempus veniet in quo adiutores Summi Pontificis ex universa Ecclesia eligantur. Quod fit gradatim, cum homines doctrinam, simul atque sanctitatem prudentiamque ostenderint.

II. *Clerus saecularis et diaconatus.*

Nonnullae difficultates emendationem in gremio cleri saecularis desiderant. Condicio sacerdotum saecularium magis magisque in difficultatem se vertit: plurimi, segregati, viventes in populo a Christo avulso periclitantur sana doctrina a materialismo praesenti: huc accedit ut sint magis magisque muneribus onerati nec satis inter se coniuncti et ordinati, ad suam cuiusque spiritualem vitam, ope aliorum, sustentandam. Nemo dubitat quin sacerdos, praeceptis Ecclesiae confidens ab illis et a sua vita sacerdotali optatum auxilium trahere possit. Sed plurimi fatentur se fideles non esse quia sufficienti auxilio carent: quo fit ut alius sit debili-

tatus atque abrectus; alius, nimis motui indulgens, vitam interiorem obtegat; alius, heu, suam dignitatem prodat.

E contra atque simul, praesertim proximis annis elapsis, plurimi ad perfectiorem vitam tendere volunt, consilia Evangelii sanctiore modo sequi nec a clero saeculari se seiungere. Optandum est igitur concilium operam dare ut nunc compleatur quod iam concilium tridentinum fecerat pro Clero saeculari: tum firmavit sacerdotes educando Seminarii alumnos, nunc Concilium ministris Ecclesiae auxilium praebeat, quod desiderant, ad illud quod est optimum, in sua cuiusque vita sacerdotali persequendum.

Praeter alia, haec nos proponimus:

1. *Eligantur moderatores spiritus in clero*: necesse est plures moderatores spiritus in unaquaque dioecesi poni, qui agant nomine Episcopi quorum sacerdotes, primis praesertim annis, auxilio utantur.

2. *Cooptatio* (*regroupement*) *sacerdotum*: Cur sacerdotes segregatos ad se congregandos fortiter non excitamus? Non desunt difficultates, sed omnium gravissima est socordia (abroutissement) sacerdotis inter gentes animo paganas segregati.

3. *Sacerdotes sese uniant et ordinent ad Apostolatum faciendum*: Usus docet clerum maiore zelo ardere ubi plures uniuntur atque ordinantur ad Apostolatum faciendum. Quod si a Spiritu Dei dirigatur, praebet Sacerdoti novas necessitates vitae spiritualis acrius excolendae.

Concilio adiuvante, conamina eorum qui Apostolatum individualem proponunt facilius propulsabimus.

4. *Vita evangelica in clero saeculari*: consilia evangelica, ut patet, non sunt sacerdotibus ex sacerdotio imponenda. Nihilominus, hodiernis tempestatibus, Summi Pontifices non tantum perfectam castitatem, sed etiam paupertatem aliasque virtutes evangelicas diligentissime commendaverunt (Enc. *Nostri Sacerdotii*).

Aliqui timent ne scissio in clero efficiatur, frigidioresque in contemptum aliis veniant. Caveamus ergo pericula.

Sed hoc laudabile est: Concilium animos confirmet eorum qui ad altiorem perfectionem tendunt, ac difficultates periculosas removeat.

Iterum haec vita cleri saecularis magis evangelica privatim vel per sacerdotum collegia perfici potest.

Hic etiam opus est a Concilio rem pervolutari, ac quod iam SS. Papa Ioannes XXIII de sacerdotum associationibus, iterum repetatur et confirmetur.

5. Diaconi sint auxilio sacerdotibus saecularibus: bonum videtur eos excitari qui recta ratione ac virtutibus praediti diaconatum adire desiderent, ut Deo serviant in sua Ecclesia, quamvis diversis de causis

numquam sacerdotes fiant. Quod fieri possit et illis qui uxorem duxerunt.

III. *Problemata de statu perfectionis*: ex his problematibus nonnulla sunt a Concilio attentiore animo consideranda.

1. *Immunitas sacerdotum religiosorum*: hoc problema est funditus considerandum: clare determinentur regulae immunitatis ex Ecclesiae necessitatibus. Immunitas potest forsitan concludi (être limitée) in vita quam in sua ipsius domo vivit, ita ut ab Episcopo tota vita externa regatur, nisi forte beneficio praecipuo fruatur.

Hoc vero non solum fundationem (fondation), sed etiam ipsum modum agendi pervadere debet. Ceterum, Episcopi operam dent ut necessitates vitae religiosae ac simul forma peculiaris et sigillum omnis operis apostolici, respectetur.

2. Vocationes fratrum: defectu vocationum sacerdotalium moti, facile ad sacerdotium excitamus omnes qui, cum apti essent, se Deo vovere volunt. Bonum videtur excellentiam vitae religiosae sine sacerdotio praedicare, quod in religione laica, vel in religione clericali cum fratribus, fieri potest.

Particulari modo, quidam se Deo vovere per apostolatum funditus desiderant, nec ad vitam sacerdotalem se aptos vident. Ardore pulsi, Evangelium universo nostro mundo portare volunt, quod facere desiderant per suam praesentiam in ipso mundo, per exemplum, et, ubi accidit, per verba. Hoc vero ut frater, non ut sacerdos facere potest.

Utile est in Institutis clericalibus, sacerdotes dividi a laicis tantummodo in eo quod attinet ad officia vitae sacerdotalis, et non ad vitam socialem, nec ad iura, nec ad officia erga alios.

3. *Instituta saecularia*: examinanti instituta nostra saecularia, diversitates peculiares clare apparent, ex quibus illa in duos ordines dividere possumus:

nonnulla instituta saecularia quorum membra vel sacerdotes sunt vel ut tales considerantur (ratione signi proprii, vitae communis, operae vel actionis receptae) specialissimo modo Ecclesiam testantur. Haec instituta saecularia proxima sunt Societatibus religiosis proprie dictis.

Unum ab alio tamen distinguitur cum aliud magis in mundo copuletur ut profundius apostolatum exerceat. Sunt sane *saecularia,* sed etiam speciali modo *ecclesiastica* appellari possunt.

Ceterum nonnulla instituta saecularia membris componuntur quae in mundo ut alii homines laici vitam et artem exercent, ita ut de eorum statu religioso omnes alii celentur.

Membra ergo huius instituti revera laici existimantur: ac tamen sunt

laici Deo dicati qui in ipsis humanis muneribus apostolatum appetunt. Ex quo facultas illis datur in rebus humanis sese dirigendi, ad rem publicam facile accedendi, cum actio humana ad Ecclesiam non pertineat. Praeterea nihil impedit quominus in Actione Catholica proelientur. Haec instituta sunt ergo speciali modo instituta saecularia laica.

Cur, quod in re est (dissimilitudo duorum institutorum) iure non comprobatur ut, uterque pro sua ratione, in ordinem cogatur ac praesertim necessitudines (relations) cum Episcopo, munera humana ac pars in Actione Catholica, constituantur?

IV. *Liturgia.* Duo proponimus:

1. *Sint fideles S. Liturgiae participes*: utile est a Concilio sacerdotes moveri ad participationem activam sanctae liturgiae, duce Ecclesia, praedicandam.

Sacerdotes moveri possunt ut sensu vitae liturgicae utantur in consiliis vel explicationibus dandis. Odiosum est enim nonnullos sacerdotes a moribus modernis ductos, liturgiae antropomorphicae favere cum ad Deum cui soli omnis honor et gloria debetur, sit tota dirigenda.

Hoc quoque sacerdotibus Concilium memorari potest illos qui, conscii, a lege S. Ecclesiae de Liturgia discedant, non tantum culpam oboedientiae Ecclesiae committere, sed etiam virtutem (caractère) liturgicam funditus evellere: nam haec actio a privato ardore oritur: nec ad cultum publicum Ecclesiae pertinet.

Denique si leges Ecclesiae negligimus, de iniustitia in fideles accusari possumus, cum virtute propria orationi publicae careant, aptioris cibi praebendi specie.

2. *Lingua vernacula*: nolumus linguam latinam pro lingua vernacula complete substituere. Praesertim, bonum est Concilium excitare ad linguam latinam servandam in Sacramentis administrandis et in S. Missa celebranda.

Praeterea sunt fideles et sacerdotes monendi optimum esse quosdam cantus ac orationes lingua latina coli ut universitas gentium Romae, Fatimae, Lourdes, vel in multis aliis urbibus una lingua Deum adoret.

Sed vita pastorali et necessitatibus realibus plurium nationum pulsi, cur non damus potestatem, iam aliquibus a S. Sede concessam, maiori numero fidelium vernaculae linguae adhibendae?

1) Nobis bonum videtur celebrantem lingua vernacula in prima parte S. Missae (saltem in Missa simplici) usque ad offertorium uti, ut sacerdos ipse canere vel dicere possit lingua vernacula diversas orationes vel lectiones.

2) Quod attinet ad rituale: possumusne lingua vernacula uti, formulis Sacramentorum exceptis?

Praeter omnia optimum videtur lingua vernacula uti in orationibus et canticis pro defunctis: accidit ut tantummodo hac occasione homines ignavi vel etiam infideles Ecclesiam adeant. Lingua vernacula esset bona ac praeclara illis occasio verba Evangelii apte recipiendi.

3) Si usus linguae vernaculae in Missa solemni (usque ad offertorium) non elargitur, possuntne fideles in lingua vernacula cantare dummodo in unaquaque paroecia certae Missae cum cantu latino celebrentur (ut attestetur unitas quam memoravimus)?

3. *Liber pontificalis*: aliquando liber pontificalis evadit a temporibus modernis. V. g.: ritus Ecclesiae consecrandae.

Bonum videtur illum expoliri.

4. *Breviarium*: utile videtur breviarium rursus formari ex hodiernis difficultatibus:

1) quod ad tempus attinet: ne unam horam, si licet, transeat;

2) quod ad structuram (composition) attinet: potest psalterium ita disponi ut, quindecim vel triginta diebus, integrum legatur. Sed necesse est lectiones biblicas augeri;

3) quod ad linguam attinet: facere non possumus quin videamus reapse multos seminaristas linguam et humanitatem latinam ignorare, quamvis a S. Sede summopere excitatos. Lingua latina est illis vera lingua mortua. Cogitata et verba latina habere non possunt: quo fit ut latine orare non possint.

Cur lingua vernacula non utitur, vel Episcopis non datur facultas huius immunitatis concedendae?

Hoc quoque proponimus: libri breviarii imprimantur duplici versione: vernacula et latina, saltem psalmorum, ut iterum ad latinam redeamus cum per linguam vernaculam sensu genuino verborum inhibiti erimus.

Usus docet ut aliqui sacerdotes lectionem breviarii omittant a fastidio lectionis moti in qua nullum inveniant fulcimen. Quod odiosum est, ac totis viribus est repellendum. Sed ita est.

5. *Liturgia in terra missionum*: Quaeritur num liturgia terris infidelium applicari possit, ut Ss. Cyrillus et Methodius in breviario, monent. Omnibus constat illos qui cultum et humanitatem (civilisation) nostram omnino ignorant, liturgiam nostram latinam difficile comprehendere. Praeterea: nostra liturgia inducit illos sese in religione catholica ut extraneos, in sua ipsorum regione, considerare.

Forsitan praecepta S. Sedis sequemur si liturgiam quandam in terris accommodatam praedicabimus.

Non est qui non videat hic maximam prudentiam urgere, quia virtus ipsa Sacramentorum et S. Missae periclitatur.

Praeterea: ne cultui singularium nationum nimis faveamus ac super omnia debet unitas Ecclesiae vivide lucere.

His positis, difficultas adest: gravis est. Sed si Concilium aurem suam praebet, conversio populorum facilius progredietur.

III

De his quae ad curam pastoralem pertinent

I. *Spiritualis renovatio in sinu Ecclesiae*: semper sancta est Ecclesia; at eodem tempore docuit Paulus Apostolus Christum semetipsum tradidisse quo sanctior beatiorque redderetur Ecclesia, quae plane livore carens, honora ei esset et decora.

Pastorale ergo munus non constare dicimus tantum ex religionis usu atque rationis conservatione (per S. Missam et Sacramenta) sive ex quadam bonis operibus singularium morum vel domesticorum correctione, sed praesertim ex fidelium ductu in vias sanctitatis quam Dominus Iesus vult a suis membris possessam.

Hodie, magis quam numquam alias, pastores (Episcopi et Sacerdotes) evangelizare debent moribus et verbis. Si Concilium evangelica examinabit praecepta quae plane continentur in amore erga Deum et proximum, superaddita theologalium virtutum exercitatione, rem saluberrimam afferret. Manifestius enim altus apparebit sensus magni pretii evangelicarum virtutum quae, etsi maxime necessariae, ab homine profligatae sunt; quae sunt: paupertas et humilitas, mansuetudo et innocentia, sui derelictio et malis voluptatibus renunciatio, bonum fratrum sui ipsius dono.

Optime quoque Concilium faciet, si quod Dominus Iesus et Apostoli de Unitate tradiderunt, in memoriam revocabit.

Una quidem est Ecclesia et cotidie Dominum rogamus qui unificet eam. Quod pessimum exemplum prodit et familiae et societatis et nationum discidium! Quod si in Ecclesia sancta Dei sanctiores et uni essemus nonne facilius ad unitatem sanctam reducti erunt et fratres seiuncti? Lex est ista prima qua Ecclesia evangelizandarum gentium officium adimplere possit et iterum ostendet Christum illis qui etiam eius memoriam perdiderunt; hoc modo magistra omnibus gentibus assidebit.

II. *Quaestio quae stricte ad missionis terras pertinet*: Encyclica *Fidei donum* conscientiam rei missionariae summopere auxit. Utique, officium adimplendum est immensum.

1. *Officium* (*signification de la responsabilité*) *hominis missionarii*: aliis satis est orationi tantum et eleemosynis vacare. Nos autem credimus officium illud difficilius. Omne enim officium dura fert onera.

1) Vocatio hominis missionarii: multiplicandae sunt in dioecesibus vocationes sacerdotum, fratrum, sororum et laicorum missionariorum. Quod solummodo ex animi anxietate et inquietudine missionaria deducitur.

2) Annuant Christi fideles deminutioni in dioecesibus sacerdotum qui segregati sint propter Evangelium.

3) Opitulemur homini missionario: quod est facilius in Congregationibus vel Societatibus missionariis; at magis necessarium est sacerdotibus saecularibus et laicis qui per aliquod tempus in alias terras missi sunt. Omnibus rationibus sunt a nobis adiuvandi.

2. *Obsequium cultui et humanitati* (*civilisation*) *et clerus indigenus*: Utile erit a Concilio praecepta apostolicae Sedis de hoc pertractari. Utique opera danda est.

Optima erit sacerdotum permutatio ut clerus a terra missionis ortus apud nos facultatem inveniat sui excolendi ac unitatis Ecclesiae testandae.

3. *Pauperibus evangelizatio*: curavit semper S. Ecclesia pauperes in terris missionis; sed aliquando cum necesse fuisset compellere delectos tantum viros propter sacerdotum raritatem, pauperes neglecti fuerunt. Nunc quidem negligendi prorsus non sunt delecti viri quorum auctoritas tantum valet. At Concilium in memoriam missionarii revocabit Christi esse signum evangelizationem in terris infidelibus.

His freti qui a Domino vocati sunt ad ministerium pauperum omnino se praestabunt. De cetero, hodierna mens et in terris missionum adversatur graviori tutelae (paternalisme). Pauperibus evangelizare non est meliorem civitatis statum creare ad obtinendas beneficii gratiae conversiones plus minusve authenticas, sed potissimum ita operam dare ut homo cum pauperibus vivat, patiatur, moriatur, sicut Christus qui hominibus serviit ac pro illis vitam tradidit.

III. *Evangelizentur qui et memoriam Christi perdiderunt*: quaestio est de nationibus quae *funditus* Christum oblitae sunt. Nam non omnibus pares sunt Christi amissiones gradus. Hi dividi possunt:

gradus negativus qui constat ex deminutione religionis sensus et scientiae nec non bonorum morum et ex amissione crescente christiani

sensus, et gradus positivus qui melius appellatur paganitas nova (néopaganisme) quia constat ex ortu novae mentis (mentalité); quam diceres novam vitae humanitatem omnino externam immo etiam inimicam christianae conscientiae. Hoc est Christum funditus amittere.

1. *Omnes conscii sint de totali Christi amissione*: saluberrimum erit si hoc Concilium pervolutabit. Nam plurimi Sacerdotes, ut facile apparet, solum negativum gradum vident: qui gravissimus sane est, sed alia ratione corrigitur.

Amissionem Christi positivam ex hoc arguimus: Ecclesiam excludi ab hominibus qui tali menti (mentalité) indulserunt se in vita et in mundo nulla re indigere: putant se sufficientes et omnipotentes esse. Maximae difficultates hanc conscientiam pugnant:

1) Doctrina christiana et mens (mentalité) quaedam superest una cum nova mente et humanitate perdurante et crescente.

2) Philosophiae cultores quidam hanc novam mentem et humanitatem (nouvelle mentalité et civilisation), quamvis non sint ex necessitate veri, illustrant et interpretantur.

3) Nulla est amplius doctrina quae cleros directe pugnet; tamen haud minima religionis indifferentia quasi complete successit.

Primam difficultatem consideranti doctrina et mens christiana facile inducet amissionem Christi nihil grave esse cum non totalis esset. Secundam quidem difficultatem intuenti periculum adest aequandi mentem (mentalité) socialem cum doctrina philosophica quae hanc mentem interpretatur ita ut ista mens condemnetur cum reapse esset philosophia rea. Tertiam difficultatem examinanti religio tam longinqua videtur ut ne quidem sit digna quae pugnetur.

2. *Necessitas perspiciendi novissimas vitae animas et cultus* (*formes des civilisations*): et de hoc optima erunt Concilii praecepta.

Nam alii Christi fideles plane inconscii de hac difficultate sunt, alii vero facile contenti sunt si errores modernos satis pugnaverint.

Omnia haec pertractanda sunt, ut iam Pius XII de cultu technicae fecit, ut elementa quae hominibus sunt pretio agnoscantur, ac illis lux christiana afferatur. Pari modo sunt elementa falsa removenda ut nova mens hominum ab omni re, legi divinae repugnanti, purgetur.

3. *Quomodo Christi fideles adesse debeant his nostris novis culturis*: Si Christifideles in suam vitam se confugiunt, ubi nonnulla, quamvis minoris ponderis, elementa obsoleta non desunt, ibique consistunt, externi erunt mundo nec eum salvare possunt. Una cum auctoritate debent Sacerdotes et laici, suo quisque loco ac in muneribus suis, in mundum intrare ut ei Christum darent.

Licet sit opus inceptum, tamen impulsiones recentiores sunt necessariae. Concilium multa in hoc sensu facere potest.

Admonendi sunt ii quibus satis est negativum gradum amissionis Christi in unaquaque forma pugnare, nova mente ipsos religionis cultores permeari. Sed ultra procedamus: hodie alumni ipsi Seminarii vel novitati sunt ab illa exitiali mente affecti: quod memoria tenere debemus cum volumus illos adiuvare ad vocationem propriam perficiendam.

4. *Sacerdotes et novae vitae cultus*: Sacerdotes qui potissimum Evangelium docent illos qui recte novissime pagani appellantur, etsi baptizati sint et quodam lumine fidei gaudeant, attentissimis studiis vacare debent. Facile enim in errorem verti potest.

At formatio quidem haec praecipua sufficere non potest. Facultas eis est danda semper doctrinae acriore modo perscrutandae, ac vitae spiritualis firmandae. Insuper consiliis, et breviariis (rapports) ad auctoritatem omnia nova deferenda sunt quae a sacerdotibus vel a laicis, qui adsunt, reperta fuerint.

Occasione data, cum sacerdotes illos qui plane Ecclesiae externi sunt, conveniunt, perutile erit se veste saeculari indui posse. Monendi sunt tamen ut perfectiore vita sacerdotali absentiam tunicae talaris suppleant. Christum hominibus nostri aevi afferent tantum quantum et ipsi alteri Christi erunt: nam Christus solus est mundi Redemptor.

IV. *Ecclesia et problema sociale.*

Post Vaticanum Concilium socialis Ecclesiae doctrina multum progressa est. Optandum est a Concilio summa et praecipua capita illustrari.

Praeterea nobis liceat christianis seiunctis vel etiam infidelibus auxilium poscere, qui forsitan magno gaudio, sua cuiusque ope, operi Ecclesiae favere possunt ad genuinam legem iuris naturalis et civilis praedicandam.

Consociatio ista in iure naturali defendendo, universo mundo exemplum et documentum insigne est unius ex pluribus Ecclesiae aspectus, et eius expansionis in mundo.

Doctrinam socialem Ecclesiae de bono communi lucide illustremus. In hac doctrina quodammodo omnia haerent: ius et officium individui in societatem et societatis in individuum, officium auctoritatis una cum oboedientiae necessitate ac totalitarismi exclusione.

Hoc modo doctrinam Ecclesiae de familia in mentem revocemus cum nobis maxime urgeret.

Porrigenda denique erunt praecepta Ecclesiae de artium et professionum structura (organisation professionnelle). Haec una erit solutio

illis qui oeconomiam liberalistarum, vel funestissimam Caroli Marx ac Lenin doctrinam removere volunt.

V. *Ecclesia et problema internationale.*

Doctrina Ecclesiae de hoc praeceptis abundat: tamen ab omnibus ignorantur. Si Concilium talem doctrinam proposuerit, hoc maximo erit nobis emolumento. Duo tamen sunt potissime consideranda:

1. *Omnium populorum communio pro nationibus omni ope carentibus*: Ignoramus saepe illud quod bonum commune poscat atque exigat. Eodem modo negligimus necessitates iustitiae socialis erga hominum universalitatem. Omnibus persuasum est ditiores pauperibus auxilio venire: attamen hoc strictum ius sociale omnium gentium esse, ignoramus.

2. *Pax et ea quae ad pacem pertinent*: solamen populis futuro ac funestissimo bello territis, superveniet, si doctrina Ecclesiae de pace et de iis quae ad pacem pertinent erit a Concilio exposita.

3. *Homines omnium nationum sese arctissime uniant*: audacissimum ac necessarium aspectum christianae doctrinae spectamus: Ecclesia veram omnium nationum societatem miratur, quae bonum commune internationale persequatur ac quae apta sit ad praecepta, quae debet, efficienter imponenda.

Haec vera super nationum fines societas est sola solutio difficultatum quae in primo et secundo articulo exposuimus.

In problemate internationali et sociali solvendo, non-catholici catholicis auxilio esse possunt.

99

EXC.MI P. D. ANTONINI DRAPIER

Archiepiscopi Neocaesariensis in Ponto

Réponse au Prot. N. I C/59-2244

Creuë par Vigneulles (Meuse), le 18 août 1959

Eminence Ill.me et Rév.me,

En réponse à la lettre que Votre Eminence m'a fait l'honneur de m'adresser je m'empresse de lui adresser ci-joint les considérations qui m'ont paru devoir retenir l'attention du prochain Concile. Je donne plus succinctement que je n'aurais voulu ce qui est pour moi la con-

viction d'une méditation habituelle de plus de 20 ans. Nous avons trop perdu le sens de la Création. J'aurais voulu aussi insister sur l'avantage qu'il y aurait à éviter les termes équivoques en matière théologique. Pour la plupart des prêtres ce ne sont pas des discussions savantes qui sont utiles mais des exposés clairs et précis. Quand on pense que la première question du « Catéchisme des Diocèses de France » est celle-ci: « A quelle religion appartenez-vous? ». Il est évident que la question ne se pose pas du sens étymologique du mot religion d'abord, mais d'un système de culte public; mais ensuite il est certain que dans l'esprit de l'enfant quand il grandira, il restera que le catholicisme est une religion parmi les religions. Il faut donc refaire une pensée exacte et claire par laquelle il apparaîtra que la révélation chrétienne emporte tout ce qui est positif dans la conception purement humaine et, sans rien renier, l'emporte au plan divin.

Je prie Votre Eminence d'agréer l'expression des sentiments de profonde vénération avec lesquels j'ai l'honneur d'être

de Votre Eminence Ill.me et Rév.me
le très humble serviteur

✠ Fr. Antoninus Drapier, O. P.
Archiepiscopus Neo-Caesariensis in Ponto

Ante omnia, humillimo meo sensu, urgentius videtur ad altam creationis scrutationem redire. Etsi mysteriosa et revelata, apparet tamen pluribus etiam theologis ut res naturalis cuius affirmatio sufficit. In catechismo, exempli gratia, pure affirmatur necessitas creationis ex eo quod « mundus non se finxit per se » quamquam iuste hoc probandum sit. Statim deducitur Deum creatorem rerum, dominatorem esse qui imperat, sub audito, « prout vult » et arbitrarie. Et sic erigitur theologia mandati (théologie du commandement) plane conformis conceptioni humanae auctoritatis. Transeat forsan pro pueris, sed pro homine cogitante prorsus insufficiens est. Potissime proiicit rudes et multos alios etiam presbyteros in illusionem circa sic dictam « actionem Dei ».

Ex altera parte mysterium creationis admittitur et a iudaeis et a mahumetanis ideoque ad certam unionem cum eis nos conducere deberet. Sed et christiani omnes in exacta conceptione creationis, videbunt necessitatem unionis.

Oportet enim probare non solum necessitatem unius existentis aeterni per se, qui est Spiritus purus, perfectus, immutabilis et nominatur a nobis Deus; sed etiam quod actus creationis aeternus in Deo est, ideoque

non realitas externa esse potest, nisi per actionem temporalem rerum creatarum et actionem secundum cogitationem Amoris aeterni plane et necessarie gratuiti. Et sic patet actiones creaturarum in unitatem esse debere sicut est una cogitatio divina et pro bono creationis.

Sequitur ex hoc actionem humanam per decisionem reflexionis ad realisationem cogitationis divinae tendere debere ut sit homo vere existens ut homo, et in sua actione curam unitatis habere.

Sic vidimus mandatum divinum non esse decisionem voluntatis despoticae, sed vere adiumentum amoris aeterni informantis hominem ut vere « actio temporalis Amoris aeterni » esse possit. Mandatum divinum insuper nos instruit de minimo, non de maximo agendo. Sic per actionem suam in tempore, instrumentum Amoris creatoris est homo, Amoris aeterni minister et servus.

Ista visio rerum reiicere sinit « nominalismum » cum sequelis suis quae perturbant et obscurant spiritum hominum etiam credentium et catholicorum numerosorum cum individualismo, voluntario, egoistaque notione de salute pure individuali.

Notandum est insuper ex normalismo processos esse fere omnes vitae actualis errores:

Chrysedonismum in oeconomia et ex hoc capitalismum;

Principium sic dictum nationalitatum (principe des nationalités) et nationalismum in re politica;

Protestantismum in Christianitate et conceptionem religionis sentimentalis;

Novissime Communismum ut clare professor Chevalier elucidat.

Et sic manifestum est obiectum specialissimum Revelationis christianae. Ad haec addit quod Amor aeternus hominem fecit in creatione « actionem temporalem Amoris aeterni » in qualitate veri filii Dei adoptivi in qua, si non peccasset Adam, coeteri nasci debuissent. Talis ergo est cogitatio ultima aeternaque Creatoris. Et plane credibilis est et desiderabilis. Conforme est enim Amori aeterno quod vivens pro se vivat. Filiatio divina adoptiva homini dat plenitudinem vitae transcendentis desiderium suum naturale ita ut non sit vere tam vivens quam sacrificando vitam suam naturalem in actione sua temporali Amoris aeterni sicut dicit Salvator: Qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam (*Io.* XII, 25).

Talem dignitatem perditam, recusante Adam officium suum actionis temporalis Amoris aeterni, Iesus, vere homo et vere Deus in persona Filii, restauravit credentibus in eum sed et laborantibus ut ministris Creatoris Amoris ita ut sint, sicut membra familiae divinae ad imaginem veri Filii, « actio temporalis amoris aeterni ».

Sic vidimus quod Christianus debet se cogere actioni secundum cogitationem creatoris sicut et coeteri homines qui ignorant Dominum Salvatorem, sed modo transcendenti et in plenam realisationem Amoris aeterni. Secundo unitas necessaria creationis non est perfecta nisi in unitate Ecclesiae quia perficitur per actionem humanam ergoque sub directione principii unitatis creati quod necessarie Salvator instituere debuit et de facto instituit. Ista unitas est Regnum Dei in terra primo et consummatum in coelis.

Iste sensus creationis importat « laicismi » condemnationem quia sine unitate amata, desiderata et actuata sicut est in Altissimis, non est locus in praesenti vita nisi sive violentiae, sive confusioni et ruinae. Quae conclusio omnibus evidens esse deberet, etiam non credentibus.

✠ FR. ANTONINUS DRAPIER, O. P.
Archiepiscopus Neo-Caesariensis in Ponto

100

EXC.MI P. D. ELIAE VANDEWALLE
Episcopi tit. Olbiatani, Auxiliaris Versaliensis

(I C/59-2256) die 31 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ad rescribendum litteris I C/59-2256 acceptis ab Eminentia Tua Reverendissima et pertinentibus ad questiones de quibus futurum Concilium cognoscere possit, velim, primum Tuam Eminentiam certiorem facere Exc.mum Dominum Alexandrum Renard, Episcopum Versaliensem mihi retulisse cogitationes quas ipse tibi tradidit de quibusdam praecipuis quaestionibus pertinentibus ad Episcopatum collegialem et dioecesanum una cum statu in Ecclesia laicorum. Quas cum quaestiones mihi adsciscam et, mea sententia, inutile sit iterum eas explanare, mihi reverenter permitto tantum deferre, magna cum simplicitate et libertate, quinque res quae nunc mihi videntur magni momenti, pertinentes ad Ecclesiam Universalem in ordine, peculiarius, disciplinae.

1. *De praesentia Ecclesiae in hodiernis temporibus*

Nonne est vultus Ecclesiae, iis qui lumen inquirunt, nimis affectus rebus quibusdam acquisitis per saecula quae, tempore suo, fuerunt vero

utiles vel necessariae, sed, tempore nostro, non adiuvant ad Eam revelandam, sed contra officiunt Mysterio et aeternae iuventuti Ecclesiae?

Nonne quaedam clericorum consuetudines, imprimis multi ecclesiastici ritus, proficiant, si simpliciores fiant?

2. *De Breviario emendando*

Laboratur quidem nunc ut perficiatur haec emendatio quae fortasse ante Concilium edetur. Optaverim tamen, modo omnino practico, quo minus velociter ac magis pie Breviarium recitetur ut, diebus onustis plurimis officiis sacris quibus saepe festa aguntur solemnissima, lectio officii allevietur, v. g. redigatur ad unum nocturnum tantum.

Cleri parochiales eo magis onerati quo pauciores sunt sacerdotes et saepissime, saltem in nostra dioecesi, plura fiunt loca sacra, fructuosius officium sacrum peragant.

3. *Ut leges matrimonii simpliciores fiant*

Impedimenta quaedam, etiam dirimentia, videntur nihil effici nisi movent iuris formula minus profecto pastorales.

Nonne opportunum sit quaedam tantum impedimenta servare a quibus dispensationes tunc re vera rarae sint?

Nonne potest item convalidatio matrimoniorum nullorum facilior fieri ut caveatur ne quidam qui per annos in matrimonio se sincere iungi putent, possint, tempore certo, illa nullitate uti ad divortium obtinendum cuius causae cum nullitatis causis minime communes sunt?

4. *Ut leges censurarum « latae sententiae » et earum reservationis simpliciores fiant*

Tota vetus disciplina de hac re maxime alleviari videatur.

5. *De Sacerdotibus redigendis ad statum laicalem*

Nunc reductio ad statum laicalem rescripto Sanctae Sedis coelibatus dispensationem affert subdiaconis et diaconis, sed non sacerdotibus.

Quamquam de hac re solutionem cuius magnum momentum accurate perpendo suggerere nolo, attamen in lucem hoc proferam ut sacerdos ad statum laicalem gratiose redactus sic orbatus invenitur ut tum non possit matrimonium contrahere quod quidem videatur esse conditio ut hic sacerdos aequo animo iterum fiat in statu laico post angustias semper magnas quae recessum a sacerdotali statu poposcisse videntur, tum careat in summum et canonice omnibus gratiarum peculiaribus fontibus et omnibus tutelis qui castitatem firmabant.

Interim sensus obsequii et reverentiae amplissimos significo et sacram purpuram osculans me profiteor

Eminentiae Tuae Ill.mae ac Rev.mae

✠ ELIAS VANDEWALLE
Ep. tit. Olbiatanus, Aux. Versaliensis

101

EXC.MI P. D. CAROLI LEMAIRE

Episcopi tit. Otroeni

L 690/59 Paris, le 16 décembre 1959

Eminence Révérendissime,

Par ses lettres I C/59 2089 et I C/59 2262, du 18 juin 1959, Votre Eminence me faisait l'honneur de me demander ma pensée touchant les questions qui pourraient être traitées au cours du prochain Concile.

Ma réponse a beaucoup tardé. Je prie humblement Votre Eminence de me le pardonner. J'avais dû faire un voyage de deux mois en Extrême-Orient et la multiplicité des questions à régler à mon retour, ne m'a pas donné en temps opportun le calme nécessaire pour la réflexion sur une affaire aussi grave; et cela d'autant plus qu'incessamment, il me faudra faire un nouveau voyage en Asie.

J'ai pensé que peut-être c'était par suite d'une erreur que deux lettres m'avaient été adressées; à moins cependant que la Commission Pontificale n'ait voulu marquer que c'était au double titre d'Evêque et de Supérieur Général de la Société des Missions qu'elle m'interrogeait.

La réponse est donnée sur les deux feuilles ci-jointes. J'ai en effet voulu mettre à part les choses dont en tant que Supérieur d'une Société de Missionnaires, il me paraissait souhaitable de souligner l'importance pour les territoires où se fonde l'Eglise.

En me recommandant à Votre aide spirituelle, je Vous prie, Eminence Révérendissime, de daigner agréer l'hommage de ma filiale vénération en Jésus et Marie.

✠ CH. LEMAIRE
Episcopus Otroenus
Mod. Sup. Societatis Parisiensis
Missionis ad Exteros

In terris missionum

In Misisonibus, praecipue de Asia loquar cuius populi culturam habent antiquam et magni valoris, mihi videtur necessarium esse ut Sancta Sedes magis faveat Ordinariorum conatibus ad liturgiam ingenio et moribus cuiusque nationis melius adaptandam, quoad linguam, ritus et musicam. Ecclesia ibi nimis apparet Occidentalis et multa sunt in liturgia nostra latina quae difficile ab indigenis intelligi possunt, quod non est sine gravi detrimento pro Evangelii diffusione.

Bonum esset si concilia frequentius tenerentur tam in provinciis ecclesiasticis quam pro toto eiusdem nationis episcopatu. Hoc faveret praesertim pro rebus disciplinaribus optabili unitati in eadem regione ubi vigent iidem mores oriunturque eaedem difficultates (v. g. pro ieiunii et abstinentiae diebus - scholis - catechumenorum educatione, etc.).

Ordines exempti, in Missionibus in dies magis florent. Religiosi habent propria privilegia, quorum Superiores Maiores sunt strenui defensores; non quidem, semper, sine gravi incommodo pro pace neque pro Dioecesis et christiani populi unitate. Mihi videtur quod exemptionis privilegium non iam aequalem necessitatem habet ac antea; proinde regulae canonicae in hoc puncto, deberent Episcoporum auctoritati magis favere.

Optandum est ut in Dicasterio Sacrae Congregationis de Propaganda Fide plures tanquam consultores admittantur qui experientiam acquisierunt in ipso apostolatu missionario.

Optandum etiam ut qui a Sancta Sede in terras missionum delegantur, linguae indigenae studeant.

Pro tota Ecclesia

Unio omnium Ecclesiarum sub Summi Pontificis auctoritate, deberet esse una de praecipuis quaestionibus in futuro Concilio tractandis.

« Revalorisatio » episcopalis iurisdictionis in propria circumscriptione mihi apparet urgenda. Salva auctoritate Sanctae Sedis et remoto in quantum possibile est schismatis periculo, possibile videtur plenius Episcopi auctoritatis exercitium sine tot ad Sanctam Sedem recursibus pro rebus minoris momenti.

Actionis catholicae theologia definienda esset quoad officia et iura respectiva tam fidelium quam cleri ipsius sub auctoritate Episcopi.

Ius canonicum cum agitur de parochorum remotione videtur diffidere Ordinariis. Senectus, morbus, et aliae eiusmodi rationes, deberent

sufficientes esse ut sine canonica difficultate parochi amoveantur, concilio episcopali consentiente.

Principia definiri deberent de actione sacerdotali inter operarios.

✠ CH. LEMAIRE
Episcopus Otroenus
Mod. Sup. Societatis Parisiensis
Missionis ad Exteros

102

EXC.MI P. D. MAURITII AMOUDRU
Episcopi tit. Pyrgensis

Ouzain, ce 8 août 1959

Eminence,

Je vous envoie les quelques renseignements sur le communisme dont j'ai pu me souvenir. Je m'excuse de ma pauvre écriture, les rhumatismes rendent difficile l'usage de mes vieilles mains et dans l'asile de vieillards où je suis, dans un village lointan il ne m'a pas été possible de trouver quelqu'un qui put taper à la machine ou calligraphier ma mauvaise écriture. J'espère que vous pourrez trouver quelqu'un qui puisse la dechiffrer et en donner une copie plus lisible et plus convenable.

Daignez agréer, Monseigneur, l'hommage du très profond respect et de la soumission avec lesquels je suis de votre Eminence le très humble obéissant serviteur in Christo.

✠ Fr. J. M. AMOUDRU, O. P.
Ev. tit. de Pyrgos

Principalis conciliorum finis est praeparatio remediorum contra errores grassantes in aula Domini at maior et periculosior error huius temporis est Communismus. Damnatus a Pio XI, nihilominus propagatur cum magna intensitate et celeritate ubique terrarum, proclamans aperte suam ambitionem conquerendi mundum universum.

Inveniuntur communistae praecipue inter operarios et in regionibus pauperibus, sed etiam inter sapientes scientiis addictos nec desunt inter catholicos laicos et etiam clericos. Dominus François-Poucat vir eminens dignitate scribebat in *Figaro* die 30 iulii huius anni: « On s'étonne

de rencontrer tant de catholiques communisants qui marchent à la pointe... ».

Immensa propaganda efficitur a communistis in omni terra, cum perfecta arte perversionis. In regionibus vero ubi imposuerunt suum regimen, doctrina communismi obligatorie docetur in omnibus scholis a primariis usque ad superiores tanquam fundamentum omnis educationis, cum absoluta certitudine debet admitti ab omnibus communistis, nullum dubium toleratur.

Definitur vero haec doctrina a Lenin: « Materialismum consequens » idest cum omnibus consequentiis eius. Dialectica, sic nominatur ab eis methodus huius philosophiae, est mere historica. Affirmant ut principium probatum historice, quod tota existentia et vita universi et humanitatis unice explicatur et causatur per progressum perpetuum evolutionis materiae. Nihil omnino existit extra hunc processum, et omnia systemata philosophica vel alia quae non fundantur supra hoc principium non sunt, nec possunt dici scientifica. Affirmant quod nunquam et nullibi fuit homo qui, de facto, alium finem vitae habuit quam materialem.

Moralis disciplina cum contemptu reiiciebatur ut « préjugé bourgeois » in primis temporibus revelationis. Sed post victoriam belli civilis Lenin intellexit novam societatem non posse subsistere sine aliqua obligatione morali, et fundavit moralem disciplinam communistam, cuius principium posuit: « Bonum esse id quod est utile communismo. Malum vero quod potest ei nocere »: huius principii consequentia est quod « hic finis iustificant quaecumque media ». Et hoc aperte ab eis confitetur et exercetur.

Quantum ad Religionem, certe atheismum et materialismum non sunt professa a catholicis progressistis, amplectunt tamen doctrinam socialem et politicam communismi, ingenue putantes hanc distinctionem admittendam esse a communistis sed in hoc absolute decipiuntur. Doctrina eorum monolita est, omnia eius elementa sunt inseparabilia. At primum et essentiale elementum, totius doctrinae fundamentum, est materialismus, ex quo necessario sequitur atheismus, sic explicatur ab iis fides in Deum. Affirmatio existentiae Dei nihil est aliud quam mendacium perversum capitalistarum, intendentium terrorisare populum ita ut possit retineri in perpetua servitute sociali, taliter vere quod ipsi possint servare suam dictaturam, et gaudere in pace omnium privilegiorum vitae. Iidem dicunt religionem esse « opium populi » id est qua impeditur populus a desiderio liberationis et organisationis belli civilis quo destrueret suam servitutem. Nemo vero ignorat, nisi qui volunt ignorare, quales persecutiones immanes ab eis fuerunt institutae contra Deum, contra Religionem et contra Ecclesiam. Lenin quidem dedit eis consilium non faciendi martyres, quia timebat quod ex hoc diffamaretur communismus in mundo; et propter hoc

dicunt fideles ab ipsis damnari, non propter religionem, sed propter scelera politica. Sed hoc non est nisi enormis fallacia, quae tanto facilius admittitur a suis, quod ab eis docetur religionem esse contra revolutionem. In praesenti tempore est aliqua tolerantia pro Ecclesia orthodoxa, quia tempore belli omnes fideles patriotismum habuerunt; sed Ecclesia remanet sub strictissima submissione auctoritatis civilis, et ipsi communistae dicunt nullam mutationem esse in doctrina nec in legibus antireligiosis. Contra Ecclesiam catholicam vero specialissimum odium profitentur, aestimant enim illam periculosiorem ipsis ratione suae unitatis, optimae organisationis et virtutis.

Iuniores catholici progressistae, magna sensibilitate praediti et affectione naturali inter suos, confitentur se diligere Ecclesiam, innovandam tamen secundum eorum opiniones et sensus, his suis opinionibus firmiter adhaerent, et quando reiiciuntur istae ab Ecclesia, non multum de hoc curant, dicentes illas esse amplectendas ab ipsa Ecclesia post aliquos annos. Magnam vero independentiam habent erga Ecclesiam, et iudicant illius Pastores etiam maiores, cum incredibili irreverentia. In historicis studiis non timent omnium malorum eventuum responsabilitatem, saepissime, in Ecclesiam reiicere.

Alia quaestio est de reunificatione Ecclesiarum.

Ex Revelatione divina Ecclesia credit unicam Ecclesiam a Christo institutam. Et nunquam oblita est ultima verba Christi ante Passionem: « Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad invicem » (*Io.* 13, 34). « Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me » (*Io.* 14, 2).

Nonnulli tamen nostrorum, maximum zelum habentes huius reunificationis Ecclesiarum non videntur cum sufficienti prudentia procedere. Cum magna enim cordis sensibilitate dicunt quod in omnibus oportet quaerere quae uniunt et vitare quae dividunt. Talia verba possunt diversimode intelligi. Protestantes enim dicunt in Oecumenismo vitandas esse omnes quaestiones doctrinales, quae dividunt et curare tantum de unione caritativa membrorum ut possit haberi verus Oecumenismus in quo omnes participantes essent aequalis iuris, nullo auctoritatem habente.

Haec vero sunt tam manifeste contra constitutionem Ecclesiae et institutionem Christi quod nullo modo possunt in consideratione haberi. Sed ex hoc patet quod talia verba periculosa vitare debent. Reunificatio Ecclesiarum habet magnas difficultates quas Ecclesia novit per experientiam historicam; non efficietur talibus mediis. Vita Ecclesiae est mysterium supernaturale. Spiritus Sancti opus, de quo locutus est Do-

minus dicens: « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 20).

✠ Fr. J. B. M. Amoudru, O. P.
Ep. tit. Pyrgensis

103

Exc.mi P. D. IACOBI LE CORDIER
Episcopi tit. Prienensis, Auxiliaris Parisiensis

Prot. N. I C59 2290

Sancti Dionysii, prope Parisios, 29 augusti 1959

Eminentissime ac Illustrissime Domine,

Breviter Eminentiae Tuae quaestionibus respondebo. Per solos tres annos episcopale ministerium adimplevi et, auxiliaris episcopus, votis et argumentis Em.mi ac Ill.mi Cardinalis Archiepiscopi Parisiensis subscribo.

Sollicitudo pastoralis in civitatis suburbio — ubi multi adsunt operarii et multae animae longe a Christo vivunt, sed ubi tamen zelus apostolicus floret tam apud sacerdotes quam laicos — haec mihi suadet vota:

1. *Quoad doctrinam*:

Maior explanatio Theologiae *de Ecclesia,* ut spiritualis fidelium vita ac apostolatus firma habeant fundamenta. V. g.:

De doctrina *Corporis mystici,* cuius schema iam in Concilio Vaticano praeparatum erat et cuius aspectus non semper iisdem evolvuntur verbis aut scriptis.

De « *Missione* Ecclesiae Christi ». Vocabula « Missio, missionarius » frequenter applicantur generosis conatibus non solum in regionibus de Propaganda Fide, sed in nostris nationibus (v. g. « Missio Galliae »), dioecesibus aut paroeciis (v. g. « Missiones generales ad intra »), praesertim circa sive paganos sive personas vulgo dictas « dechristianisatas ». Si tamen saepe illo verbo « Missione » utitur, non semper de « re » cogitatur secundum authenticas theologiae normas et quaedam oritur confusio.

De *laicis.* Summorum, felici memoria, Pontificum exhortationes de « Actione Catholica », de « Laicorum apostolatu », magis activam reddiderunt adultorum aut iuvenum participationem sive Hierarchiae apostolatui, sive catechismo apud pueros aut coaetaneos, sive orationi publi-

cae, v. g. in Missae sacrificio, sive etiam temporalium rerum orationi publicae, v. g. in Missae sacrificio, sive etiam temporalium rerum administrationi. Sed, ad laicorum in Ecclesia sortem nec augendam nec minuendam, necessariae essent praecisiones theologicae et canonicae (canones *Codicis I. C.* nimis sunt breves et saepe ampliati sunt in Synodis dioecesanis aut Conciliis provincialibus vel plenariis, v. g. Indiarum).

2. *Quoad disciplinam cleri et populi christiani.*

De Breviario. - Magis ac magis clerici desiderant ut Breviarii recitatio sit magna et laeta laus Deo in nomine Ecclesiae, quies animae in diuturnis laboribus et vitae interioris sustentatio ac stimulus. Multi sacerdotes merito conantur ut Breviarii horas per diem aut vesperum distribuant et ut, per psalmorum studium et lectionum Sacrae Scripturae meditationem, inveniant textuum sensum et illos « in Spiritu » gustent.

Breviarii emendatio, de qua optime locutus est Em.mus ac Ill.mus Cardinalis Lercaro in Congressu Pastoralis Liturgicae, Assisii, cum magna gratitudine acciperetur.

De *Missa cantata.* - Sanctae Sedis instructiones de activa fidelium participatione unanime istorum desiderio respondent. Attamen, in filiali et grata oboedientia erga illas instructiones, humillime exponuntur aliquae difficultates in paroeciis suburbanis inventae. Assistentes, maxima parte, sunt, secundum Psalmum, « humiles populi ». Propter studiorum defectus, mentem technicam et quotidianum manuum laborem, quaecumque sit eorum bona voluntas, textus vel cantus latinos difficillime intelligunt. Spontanee in cultu publico desiderant quamdam orationis expressionem in lingua vernacula, non solum in missa lecta, ubi intervenit « commentator », sed etiam in « missa cantata » ad quam libenter accedunt. Num esset possibile ut in illis paroeciis « missionariis », ex indulto et ad tempus usque ad plenam liturgicam « rudium » educationem, in missa cantata a celebrante sine ministris, « aliqua » sit fidelium participatio in lingua vernacula sive cantando sive epistolam et evangelium audiendo?

Similiter, in *Pontificalibus,* sive in Missa sive in Vigilia paschali, quaedam rituum simplificatio, v. g. de mitra saepe capienda aut tollenda, magis populi intellectui et pietati accommodata videretur.

De *catechumenorum baptismo.* - Saepissime adulti ad baptismum praeparantur et per plures menses attentiva sacerdotum aut religiosarum sollicitudine fruuntur. Atqui Rituale de « adultorum baptismo » quosdam praebet ritus ter repetitos qui catechumenorum praeparationem fructuose scanderent si per instructionis menses distribuerentur, secundum Ordinarii iudicium et omnibus adhibitis cautelis.

Ad Sanctitatis Suae pedes provolutus et paternam benedictionem implorans interim Eminentiae Tuae purpuram osculando, me confiteor humilem

Eminentiae Tuae Ill.mae ac Rev.mae

✠ IACOBUM LE CORDIER
Ep. Prienensis

104

EXC.MI P. D. PAULI MONTAIGNE
Episcopi tit. Sidymensis

Resp. ad I C/59-2406 Paris, 24 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Cum magna reverentia gratias dico pro praeclara epistola N. I C/59-2406 qua Eminentia Vestra Reverendissima significare dignata est indigno servo de institutione *Commissionis Antepraeparatoriae* pro futuro Concilio Oecumenico.

Venerabili Praesidi huius Commissionis gratulationes et officia mea ex toto corde offero.

De contentis in epistola saepius coram Deo cogitavi et meditatus sum. Usque nunc tamen quamvis *totam adhibuerim bonam voluntatem et auxilium S. Spiritus invocaverim, non perspexi quamnam materiam alicuius momenti proponere possim aut prudenter suggerere.*

Causae illius insufficientiae praesertim ex conditionibus senectutis et deficientis sanitatis quaerendae sunt. Placuit enim Divinae Voluntati in infirmitatibus et dolore me retinere a longo iam tempore. Ab anno 1957 debui renuntiare omni externae activitati, multis miseriis physicis afflictus, necnon mente iam debilitatus; vitam quasi solitariam duco, ambulare non amplius valeo nisi per paucos passus, sic domi manens, dolores et infirmitates cum orationibus Deo offero: operum externorum curam assumere non amplius valeo; variis exercitiis v. g. conferentiis, congressibus, circulis, etc. de rebus modernis et novis opinionibus interesse non possum; ideo multa nova non sunt mihi satis nota, sicut multae quaestiones presentis temporis.

In quantum vires corporis permittent, orationes meas et dolores devote Deo offeram pro felici exitu Concilii Oecumenici et feliciore statu Sactae Ecclesiae.

Benedictionem Eminentiae Vestrae Reverendissimae super me imploro et sacram purpuram reverenter deosculans, me profiteor humilem et addictissimum

✠ PAULUS L. C. MONTAIGNE, C. M.
Episcopus tit. de Sidyma

105

EXC.MI P. D. ALAPHRIDI ATTON
Episcopi tit. Theudalensis, Auxiliaris Aurelianensis

Orléans, 3 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Est mihi honori ad Eminentiam Tuam Reverendissimam animadversiones meas mittere, quas ad Pontificiam Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico Commissionem proponam.

Sacram denique deosculans purpuram, me profiteor,

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum in Domino

✠ ALAPHRIDUS IOSEPH ATTON
Ep. Theudalensis Auxil. Aurelianensis

Alaphridus Atton Episcopus titularis Theudalensis, ut ad S. R. E. Cardinalis Tardini invitationem rescribat, animadversiones sequentes ad Pontificiam Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico Commissionem proponit:

Primo: *De Theologia et Iure Canonico*

Perutile videtur, ut Ecclesia Sacri Concilii Vaticani doctrinam exsequatur, quin etiam fuse lateque explicet: imprimis adseverare iterum Episcopos Apostolorum esse successores atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficere.

Deinde statuere minute atque concise Episcoporum limitationem et amplitudinem potestatum, scilicet, quomodo et in quibus rebus, non solum eos sub Romani Pontificis auctoritate esse; sed etiam eos propriam potestatem ad gubernandam et evangelizandam peculiarem dioecesim habere.

Tandem definire et quomodo sacerdotium presbyterorum sacerdotio

Episcoporum participatio sit; et quid significet haec vox « laicorum sacerdotium »; et ex quo constet non solum baptismatis et confirmationis character, sed etiam in diaconatu, presbyteratu et episcopatu character sacerdotalis.

Secundo: *De Apostolatu*

Quia futuri Concilii est studere, ut ait Ss.mus D. N. Ioannes Pp. XXIII in uno radiophonico nuntio, moderni requisita Apostolatus, hoc est in votis futurum Concilium lucide explanare:

Primum, ubi sint et quid faciant, erga Sacerdotium, Missam, functiones sacerdotales, apostolatum, et coetera... sive presbyteri, sive laici in Mystico Christi Corpore.

Postea, quid sint vel Actio Catholica, vel laicorum Apostolatus.

Postremo, quibus modis et conditionibus opus apostolicum tam clericorum quam religiosorum ordinandum sit et consentiendum.

Etenim, quia Episcopus evangelizandi et suam dioecesim regendi munus accepit, nonne oportet se maiorem et in iure canonico adamussim definitam auctoritatem habere super Religiosas et Religiosos dictos exemptos, praesertim super tam multas Iuris pontificii Congregationes Religiosarum? Heu! Neminem effugit praesens rerum status graves difficultates gignere et magnam contra progressum Regni Dei moram afferre profecto.

Tertio: *De Liturgia*

Horae canonicae quoniam a sacerdotibus alicui dioecesi adscriptis quotidie recitandae similes sunt his monachorum, quibus tot opera et onera in paroecia non incumbant, alleviandae videntur pro his clericis. Quamobrem cum matutinum unum nocturnum atque unam Sacrae Scripturae lecturam comprehendere, tum Horas Tertias, Sextas Nonasque dici ad libitum, satis esset.

Tandem cur, quaedam liturgicae functiones, vel coeremoniae Pontificales, verbi gratia: consecratio ecclesiae, quae cum sint antiquitate venerabiles, tamen fidelibus nostri temporis videntur diuturnae, non contrahantur?

✠ ALAPHRIDUS IOSEPH ATTON
Episcopus tit. Theudalensis

106

EXC.MI P. D. PETRI FALLAIZE
Episcopi tit. Thmuisani

le, 3 octobre 1959

Eminence Révérendissime,

C'est avec grande confusion que je vous présente si tardivement le rapport que vous avez daigné me demander pour la Commission antepréparatoire au Concile.

En ce jour de fête de Sainte Thérèse de l'Enfant Jésus, je termine un travail, qui m'a été fort pénible à cause de ma cécité grandissante; je la prie humblement de faire valoir cette excuse près de vous.

Et je vous prie, Eminence Révérendissime, de me bénir avec indulgence.

Ev. tit. de Thmuis
✠ P. FALLAIZE, O.M.I.

Ref. I C/59-2458 Lisieux, 3 octobre 1959

Eminentissime et Illustrissime Domine,

De opportunitate Oecumenici Concilii convocandi cum Sancta Sede plene assentior, ac de proxima eius praeparatione gaudeo, atque pro felici eius exitu quotidie preces effundo.

Sed, senescens et caecutiens, participem utilem fieri Sessionum Concilii incapacem me nosco. Attamen mihi magnae curae sunt omnes quaestiones de quibus in Concilio agetur, et si interrogatus fuero, secundum conscientiam meam respondebo, salva plena oboedientia ad ea quae a Patribus Concilii iudicabuntur.

Mihi nunc tractare breviter liceat de aliquibus quaestionibus quae mihi peculiari curae sunt, post viginti sex annos peractos in Athabaska-Machenzie Missionibus (1913-1939) et viginti alios Lexoviis, in audiendis confessionibus Fidelium ex omnibus gentibus, in Sacello Sanctae Theresiae a Iesu Infante (1939-1959).

I Quaestio: *De Unitate*

Quaestio de Unitate in Ecclesia et de conversione ad Fidei Unitatem Fratrum nostrorum dissidentium maximi est momenti.

Sed in controversiis, oportet disputantes simpliciter iudicare, quantum possibile est, iudicantes obiective, et semper aequo animo, sine personarum aut gentium acceptione, et sine nimio favore pro novis doctrinis hodie florentibus, ne implicationes augeantur neque homines bonae voluntatis a veritate arceantur.

Communia diserte monstranda sunt, sed diversa non sunt tacenda neque minuenda.

V. g. 1. de variationibus in Reformatis Ecclesiis, quae maximo argumento fuerunt illustrissimo nostro Bossuet et clarissimo Balmes, hispano; quod argumentum ex Dogmatum dissolutione in his confessionibus confirmatum est.

2. De illogismo Anglicanorum, etiam Anglo-catholicorum (ut aiunt) quorum Ministri, in eadem confessione, non consentiunt v. g. de Eucharistica doctrina:

unus dicit: « Credo in realem praesentiam Christi Iesu in Eucharistia »;

alter: « Credo in realem absentiam Christi Iesu in Eucharistia »;

tertius: « Nolite ad hanc diversitatem stare: eadem Ecclesia sumus; idem Credo confitemur ».

Quod fuit argumentum Domino Hugh Benson, ex anglicano catholicus romanus factus et fortasse clarissimus in Anglia apologista.

3. Inter obiectiones quae mihi oppositae sunt in Britannico Imperio contra Romanam Ecclesiam, persaepe audivi contra Infallibilitatem Summi Romani Pontificis: saepe inter infallibilitatem et impeccabilitatem confundunt. Mirantur si quis dixerit ipsis etiam esse summum Tribunal, sine ad alterum appellatione, scilicet Privy Council Regis, saltem in civilibus rebus. Ut Rex in Privy Council, sic agit Summus Pontifex in rebus de Fide.

4. Fateantur etiam Anglicani se contra logicam stare quando de quaestionibus ad Fidem pertinentibus agitur in Concilio (Parliament), ubi sedent Legati inter quos non Anglicani et qui contra episcoporum iudicium valere possunt v. g. in Prayer Book quaestione.

5. Memor est, post 1914-1918 Bellum, « orthodoxos » et Anglicanos de validitate Ordinum inter se collatorum consensisse.

7. Ex meis colloquiis cum aliis Reformatis, v. g. in Gallia, multi mihi videntur arceri a Romana Ecclesia non solum propter doctrinam sed etiam et praesertim propter magnam in Sacram Hierarchiam hostilitatem, quam quidam, de moribus et politicis ambitionibus Ministrorum Romanae Ecclesiae narrantes, sedulo fovent.

Recusant Ecclesiam posse et debere se ab intra et per seipsam reformare.

II quaestio: *De Auctoritate*

Constant in toto orbe terrarum tempora nostra ita difficilia esse quoad auctoritatem exercendam vel etiam definiendam ut auctoritatem legitimam tenentes saepe aut oboedientiam non obtineant neque urgere audeant, aut dent locum tyrannis.

Et hoc mihi videtur esse coniunctum cum fide in multis decrescente.

Opportune ergo sunt proclamandae praecipuae veritates Fidei nostrae, scilicet:

Deum Creatorem, Dominum esse omnium sicut figulus luti.

Iesum Christum, Mediatorem, revelasse Deum esse Patrem nostrum quem amare et precari, cui oboedire tenemur.

Iesum Christum hominibus praecepta dedisse et faciendo et docendo.

Iesum Christum Ecclesiam suam aedificasse super unam Petram sc. Apostolum Petrum quem in Actibus Apostolorum vera et suprema auctoritate fungentem videmus et cuius auctoritas manet in eius successoribus quorum est Summus Pontifex Ioannes XXIII, Papa noster feliciter regnans.

Quae summa Pontificis Romani auctoritas saepe affirmata et sollemniter definita, hodie aperte est declaranda, quia etsi per omnia saecula fuit haereticorum et schismaticorum insectationibus obnoxia, tamen aetate nostra tantopere oppugnatur ut non absit periculum in rerum perturbationem vel tyrannidem decidendi.

De suprema auctoritate a Romanis Pontificibus semper vindicata ipsi haeretici et schismatici fidem faciunt, hanc valde insectantes et turbulente ab unitate Ecclesiae decidentes.

Scio vero quosdam, etiam inter Catholicos, aestimantes Ecclesiam esse nimia lenitate et mora in mundo celeriter volvente, et inimicam progressui et mutationibus necessariis, ipsis iudicibus.

Attamen, in re, aut temperius aut serius admittendum est Ecclesiam recte iudicare. Hanc Ecclesiae sapientiam specialiter video in rebus et quaestionibus quae fuerunt maximae curae, praesenti aetate.

Et opto ut Sancta Mater Ecclesia, ex oecumenici Concilii laboribus, magis ac magis appareat lumen indeficiens et praefulgens in Mundo celeriter volvente.

In praxi, de hodiernis progressibus, votum audeo communicare:

Televisio adhibeatur, cum Sacrae Hierarchiae permissu in dissitis regionibus, ubi paucissimi sunt sacerdotes, et permulti Fideles saltem baptizati v. g. in Austriaca America, ut Sacra Doctrina per catechismum doceatur et Missae audiantur, etiam die dominica; ita, hac nova arte

mediante, multi fideles docerentur servare quaecumque Christus mandavit et ab erroribus eadem arte propagatis arcerentur.

Item videat Concilium de aliis modernis artibus utendis ad doctrinam inter paganos celerius et efficacius praedicandam.

III quaestio: *De Disciplina*

Multa mihi videntur emendanda in componendo et applicando *Codice Iuris Canonici*: simplificare oportet.

Cum ex multo tempore, caecitate gravescente, legere non possim, saltem dicam quid de quibusdam sentiam.

Primo, intime sentio, postquam Romanus Pontifex locutus sit, omnium esse primum Officium quaerere ut intelligant ad oboediendum, et non ut eludant Summi Pontificis voluntates; nam si Ordinarii iussa et monita Summi Pontificis eluderent, ita ipso facto erga Ordinarios sacerdotes et erga sacerdotes fideles agerent.

Secundo, Leges Ecclesiae oportet esse simplices, apertas, non ambiguas et facili interpretatione.

Cum Leges Ecclesiae ad omnes Fideles pertineant, mihi videntur quam maxime diminuendae leges particulares, et immunitates aut locorum aut personarum, quae simul perturbant subiectorum mentes et saepe in incertum ducunt quorum est officium docendi, et in Poenitentiae Tribunali iudicandi.

Cum ante hos viginti annos (1939-1959) propter infirmitates meas, Lexoviis maneam, ad confessiones audiendas peregrinorum ex universo orbe, quaedam saepe reperta difficilia dicam, quibus novus Codex aliquo modo mederi possit.

1. De ieiunio et abstinentia.

Permultis fidelibus, leges de ieiunio et abstinentia sunt in re inefficaces, vel propter defectum certitudinis materiae, vel propter conditiones vitae modernae, specialiter opificibus, vel propter immunitates supradictas. Alii de privilegiis sibi commissis ultra se praevalent et alii non intelligentes cur iisdem privilegiis non gaudeant iudicant sibi eadem permitti et legi non oboediunt.

2. De obligationibus diei Dominicae.

Item permultis fidelibus, propter nimiam in laborando contentionem, v. g. in modernis Fabricis, Missae Dominicalis praecepto satisfacere difficile est vel etiam impossibile. Multos alios fateor equidem nullam praecepti curam habere, in quietem et delectamenta se dantes.

Praeterea, in multis regionibus, Templa et Sacerdotes desunt.

3. De annua confessione et Paschali communione.

Multi praecepto non satisfaciunt certo et legitimo tempore, quod est satis diversum ad mentem Ordinariorum, et hac mora conscientiam suam gravare non videntur.

Constat novas leges de ieiunio Eucharistico et Missa vespertina frequentioribus Communionibus favere.

4. De mixtis nuptiis.

E mixtis nuptiis saepe multa mala accidunt tam coniugibus quam filiis quibus saepe deest vera Catholica educatio et qui saepius in indifferentiam cadunt, praesertim si mater sit acatholica.

In quadam regione, in qua dispensationes harum nuptiarum Ordinarii quam maxime recusabant, vidi mirans tales dispensationes facilius dari ab Apostolico Delegato.

5. De Matrimonio de facto dissoluto per consensum inter partes, vel per vim et novas alterius nuptias.

Certis condicionibus ad sacra admittitur coniux innocens vel paenitens.

Sed, ob perturbationes populorum e bello manantes, miseri casus facti sunt, quas dolens video, et humanius emendandos apto. Sic video e Polonia vel aliis regionibus fugitivos quibus in patriam reverti non licet, et qui, quindecimum vel vicesimum annum de coniuge nihil audierunt, atque utrum sit adhuc vivens an non nesciunt.

6. Utrum censurarum absolutio non sit nimis implexa?

Utrum leges de Dispensationibus non sint similiter nimis implexae et tardae.

IV quaestio: *De Quaestione Sociali*

Videtur Concilium magnopere conaturum ut Capitale Labori reconcilietur et vice versa, adiuvante sociali Ecclesiae doctrina; non quod Ecclesia iam non multoties non docuerit sed quod etiam a quibusdam qui se Fideles dicunt non audita fuit.

Dixit enim Dominus Iesus Christus: « Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? » (*Mt.* 16, 26). Et Dominus caritatem docuit, salva evidenter iustitia.

Saeculis sequentibus et in nomine Domini, laboriose etenim et varia fortuna, Ecclesia Catholica statum socialem magis iustum quam servitus antiqua procuravit. Attamen tempora venerunt quibus populi a Deo se averterunt et in practicum materialismum prolapsi sunt.

Tempore opportuno, Romani Pontifices iudicaverunt de oeconomico Liberalismo;

de « activis virtutibus » cum « passivarum virtutum » detrimento crescentibus;

de sociali divisione et remediis eius (1891);
de Hitler et Nazismo;
de atheo communismo.

In re, vocem Summi Pontificis non audierunt, et factiones in contraria abierunt, cum celeritate et amplitudine ingenti etiam bonos post se trahentes. Et ecce mundus in summis angustiis positus, inhumanus, instante periculo proximo in extremam servitutem decidendi, tam capitalismi quam marxismi maleficiis.

Stat Ecclesia Catholica cum Evangelio praedicando et Cruce sua tollenda.

Dignare, Eminentissime Domine, cum benevolentia has accipere notationes, minimas equidem de tantis quaestionibus, sed tamen mihi infirmo laboriosas, et habere me

totum Ecclesiae et Summo Pontifici deditum et Tuae Eminentiae humilem in Christo et Maria servum

✠ P. Fallaize, O.M.I.
Ep. tit. Thmuisanus

107

Exc.mi P. D. ARMANDI CLABAUT
Episcopi tit. Troadensis

Cum Eminentia Tua me consulere dignata est et quamvis tempus mihi concenssum brevissimum sit, volui, cum reverentia et pietate, sed etiam cum simplicitate et libertate, tibi referre animadversiones quasdam, quae opus missionarium Sanctae Ecclesiae in diffusione eius per nationes non christianas potissime spectant.

Pro munere meo orbem percurrendo, terras missionum plures invisi, sive in Asia, sive in Africa, cum Superioribus ecclesiasticis ac religiosis locutus sum, vidi difficultates eorum. E tali commercio cum his praesertim qui, sicut et ego, ad Congregationem O.M.I. pertinent, duae quaestiones in mentem veniunt, quae, ut mihi videtur, a sapientibus, doctis piisque viris studendae et statuendae essent ut in his maxime arduis temporibus, verbum Salutis a Christo allatum « usque ad ultimum terrae » (*Act.* I, 8) cum maiore efficacitate propagari possit.

Quarum quaestionum prior *ipsum verbum Salutis propagandum* spectat.

Constat nuntium Christi in Palestinam allatum, primum praedicatum esse per Imperium Romanum, unde in mundum nostrum occidentalem

praecipue sparsum est, in mundum scilicet magnarum nostrarum nationum modernarum Europae et Americae.

Ibi, saeculis decurrentibus, viri sapientissimi, oratione studioque, illud meditati atque perscrutati sunt, semper ex eo haurientes novas et altiores luces. Hoc modo ita vestitum est, per viginti saecula traditionum, studiorum disputationumque ecclesiasticarum, ut oculis orientalium stigma ferat occidentalismi sui velut infamiae et corruptionis: quo magis aegre accipi potest.

Quaestio non est ut reiiciatur tota lux fluens a studiis saeculorum praeteritorum. Philosophia perennis quae iacet in Thomismo est regula mentis, et ut aiebat quidam missionarius: « Si quis hinduista non approbat principium contradictionis, ipsum non debet ea ratione derelinqui ».

Quaestio est ut ipsa Revelatio veste sua occidentali exuatur, cum instrumentum aristotelicum et platonicum sit instrumentum mere humanum et ideo necessarie angustum et inadaequatum. Quare intuitiones philosophiae orientalis illam exprimere non valerent modo aeque convenienti simul ac magis accommodato eis quibus porrigitur?

In summa, quaestio esset:

1. Ut redeatur ad ipsam Revelationem puram in Sacra Scriptura et Traditione.

2. Ut discernatur sub veste occidentali Veritates Universas quae disputari nequeunt a propositionibus natura sua caducis de quibus fieri potest disputatio.

3. Ut sapientia orientalis examini subiiciatur ad excernendum aurum e scoria — et non parum adest auri —, ut hoc lumen in usum veniat ad penetrandum datum Revelationis secundum contentum eius indisputabile.

4. Ius Canonicum, in codificatione sua actuali, viginti saecula vitae pure et exclusive occidentalis sancit; et in missionibus indulta innumerabilia iterum atque iterum sunt necessaria ad se expediendum e forma eius rigida. Serventur stylo iuridico romano magnae regulae de Electione Summi Pontificis, de Canonisatione Sanctorum, de Gubernatione Ecclesiae, de administratione Sacramentorum etc. Sed quanta vetera derelinquenda in regionibus novis quae nunc se aperiunt ad fidem.

Quare in Tabrobanem afferre cum Evangelio tractatum « De Censuris » quem nemo curat cum omnes habeant facultatem absolvendi quascumque censuras, praeter specialissimo modo reservatas?... Quare in regnum « Laos » aedificare Regnum Dei secundum notiones medioevales beneficiorum, paroeciarum inamovibilium, dierum residentiae servandorum, dotis religiosis foeminis dandae?...

Oporteret statuere quaedam principia vitae, longo usu experta, et committere episcopis negotium aedificandi super haec principia institutiones necessitatibus localibus aut modernis aptatas.

Imperium Sinarum procul dubio in statu praesenti non esset si non evenisset, saeculo decimo septimo, acerva contentio Rituum Sinarum, cuius vera significatio serius intellecta est post tria saecula.

5. Quod ad liturgiam spectat, opus esset principiorum non super occidentalem interpretationem conditorum (quid refert enim nigrum aut album esse signum luctus, tectionem vel detectionem capitis signum reverentiae) sed ipsam Revelationem, et licentia necessaria relinquenda esset auctoritatibus localibus ad regulas particulares determinandas.

Scio missionarios qui viderunt cum magno maerore, apud populos « Tamouls » appellatos in regione Indiarum, supprimere caeremonias paraliturgicas hebdomadae sanctae exortationibus et canticis constantes, quibus paenitentia et amor totius populi a pluribus saeculis effundebatur, et ponere in earum locum novum ordinem instauratum genti omnino incomprehensibilem: profectus missionarius nullus.

Ex eo quod ritus latini missionarii Verbum Salutis in Orientem ferant, non sequitur necessarie quod gentes ab eis evangelisatae casurae sint ipso facto sub leges et rubricas occidentales.

Altera animadversio *ad operarios propagationis* Verbi pertinet, et peculiariter ad relationes quas habent inter se saeculares et religiosi.

Iamdiu praxis S. C. de Propaganda Fide fuit creatio Cleri Indigenae, et eventa novissimorum annorum sapientiam talis consilii clare comprobaverunt.

Paulatim in mente horum sacerdotum saecularium indigenarum, et peculiariter ut videtur apud quosdam in Occidentem missos ad studia peragenda reversosque cum pluribus diplomatibus, complexus superioritatis natus atque auctus est de praestantia vitae suae sacerdotalis saecularis relate ad illam sociorum et concivium suorum, simplicium religiosorum. Ista praestantiae persuasione moti, publice affirmant quod Ecclesia non erit vere in regione sua plantata nisi quando omnia regiminis munera in saeculares manus sumpta erunt, et recusant quasi indigna vocatione sua humilia ministerii apostolici opera.

Tales affirmationes bono cursui Ecclesiae nocent et negotium Episcopis facessunt.

Ut vigeat inter duos cleros comprehensio tota in labore communi, optandum esset ut omnes colerent eumdem spiritum paupertatis, oboedientiae et zeli, et ut secundum normas ab Ecclesia et praesertim a Pio XII datas. Saeculares tandem desinerent in seipsis invenire monopolium verae vitae sacerdotalis simul cum privilegio essendi solus et

unicus clerus dioecesanus; ut religiosi autem, peculiariter illi exempti, sponte et candide praesto essent episcopo, dummodo tamen ipse non ignoraret a priori religiosorum superiorum existentiam.

Hae sunt, Eminentia Reverendissima, animadversiones quas ad Commissionem Antepraeparatoriam modeste defero, cupiens alios episcopos eas clarius exposituros esse, et Patres Concilii, cum lumine Spiritus Sancti, remedia opportuna inventuros esse.

Die 30 mense augusti anno 1959.

✠ ARMAND CLABAUT, O.M.I.
Episcopus tit. Troadensis

GEDANUM

1

EXC.MI P. D. CAROLI M. SPLETT

Episcopi Gedanensis (Gdansk, Danzica)

Gesch.-Nr. 537/59 Düsseldorf, die 29 augusti 1959.

Eminentissime Princeps!

Ad mentem litterarum Vestrarum de die 18 iunii crs. sequentes propositiones pro Concilio Oecumenico exponendae magni mihi videntur esse momenti:

I. Quoad doctrinam valde utile esset, si Sacrosancta Synodus elucidaret:

1. Doctrinam theologicam de homine, id est: de eius dignitate et limitibus, de eius origine de eiusque mandatis et officiis erga Deum, personam propriam personasque confratrum-hominum, mundum praeter humanum, de eiusque praeterea iuribus et obligationibus erga patriam terrenam necnon de eius fine ultimo, de eius praeterea constitutione in duobus veluti mundis, scilicet in natura et in regione supernaturali, de eius miserabili casu eiusque gloriosa redemptione, de originali eius peccato, de doloribus eius et passione de poenitentia et de huius poenitentiae charactere medicinali et poenali. Lucidissime insuper declarentur dignitas personalis individui humani eiusque summe pericolosa in huius tempora « totalismis » conditio, praecipue eius periculum « massationis » hypertechnicis nostris temporibus. Declaretur hominem in qualibet situatione teneri conscientiae suae decisionibus eumque hanc ob rem obligatum esse ad obtinendam semper conscientiam veram.

2. Necessarium mihi videtur clarissime exponere modo dogmatico doctrinam catholicam socialem contra falsas communismi et materialismi opiniones, in quibus doctrina praxisque materialismi « practici » imprimis perniciosa demonstretur.

3. In memoriam revocetur doctrina catholica de indulgentiis et instruantur Christifideles opera ad obtinendum indulgentiam plenariam esse debere verissime opera supererogatoria.

4. Definiatur et exponatur in supplementum Concilii Vaticani doctrina catholica de Ecclesia — et imprimis doctrina de huius Ecclesiae organisatione, praesertim de relatione inter Summi Pontificis Primatum et mu-

neribus episcoporum uti magistrorum et pastorum suarum dioecesium. Suppleatur doctrina de Ecclesia tamquam Corpore Christi Mystico.

5. Quoad fontes fidei declaretur amplius et accuratius doctrina catholica de Sacra Scriptura eiusque ad modernas de rebus naturalibus et historicis doctrinas relatione. Gravis momenti mihi videtur certa elucidatio relationis inter Vetus Testamentum et theoriam descendentiae. Declaretur insuper traditionis essentia ad mentem recentiorum de hac re studiorum.

II. Quoad disciplinam in Ecclesia vigentem magni mihi videtur momenti esse:

1. Si ediderentur synthetice supplementa ad *C.I.C.*, in quibus continerentur leges et praescripta addita ad hunc *Codicem* ab anno 1917 usque ad novissima nostra tempora;

2. si in Sacra Liturgia corrigerentur nonnullae ceremoniae ad mentem « motionis liturgicae », praesertim si nonnulla modificarentur secundum characterem et sentimentum gentium et populorum tam a longo iam tempore Christianorum quam nuper in missionibus conversorum et baptizatorum. Attamen contra quosdam hypermodernos pseudoreformatores in memoriam tam sacerdotum quam laicorum revocetur missam esse vere et essentialiter sacrificium et non tantum « epulas sacrificiales » et praeter altare etiam tabernaculum esse domus ecclesiasticae centrum;

3. si declararentur contra quasdam opiniones hypermodernas et falsas essentia et valor virginitatis et caelibatus;

4. si accelerarentur modi procedendi in processibus Romae peragendis tam quoad matrimonium quam quoad canonisationem sanctorum et — si caute fieri potest — pro necessitate augeretur numerus eorum, quorum interest tales processus peragare;

5. si ederentur universalia et officialia quoad aedificationem ecclesiarum praescripta, praesertim de sensu et fine domorum divinarum;

Insuper de sequentibus rebus cogitandum esse mihi videtur:

6. Cum permulti Christifideles tempore belli et post bellum patriam suam suasque dioeceses et paroecias relinquere et exsulari coacti sint, addantur ad *C.I.C.* specialia praescripta de loci ordinariis, parochis et aliis sacerdotibus et Christifidelibus e patria expulsis, quibus declarentur horum iurisdictiones — e. gr. an valeat et quomodo iurisdictio episcopi vi hostili e suo territorio expulsi erga dioecesanos et sacerdotes proprios etiam in territoriis novis, ubi quasidomicilia adepti sunt, quomodo vigeat unitas dioecesium et clericorum cum proprio episcopo, quomodo tractandum sit ius residentiae clericorum vi expulsorum et alia huiusmodi;

7. cum in permagnis regionibus Christifideles omnes et praesertim hi, qui in studiis provectiores sunt, coacti sint libros de materialismo trac-

tantes legere, augeantur hac in materia iura confessarii! Confessarius habeat ius concedendi poenitentibus suis lectionem librorum prohibitorum, si prudenter censuerit poenitentes tales libros legere debere et eos necessitate coactos etiam sine permissione tales libros lecturos esse;

8. Edantur quoque prudentia praescripta de admissione linguarum recentium tam in civitatibus iam dudum Christianis quam in missionibus etiam in Sanctae Missae celebratione!

9. Considerandum est de diaconatu, an opportunum forte sit admittere ad conciones, catechisationes aliaque officia in cura animarum peragenda etiam diaconos matrimonio iunctos. Deliberandum est quoque de ordinibus minoribus tradendis aliis ecclesiasticis ministris, adhuc laicis.

Eminentiae Vestrae add.mus

✠ CAROLUS MARIA SPLETT
Episcopus Gedanensis

2

EXC.MI P. D. EDMUNDI NOWICKI
Episcopi tit. Thuggensis, Coadiutoris s. d. Gedanensis

Gedani-Olivae, die 18 septembris 1959

Eminentissime Princeps!

Gratias devotissimas agens pro veneratis litteris Eminentiae Vestrae Reverendissimae de die 18 iunii a. c., Prot. N. I C/59-2476, die autem 8 augusti a. c. receptis, humillime submitto cum consilio discreta ratione selectorum semptemdecim sacerdotum huius Gedanensis dioecesis exaratum, arcto quidem tempore, conspectum rerum et argumentorum, quae in futuro Concilio Oecumenico voto nostro, si Sanctissimo Domino placuerit, tractari forse poterunt.

Gratiam divinam nimis magnam nobis habuimus, nos pro tantopere sancta causa Universalis Ecclesiae hoc modo contribuere forsan potuisse.

Eo vehementius doleo mihi venerato mandato Eminentiae Vestrae Reverendissimae de termino exhibendi voti stare non contigisse. Nonnisi autem brevissimo illo temporis spatio, quod pro tam sancto labore prestitit, dignetur Eminentia Vestra Reverendissima culpam morae tribuere eamque benignissime excusare.

Manus Eminentiae Vestrae Reverendissimae deosculans, permaneo Eminentiae Vestrae Reverendissimae humillimum ac devotissimum servum verum

✠ Edmundus Nowicki
Episcopus tit. Thyggensis, Coad. s. d. Gedanensis

Conspectus rerum et argumentorum, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari, humillimo voto, poterunt.

I

1. De origine religionis.
2. De principiis religionis obligantibus non solum in vita privata sed etiam in vita publica.
3. De religione minime obstante felicitati huius vitae.
4. De iure naturali.
5. Doctrina de Ecclesia.
6. Doctrina de humanismo.
7. Doctrina de vita sociali.
8. Doctrina catholica de artibus technicis provehendis.
9. Doctrina de materialismo.
10. Doctrina de positivismo.
11. Doctrina de laicismo.
12. Doctrina de indifferentismo.

II

13. De sanctitate clericorum provehenda.
14. De obligatione clericorum — sub gravi praecepto — cotidie orationi mentali seu meditationi per quindecim saltem minutas vacandi.
15. De integro mense quotannis transigendo a sacerdotibus per quinque saltem post ordinationem annos in pia domo ab Episcopo designanda spiritum orationis firmandi et studiorum gratia.
16. De exercitiis spiritualibus quotannis a clericis peragendis per tres saltem dies in pia domo ab Episcopo designanda.
17. De tonsura a clericis deferenda ac quidem tertia saltem quavis hebdomada sub poena suspensionis latae sententiae tondenda, nisi Episcopus iusta de causa in scriptis dispensaverit.
18. De horis canonicis extra chorum lingua vulgari recitandis.
19. De lectionibus secundi nocturni horarum canonicarum historice revisendis.

20. De vetito sustentandi in domo paroeciali consanguineos vel affines parochi aliorumve sacerdotum.

21. De vita communi a clericis fovenda deque obligatione clericorum in communi viventium cotidie semel saltem communi orationi vacandi.

22. De clericorum christiana caritate proximi.

23. De clericorum virtute paupertatis deque eorum obligatione impendendi superflua pro pauperibus aut piis causis.

24. De oboedientia canonica e virtute fidei concipienda ac fovenda.

25. De sacerdotali contactu sedulo a clericis fovendo cum fidelibus extra quoque sacras aedes.

26. De non tolerandis magnis paroeciis.

27. De iure Ordinarii loci congruenter aequaliterque componendi reditus clericorum, beneficiatis minime exceptis, per assignationem summae, ultra quam non faciant suos sed Ordinario tribuere teneantur, ut provideat operariis in vinea Domini congrua sustentatione carentibus.

28. De iure Ordinarii loci tributum imponendi clericis ac ecclesiis, etiam religiosis quovis modo exemptis, in favorem sacerdotum aegrotorum vel emeritorum, vel laicorum in servitio sive ecclesiae sive sacerdotum cum laude emeritorum.

III

29. De excommunicationis censura, Sedi Apostolicae reservata, ipso facto incurrenda ab iis, minime exceptis de quibus in can. 2227 C. I. C., qui per se vel per alium quovis modo, etiam tacite aut implicite, quacunque de causa Episcopum aut sacerdotem impediverint vel abduxerint aut impedire vel abducere conati fuerint, ne Summum Pontificem adeat vel ne Concilium Oecumenicum, ad quod a iure vel nominatim vocatur, adeat in eoque participet, aut ne cum Sancta Apostolica Sede quovis modo maluerit communicet; nec non ab iis, minime exceptis de quibus in can. 2227, qui ad delictum supra dictum, quocunque modo concurrerint.

30. De excommunicationis censura latae sententiae, Summo Pontifici specialissimo modo reservata eos, de quibus in can. 2227 minime exceptis, plectenda, qui aliquem, quem Romanus Pontifex ad se vocaverit, a Romano Pontifice adeundo, per se vel alium quovis modo, etiam tacite vel implicite, quacunque de causa, impediverint vel abduxerint aut impedire vel abducere conati fuerint; nec non eos, minime exceptis de quibus in can. 2227, qui ad delictum supra dictum, quocumque modo concurrerint.

IV

31. De providendo regimine partis dioecesis, a quo (e. gr. insperata actione militari vel turbis) prohibetur sive Episcopus sive Vicarius Generalis sive Delegatus Episcopi.

(Puta per Episcopum vicinum et inter plures vicinos per eum, qui primus regimen susceperit).

32. De conferentiis Episcoporum regionis nullibi convocandis seu habendis nisi vi statutorum a Sancta Apostolica Sede probatorum.

33. De praeside nec non secretario Conferentiarum Episcoporum regionis, Nuntii vel Delegati Apostolici residentis orbatae, per secreta suffragia ad mentem iuris eligendis ad triennium, prorogabile non ultra alterum triennium, deque confirmatione electionum per Sanctam Apostolicam Sedem.

34. De obligatione Metropolitae curandi, ut in dioecesibus vel in provincia aut regione saltem interdioecesana habeatur pia domus pro clericis demeritis, in qua regenerando eorum sacerdotali spiritu apta cura sedulo provideatur.

V

35. De restringenda exemptione religiosorum.

36. De obligatione religiosorum auxilium praestandi in cura animarum nec non in regimine dioecesis.

37. De extendendo praescripto can. 131 § 3 ad religiosos in domibus haud formatis.

38. De extendendis praescriptis can. 1357 § 2 et § 3, 1365, 1366, ad omnes religiosos.

39. De submovendis binis choris sororum in congregationibus religiosarum.

40. De ratione quotannis Ordinario loci reddenda etiam a Superiore, de quo in can. 630, § 4, super collocatione, administratione, expensione eleemosynarum, in paroecia vel in ecclesia paroeciali communitatis religiosae collectarum, pro eadem ecclesia aedificanda, conservanda, instauranda, exornanda.

VI

41. De sacerdotio fidelium deque eorum apostolatu.

42. De christiana caritate proximi a fidelibus fovenda.

43. De spiritu orationis a fidelibus fovendo.

44. De scientia religiosa a fidelibus acquirenda.

45. De cotidiana sacrae Scripturae lectione ac meditatione.

46. De divortio et procuratione abortus reiciendis a fidelibus e virtute fidei.

47. De sectis vitandis.

48. De vitandis libris, diariis, ephemeridibus, spectaculis, fidei principia vel bonos mores oppugnantibus.

49. De baptismo iuxta doctrinam Sancti Pauli fidelibus explicando.

50. De sorte aeterna prolis non natae ac infantis absque baptismo morientis.

51. De obligationibus patrinorum deque pastorali cura erga patrinos.

52. De christiana virtute, fortitudine ac spe a baptismo iugiter hauriendis a fidelibus pro ipsorum vita ac morte.

53. De anniversaria die baptismi a fidelibus pie commemoranda.

54. De allocutione pastorali a sacerdotibus facienda populo adsistenti in collatione baptismi.

55. De ritibus ac caeremoniis in baptismo adultorum abbreviandis.

VII

56. De gravi obligatione pastorum animarum sedulam per diuturnos cursus curandi praeparationem confirmandorum in ordine ad sacramentum confirmationis fructuose recipiendum.

VIII

57. De interna et externa Missae frequenti participatione.

58. De extendenda facultate lingua vulgari utendi in quibusdam Missae partibus.

59. De iure Episcopi restringendi Missas pro populo applicandas ad dies dominicas ac festivas de praecepto.

60. De iure Episcopi anticipandi communionem paschalem a prima dominica Quadragesimae.

61. De licentia pane Eucharistico extra Missam reficiendi horis postmeridianis vel vespertinis iis fidelibus facienda, qui sacrosancto Missae sacrificio participare nequeunt.

IX

62. De iurisdictione ipso iure concedenda Episcopis pro sacramentalibus confessionibus ubique terrarum audiendis.

63. De iurisdictione approbatis sacerdotibus ipso iure concedenda

pro sacramentalibus confessionibus audiendis in dioecesi legitimo Ordinario loci orbata vel cuius legitimus Ordinarius adiri nequeat sine gravi incommodo, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam.

X

64. De abrogandis impedimentis matrimonialibus e consanguinitate in tertio gradu lineae collateralis et ex affinitate in secundo gradu lineae collateralis.

65. De substituendo praescripto de nullitate matrimonii e defectu delegationis ad assistendum matrimonio praescripto de suspensione latae sententiae, Ordinario loci reservata, incurrenda a sacerdote, qui absque licentia Ordinarii loci aut parochi matrimonio ineundo astiterit.

66. De gravissima obligatione pastorum animarum per aptos cursus sedulam curandi praeparationem nupturientium, ut conscii fiant magnitudinis sacramenti matrimonii et salutari animae dispositione illud recipiant, nec non ut christiano modo vitam coniugalem familiaremve ducere ac prolem educare sancte sciant.

67. De gravissima obligatione nupturientium, ut diligenter sese praeparent ad magnum matrimonii sacramentum recipiendum eiusque officia sancte adimplenda.

68. De allocutione pastorali sponsis facienda a sacerdote matrimonio ineundo assistente.

69. De obligatione pastorum animarum conscientiose curandi de christiana ratione vitae coniugalis et familiaris fidelium.

70. De die anniversaria matrimonii initi a fidelibus pie commemoranda.

XI

71. De praecellentia sacrae Liturgiae ac orationis liturgicae prae caeteris devotionibus.

72. De facultate lingua vulgari utendi in ministrandis sacramentis et sacramentalibus nec non in liturgia Maioris Hebdomadae.

73. De altari maiore tam elato modo aedificando, ut sive sacerdos sive ministri ab omnibus commode videri possint.

74. De abbreviandis ritibus ac caeremoniis in consecratione ecclesiae.

75. De inserendis in litaniis Omnium Sanctorum, a singulis populis recitandis, nominibus praecipuorum Sanctorum eorumdem populorum.

XII

76. De extendendo praescripto can. 1333 § 2 ad religiosos.

77. De Verbo Dei praedicando in omnibus, etiam quovis modo exemptis, ecclesiis et populo fideli patentibus oratoriis, intra omnes omnino Missas, quae statis horis celebrantur diebus dominicis et festis de praecepto nec non intra omnes Missas, quae diebus feriatis horis vespertinis celebrantur ac quidem sub poena suspensionis rectori ecclesiae vel oratorii ab Episcopo infligenda.

78. De formis et usibus christianis sensu religioso explicandis et replendis.

XIII

79. De normis a Sancta Apostolica Sede edendis circa educationem alumnorum in Seminariis maioribus sive dioecesanis sive religiosis.

80. De tributo pro Seminario obnoxiis — praeter iis de quibus in can. 1356 § 1 — omnibus quoque ecclesiis, etiam religiosis quovis modo exemptis, nulla habita ratione deductionum, de quibus in can. 1356 § 3.

XIV

81. De extendendo praescripto can. 1505 ad ecclesias, etiam religiosorum, quovis modo exemptas.

82. De extendendo praescripto can. 1506 ad ecclesias religiosorum, quovis modo exemptorum, eorumque beneficia ac instituta.

83. De monendis Episcopis regionum, e quibus causae beatificationis Servorum Dei et canonizationis Beatorum vix vel rarissime exhibentur, ut clerum et populum fidelem apte de principiis et praescriptis Ecclesiae Sanctae hac in causa edoceant.

3

Exc.mi P. D. LECH KACZMAREK

Episcopi tit. Alieni, Auxiliaris Gedanensis

Gedani-Olivae, die 26 augusti 1959

Eminentissime Domine!

Ad Litteras Vestrae Eminentiae Reverendissimae de die 18 iunii 1959 Prot. N. I C/59-2685 et demum die 21 augusti a me acceptas honori

mihi duco modicum meum votum in adnexo transmittere et praesentare posse.

Sacram Purpuram deosculans me profiteor Eminentiae Vestrae Reverendissimae obsequentissimum et addictissimum filium

✠ LECH KACZMAREK
Episcopus tit. Alienus

Votum « circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt »

1. Cum peculiare signum nostri temporis sit nimius cultus technicae et magis magisque progrediens laicismus, videtur opportunum, ut Concilium suam mentem in hac quaestione sollemni modo adaperiat et opportuna remedia ad laicismum oppugnandum indicet.

Attenta crescente despicientia Dei Eiusque praeceptorum quae iam in forma antitheismi se manifestat etiam valor spiritualium pro vita hominis elevandus et necessitas servandae reverentiae pro his rebus fortiter accentuanda esset. Talis vox infallibilis Magisterii Ecclesiae per os omnium Episcoporum igitur quasi ex foro internationali ad totum orbem terrarum loquens et monens ad dilatandum « illud quod interest » hominum etiam ad extra ambitum mere materialem, magnam impressionem in animos fidelium exercere posset et utique valde proficua esset.

Cum vero hodiernus laicismus fundamenta sua habeat in humanismo ex « marxismo » et « nietzscheanismo » decerpto, sollemnis publicatio huius facti procul dubio animos catholicorum contra epidemiam laicismi efficacius consolidaret et confirmaret.

Evolutio hodierni atheismi sequitur etiam ex eo, quod homo oppressus est onere et cultu technicae, qui non solum praepedit elevationem mentis ad superna sed exigit vitam communem in qua personalitas hominis amittitur seu ut aiunt eius depersonalisatio sequitur. Periculum hoc, ad quod iam f. m. Pius XII in suis allocutionibus animadversus est, maiorem attentionem meretur et si in Concilio disertis verbis explanatum et inculcatum esset, valde ad oppugnandum indifferentismum proficere posset.

Utile etiam esset hominibus in memoriam reducere, quod despectus iurium et legum Ecclesiae funestas sequelas pro vita psychica hominis habeat.

Hodierni fautores laicismi propagant rationalismum, ea spe freti, quod formata societate rationalistica, eo ipso et religio peritura sit. Alii vero affirmant omnes religiones ex anxietatibus et pavoribus ortas esse. Falsitas harum opinionum etiam in Concilio declaranda esset.

Cum vero sectatores laicismi existiment ideologicam impugnationem religionis ducendam esse ad labefactandum nexum inter clerum et fideles, videtur aequum et necessarium, ut catholica veritas et offensiva ex adverso comparetur.

Pari modo necessarium videtur, quatenus Concilium iterum declaret sensum dogmatum habere valorem absolutum infinite transcendentem symbolicam veritatum moralium.

Item forte affirmandum esset, quam magni momenti est munus familiae in religiosa educatione hominis.

Tantum quod attinet partem doctrinalem et quod secundum meum modicum iudicium in Concilio tractari poterit.

2. Quod disciplinam cleri attinet, videtur mihi opportunum, ut Concilium praescribat magis rigorosam selectionem iuvenum in admissione ad seminaria dioecesana et religiosa.

3. Ratio Indicis librorum prohibitorum esset de novo disceptanda et ordinanda.

4. In parte liturgica tractanda esset quaestio admissionis linguae vernaculae ad functiones sacras in maiori gradu quam hucusque utique extra Missam.

Problema accomodandi breviarium qua libri ad meditationes pro sacerdotibus.

GERMANIA

1

EXC.MI P. D. IOANNIS POHLSCHNEIDER

Episcopi Aquisgranensis (Aachen)

Aquisgrani, die 27 m. augusti a. 1959

Beatissime Pater!

Libenter respondens ad Litteras Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, d. d. 18 m. iunii a. 1959 (Prot. N. I C/59-63) hisce animadversiones, consilia votaque mea circa res et argumenta, quae forsitan in futuro Concilio tractari possint, devotissime communico:

I. *Dogmatica*

1. Moneantur Christifideles, ut a detestabili indifferentismo religioso abhorreant; doceantur de falsitate indifferentismi:

a) relate ad confessiones Christianas,

b) necnon ad religiones non Christianas.

2. Una cum damnatione materialismi theoretici:

a) denuo sublineentur et proponantur, contra cuiusvis generis formam evolutionismi, veritates de Deo personali, uno et vero, non solum uti causa prima in aliquo sensu philosophico, sed de Deo, creatore et Domino nostro, qui ex eis, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo et id a posteriori cognosci potest et de facto cognoscitur, adeoque demonstrari potest et demonstratur.

b) Ratione nihilismi valde diffusi immortalitas singulae animae humanae iterum inculcetur.

3. Desideratur damnatio omnis generis formae superstitiei, speciatim in eius formis fetichisticis et astrologicis, scl. horoscopicis. Clare exponatur indoles imprecatoria usus devotionalium.

4. Interpretanda sit doctrina de revelatione:

a) Iterum doceatur revelatio tamquam locutio Dei formalis, quae cum morte ultimi Apostoli absoluta est; revelatio statuitur non tantum crudo facto vel eventu (Ereignis).

b) Denuo proponatur doctrinam esse catholicam veritates revelatas exsistere, quae in Sacra Scriptura nullatenus inveniuntur.

c) Doceatur historicitas Sacrae Scripturae contra conatus mythologizandi omnia in ea contenta. Contra autem conatus omnia demythologizandi doceatur historicitas miraculorum revera patratorum, e quibus Christus tamquam Messias vere probatur.

5. Exponatur doctrina de Ecclesia a Christo uti hierarchica constituta, quae est Corpus Christi mysticum, et quidem magisterio, ministerio, regimine praedita. Doceatur Ecclesia uti societas ad salutem necessaria, extra quam nulla salus.

Respectu unitatis Ecclesiae, quae sub uno Supremo Pastore a Spiritu Sancto formata est, reprobanda est theoria sic dicta trium ramorum.

6. Exponatur doctrina catholica de statu civili et de relatione inter Ecclesiam et statum vel rempublicam, maxime sub respectu hodiernae Reipublicae pluralisticae.

Denuo doceatur Ecclesiam, quae est mater omnium baptizatorum, ius habere divinum educandi fideles.

7. Declaretur Episcopos residentiales habere veram potestatem vicariam Christi tamquam veros principes. Dicatur forsitan aliquid, an hanc potestatem habeant immediate a Deo, scl. a Christo, aut immediate a Summo Pontifice.

8. Exponatur sana doctrina de revelationibus privatis, ne transgrediantur fines ad eas pertinentes, ne confundantur cum revelationibus in deposito fidei continentibus.

9. Quoad sacramenta interpretanda sit intentio faciendi, quod facit Ecclesia.

10. Declaretur ordinem episcopalem esse verum sacramentum.

11. Quoad matrimonium etiam dogmatice inculcetur divina obligatio parentum educandi prolem, et id ratione sacramenti.

II. *Moralia*

1. Obligatio castitatis sponsorum (ante matrimonium) urgenda est.

2. Sublineetur etiam castitas maritorum, dicatur verbum contra onanismum coniugalem.

3. Denuo exponatur indissolubilitas matrimonii rati et consummati.

4. Reprobentur falsae theoriae ethicae situationis sic dictae.

5. Proponatur catholica doctrina de auctoritate et de relativa virtute oboedientiae.

6. Inculcetur valor ethicae naturalis contra erroneas sententias illorum, qui unicum valorem ethicum e campo supernaturali vel e fontibus revelationis derivare intendunt.

III. *Canonistica*

1. Valde desideranda est simplificatio quam maxima Legislationis Ecclesiae in hoc sensu, ut leges pro universali Ecclesia praeprimis e gravitate materiae et necessitate unitatis Ecclesiae instituantur.

2. Codex Iuris Canonici ad terminologiam uniformem accommodetur, quae terminologia quoque pro omnibus fori interni causis adhibeatur.

3. Concedatur translatio *C.I.C.* in linguam vernaculam, quae versio non authentica sit.

4. Generalis et unica supputatio temporis fiat fixa pro universa Ecclesia.

5. Soli illi nominentur clerici, qui sacrum sacramentum ordinis, a diaconatu incipientis, recipiunt.

6. Sacri canones de iuribus, privilegiis, officiis clericorum (canones 118-144) examinentur, in quantum opportunum sit eos nostris temporibus pro idonea pastorizatione accommodari.

7. Omnia munera clericalia commutentur in officia, quia adhuc vigentes distinctiones *C.I.C.* non iam correspondent cum situatione, saltem in nostris regionibus inventa. Congrua sustentatio solummodo casibus rarissimis bonis beneficii praestatur.

8. Quoad reductionem ad statum laicalem ad normam can. 215 caput metus ab extrinseco retineatur, sed canon citatus extendatur ad alia capita, v. g. ad metum ab intrinseco, ad morbidam labilitatem ethicam, aliaque capita enumerate determinanda. Abrogetur ratihabitio per liberum exercitium ordinis. Dictae rationes quoque pro reductione ab auctoritate peracta valeant.

9. Ad promovendam unitatem ecclesiasticae vitae pro certis regionibus celebratio conciliorum plenariorum et provincialium urgenda sit.

10. Augeatur numerus consultorum Sacris Congregationibus Romanis adscriptorum e gremio Episcoporum residentialium sumptorum, qui data occasione tamquam consultores correspondentes vota sua ferant.

11. Amplificentur facultates Episcoporum pro eorum officio vigilantiae super cuiusvis generis instituta ecclesiastica.

12. Desideratur abrogatio inamovibilitatis parochorum, saltem in eo sensu, ut Episcopus eos eodem modo quo contra parochos procedere possit, amovere possit. Capita autem, e quibus usque adhuc Episcopus contra parochos inamovibiles procedere potuit, insuper amplificanda sunt.

13. Ampliores facultates Episcopis concedantur ad sublationem vel

commutationem domorum religiosorum, v. g. e non impletis condicionibus vel mandatis aut ex essentialibus curae animarum desideriis.

14. Lucidius describatur positio et ius sacerdotum in domibus congregationum laicalium.

15. Clausura papalis ambitum clausurae episcopalis non transgrediatur.

16. Exclaustratio et saecularizatio in omnibus congregationibus laicalibus iurisdictioni Episcopi subdatur.

17. In locum votorum sollemnium et simplicium solummodo vota mere publica cum effectibus impedientibus, et non iam dirimentibus introducantur; et quoad paupertatem inhabilitas acquirendi, si casus fertur, in constitutionibus statuatur.

18. Dicatur aliquid:

a) de actione laicorum catholicorum;

b) de actione catholica tamquam participatione hierarchiae ecclesiasticae in ordine executionis tantum.

19. In periculo mortis (non tantum in articulo mortis) concedatur unicuique sacerdoti facultas conferendi sacramentum sacrae confirmationis.

Si casus fertur, concedatur quoque facultas benedicendi sacrum oleum, si nullum aliud oleum ab Episcopo consecratum haberi potest.

20. Concedatur facultas verae concelebrationis:

a) pro communitatibus presbyterorum, maxime eorum, qui ad missam conventualem sunt obligati;

b) pro conventibus, in quibus plures sacerdotes conveniunt.

21. Simplificetur lex ieiunii Eucharistici hac mente, ut lex pro sacerdotibus assimiletur legi pro laicis:

Rationes:

a) simplificatio legis generaliter;

b) difficultates, quae pro sacerdotibus bis vel ter celebrantibus adsunt vel e sacris missis praedicatione diutius durantibus oriuntur.

22. Iurisdictio audiendi confessiones non ad territorium propriae Dioecesis limitetur, sed hoc modo extendatur, ut unusquisque sacerdos a proprio Ordinario loci approbatus ubicumque terrarum audiendi confessiones habeat facultatem, nisi ea a proprio Ordinario suo sit limitata.

23. Reservatio omnium peccatorum abrogetur.

24. Si status clericalis reducitur solummodo ad sacramentum ordinis, tonsura et gradus minores necnon subdiaconatus, si retinentur, illis conferantur, qui non intendunt recipere s. sacramentum Ordinis.

25. Etiam Ordo diaconatus independenter conferatur ab intentione, utrumne ordinatus velit fieri sacerdos.

Respectu ingentium necessitatum in missionibus et in terris in quibus adest persecutio permanens Ecclesiae, obligatio caelibatus nec ante nec post diaconatum receptum imponatur illis, qui ad sacerdotium promoveri non intendunt.

26. Statuendae dies ordinationis, quae pro Dioecesi sunt favorabiliores ratione facultatum plenitudini Episcoporum addantur.

27. Impedimenta matrimonialia minoris gradus (excepto crimine cum attentatione matrimonii) abrogentur.

28. Quoad canonem 1082 § 1 terminus « societas permanens » declaretur.

29. Deliberetur, an rationes seriae adsint, utrumne error qualitatis in persona extendatur etiam ad dolum et ad tales defectus, qui maxime a matrimonio ineundo absterrere solent.

30. Sublevetur reservatio reductionis, moderationis, commutationis ultimarum voluntatum ad normam can. 1517, ut enim Episcopus potestate sua ordinaria in his casibus semper agere possit.

31. Obligatio iurisiurandi et pro officiis suscipiendis et in processibus restringatur, in processibus iusiurandum de veritate dicenda, scl. in initio processus abrogetur.

32. Perpendatur, quomodo processus in II Instantia celerius tractari possint ratione salutis animarum. Forsitan hi processus non exclusive apud Tribunalia Metropolitana tractentur, et id propter inopiam Iudicum vel copiam causarum.

33. Commutentur excommunicationes minoris gradus, qui non sublevant qualitatem membri Ecclesiae, in interdictum personale vel in aliam censuram.

34. Ii, qui baptismum non in Ecclesia catholica receperunt, vel nunquam ad eam conversi sunt, non praesumantur haeretici formales.

35. Censurae maxime reducantur, scl. ad pauca specialia delicta gravissima restringantur et praeter paucas exceptiones reserventur, si omnino necessarium est, solummodo Ordinario loci. Retineantur censurae, quae spectant ad delicta omnino occulta, attamen nemini reserventur. Etiam pro censuris, quae spectant ad delicta non occulta et quae impediunt receptionem sacramentorum, in foro interno sacramentali et pro foro interno tantum nulla iam habeatur reservatio, ita ut paenitens ibi, ubi nec delictum notum nec ipse notus est, sacramenta frequentare queat; attamen hisce in casibus imponatur sub poena reincidentiae recursus ad forum externum vel ad forum internum non sacramentale (ad Sacram Poenitentiariam), si agitur de delictis quodammodo occultis.

36. Serio examini subiiciatur, an pro iis, qui non in Ecclesia catholica

sunt baptizati vel ad eam conversi, urgeri debeant leges mere ecclesiasticae, quibus de iure subiiciuntur.

37. Quia ex praxi constat legem de libris prohibitis nec observari nec moraliter observari posse, revideatur legislatio in hac materia.

IV. *De Sacra Liturgia restauranda*

A) *Generalia*:

1. Sacri ritus ac textus ita ordinentur ut:

a) actiones sint perspicuae etiam fidelibus in historia cultus minus edoctis; quapropter tum actiones aequales pluries iterandae vitentur tum actiones mere ex analogia receptae eradicentur;

b) orationes deprecatoriae, quae relationem directam ad obiectum benedicendum habeant, nec in eis sensus mere communis exprimatur nec iterentur; orationes, quae et collectae nominantur, tamquam conclusiones precum Deo oblatarum unico tantum numero adhibeantur; ubi vero plures orationes in libris liturgicis continentur, e. gr. post Litanias aut aliquando in formulis Pontificalis et Ritualis Romani, ad libitum una specifica formula eligi possit;

c) sensus et finis verborum in orationibus subsequentibus expressus interiectionibus postea appositis interdum interrumpitur, quare tales appositiones aut elimentur aut in locum magis idoneum transferantur.

2. Quoties textus liturgici non continent « formam sacramenti » sed potius actionem liturgicam interpretant aut laudes nomine Ecclesiae Deo exhibent aut preces totius populi fidelis exprimunt, lingua vernacula recitentur, ne plebs Dei sancta tali alimento pro vita religiosa et spirituali careat.

3. Celebrans seu Officiator ne teneatur secrete recitare eos textus, qui a ministris sacris et lectoribus necnon a schola cantorum aut ab omnibus adstantibus fungendo muneribus in liturgia eis competentibus clara voce recitantur vel cantantur.

B) *Specialia*:

1. Quoad Calendarium:

a) Dominicae omnes evehantur ad ritum duplicem II^{ae} classis;

b) Festa duplicia maiora ad ritum duplicem redigantur; exceptiones quoad psalmos feriales in istis festis ne ulterius admittantur;

c) Pro omnibus feriis maioribus indulgeatur facultas sumendi ad libitum sacerdotis Missam et Officium de Feria, exceptis festis I^{ae} et II^{ae} classis;

d) Nova Festa Sanctorum ex gravissimis tantum causis ad universalem Ecclesiam extendantur;

quoad Festa Sanctorum adhuc in universali Ecclesia celebrata investigetur, quaenam cum aliis similibus in eodem die componi, quaenam ad festa particularia redigi possint.

2. Quoad Missale Romanum:

a) Pro missa ut aiunt catechumenorum indulgeatur usu linguae vernaculae in missis cum activa assistentia fidelium celebratis;

b) Constituatur pro Dominicis cyclus pericoparum, in quo spatio trium annorum S. Scriptura populo proponatur;

c) Inserantur in missis pro fidelium assistentia destinatis ante offertorium preces ad casum adaptandae, quae et « oratio fidelium » nominabantur;

d) Desideratur formula propria Praefationis pro tempore Adventus; item variae formulae pro Dominicis infra annum;

e) Transferatur « Memento vivorum » post Consecrationem, ita ut fiat una oratio cum « Memento Mortuorum », ne sensus orationum ante Consecrationem, quae commendationem sacrificii in unitate cum Summo Pontifice atque Antistite exprimunt, interrumpatur;

f) Doxologia in fine Canonis aut clara voce dicatur aut cantetur sollemniter et genuflectio fiat dicto scl. cantato « Amen »;

g) Oratio « Libera nos » post « Pater noster » dicatur clara voce vel cantetur in tono orationis ferialis;

h) « Confiteor, Misereatur et Indulgentiam » in initio missae iam recitatae ante distributionem S. Communionis ne iterentur;

i) Antiphona ad Communionem dicatur in missis lectis durante purificatione;

k) Missa finiatur benedictione peracta et additiones omnes abrogentur.

3. Quoad Breviarium:

a) Munus quotidianum Officii Divini adaptetur tum negotiis laboris apostolici in vinea Domini tum necessitatibus vitae sacerdotalis; ideoque:

1) Officium matutinum redigatur ad unum Nocturnum trium psalmorum cum tribus lectionibus, quarum prima e scriptura currente, secunda e scripturis patrum vel e vita Sanctorum, tertia ex homiliis ad Evangelium, quod per totum legatur, sumatur;

2) Prima et Completorium dicantur ad libitum, pro ceteris horis minoribus componantur novae formulae breves et immutabiles, ut tales etiam inter occupationes diei hora competente recitari possint;

3) Pro recitatione privata indulgeatur usus linguae vernaculae;

b) Psalmi minus intelligibiles melius in scriptura currente legantur quam more orationis recitentur, et id praeprimis respectu christianae devotionis.

4. Quoad Pontificale Romanum:

a) Formula consecratoria in sacramento ordinis non tamdiu quoad temporis intervallum a manuum impositione separetur;

b) Ritus in dedicatione tum Ecclesiae tum Altaris abbrevietur atque simplificetur.

5. Quoad Rituale Romanum:

a) Componatur nova formula pro baptismate parvulorum, in qua antiquus ordo catechumenatus non continetur;

b) Componatur nova formula pro baptismate adultorum, in qua sacri ritus per aliquot temporis spatium distribuantur.

His autem omnibus bene perpensis devotissime Sanctitatis Vestrae Benedictionem Apostolicam implorans et felici occasione fruens, me profiteor

Sanctitatis Vestrae
oboedientissimum

✠ IOANNEM POHLSCHNEIDER
Episcopum Aquisgranensem

2

EXC.MI P. D. IOSEPHI FREUNDORFER
Episcopi Augustani (Augsburg)

Eminentissime Princeps,

Si omnes illas, quae in Ecclesia habebantur, celeberrimas Synodus consideraverimus, inveniemus eas imprimis in magnis fidei veritatibus et vitae christianae legibus et institutis, eodemque modo etiam in minoribus et saepe minimis rebus, quae in vita christiana vel in iure ecclesiastico vel in sacra liturgia instituenda, defendenda, confirmanda, inculcanda, reformanda erant, versatas esse.

Si ita in omnibus Ecclesiae matris nostrae temporibus evenit, ut illae Synodi tamquam lucernae in caliginoso loco in mundum et in tempora moresque hominum lucem emitterent, tum in nostris temporibus tot calamitatibus, totque tenebris totque erroribus impletis atque tantopere lucernis verae lucis privatis summae videtur esse necessitatis, ut haec Synodus futura, cuius Sanctitas Sua Spiritu Sancto afflante consilia animo

proposuit et quam ut universa Ecclesia praeparet ordinavit ita habeatur eamque formam accipiat, ut Ecclesia in hoc mundo hominum de aeternis rebus fluctuantium et labantium et partim magno desiderio ad Ecclesiam spectantium sicut petra in mari, sicut civitas in monte posita longe lucem emittens appareat et ut historia in temporibus venturis diiudicare possit illam Ecclesiam, quae a Christo tamquam columna veritatis instituta est, munere suo aeterno satis et gloriose functam esse.

Ideo opportunum mihi videtur, ut in sacra Synodo futura imprimis de magnis fidei nostrae veritatibus et legibus agatur, et maxime de iis, quae in nostris temporibus dubiis circumveniuntur, itemque de iis, quae ad salvandum mundum magno pondere annuntiari necesse est. Aliquas harum veritatum referam:

1. Necessarium mihi videtur, ut sacra Synodus *dogma de Deo Creatore,* quod a marxismo et bolcevismo negatur, praeclare confiteatur et ut inculcet hanc primam omnium veritatum minime a scientiis naturalibus, quae in nostra aetate admirabillime progrediuntur, non solum non revinci, sed econtra magis magisque inventis semper novis creati mundi pulchritudinibus et mysteriis confirmari. Haec thesis magna per peritos viros et doctos praeparatione indiget.

2. Huic professioni fidei in Deum Creatorem eiusque laudi Concilium Ecclesiae etiam professionem eodem modo sollemnem fidei et caritatis in *Iesum Christum, filium Dei et salvatorem mundi,* addat. Haec professio mihi duplici ex causa necessaria et pro nostris temporibus efficax videtur: primo, quia homines huius saeculi nimis in rebus huius mundi versantur et minus redemptionem per deum pro nobis crucifixum quam redemptionem per sua ipsorum opera et inventiones et progressus quaerere et sperare solent; secundo, quia Iesus Christus, eius divina vita et sacerdotale in cruce opus imprimis vinculum fieri potest, quod omnes in illo uno omnium Domino et rege unire potest. Sic appareat et fiat Ecclesia, quae Christi crucem mundo tenet, « thronus gratiae », ad quem omnes accedunt.

3. Agatur item in sacra Synodo de *evangelio sociali,* quod per Christum Deum in hunc mundum venit. Illae celebres doctrinae, quae in encyclicis Pontificum a Leone XIII usque hodie ex principiis in evangelio datis deductae sunt quaeque maxime ad populorum salutem et ad ordines societatis humanae fundamenta ponere possent, dilucide de hoc foro supremo Synodi annuntiandae videntur; nam adhuc nimis negliguntur.

4. Summae necessitatis mihi videtur, ut doctrina evangelica de *matrimonio,* de eius sacramentali sanctitate, de eius indissolubilitate, de eius puritate maxima virtute denuo exponatur, ita ut indubitatum et

clarum fiat Ecclesiam Christi in hac veritate, in qua salus et valetudo populorum et valetudo familiae et societatis humanae ipsius fundatae sunt, minime et numquam de legibus naturae et Dei deflexuram esse.

5. In *rebus philosophiae* mihi opportunum videtur, ut sacra Synodus denuo alta principia philosophiae perennis profiteatur, non rigide, sed dicam ita, ut progressus novarum cognitionum ius suum habeat et philosophia christiana veris cognitionibus methodisque humanarum investigationum et intelligentiarum aperta sit, sed ita tamen, ut summum ius summaque potentia rationis humanae, quae est imago Dei et dignitas summa hominis naturalis, firmiter statuatur fiduciaque in rationem tamquam veram ductricem confirmetur et contra omnes errores ex irrationalismo, vitalismo, existentialismo emanantes, qui nimis homines in rationis potentiam diffidentes reddunt, defendatur.

6. Agatur de conceptu *traditionis ecclesiasticae,* quae est verus fons fidei, et de eius relatione ad Scripturam sacram.

7. Lingua liturgica et lingua ecclesiastica *lingua latina* maneat. Quanto plures et varii populi sunt, in quibus Evangelium Christi accrescit, tanto maius desiderium fit, ut verbum Dei etiam in liturgia missae in idiomate nativo a fidelibus audiatur, sed eo magis etiam necessitas augetur, ut tota Ecclesia in usu unius linguae in unitate concludatur et ad patriam Romanam affigatur. Ex quo sequitur, ut in missa, quoad verbum Dei annuntiatur (usque ad Credo, imprimis in Epistola et in Evangelio) usus linguae indigenae permittatur, sed ut in mysterio missae ipso lingua latina praescripta maneat.

Necessarium mihi videtur, ut in scholis clericorum ecclesiasticorum studium linguae latinae magis magisque colatur, quanto plus in his temporibus artibus et scientiis technicis deditis fuga linguarum antiquarum deminuitur. Damnum magnum est, quod ex inscientia linguae latinae etiam in clero ecclesiastico studium patrum et magnorum scriptorum praeteritorum saeculorum, itemque amor Vulgatae et Breviarii latini et liturgiae diminuitur. Sacra Synodus legem ferat, ut in alumnatibus, in quibus futuri sacerdotes educantur, peculiaris instructio et exercitatio in lingua latina instituatur.

8. Ut *ordines sacri,* etiam ordines saltem minores, ad statum laicum extendantur, id quod a nonnullis discutitur, mihi non opportunum esse videtur. Quod ordines ad statum clericalem restringebantur, ex sapientia et experientia Ecclesiae ita factum est. Scandala augerentur. Sacramentum ordinis pro laicis, qui ad actionem catholicam accedunt, sacramentum *confirmationis* est. Sed ego et ipse puto pensitandum esse, an non laicis, qui cum amore et studio praecellenti operibus actionis catholicae sese dedunt et qui desiderium specialis consecrationis ad hoc opus habent,

ritus missionis alicuius solemnis concedatur, in quo mandatum ecclesiae speciali modo accipiant et votum quoddam fortiter et perseveranter serviendi Ecclesiae etiam publice dent.

9. Deliberandum esse videtur, an *potestas episcopi* in nonnullis rebus augeatur, exempli gratia in vigilantia super congregationes et communitates, quae iuris episcopalis sunt.

10. Deliberandum esse videtur, an non *amovibilitas parochorum,* quae in canone statuitur, aliquantum minuatur. Adhuc in detrimentum animarum interdum nimis difficile est parochum, qui muneri suo parum satisfacit, immo vero damnum verae curae apparet, amovere.

11. In magna sacerdotum inopia, quae in omnibus mundi partibus perscrebrescit, deliberandum videtur, an non statutum canonis, ut *sorores* congregationum in unaquaque hebdomada *confessionis sacramentum* accipiant, ita mutetur, ut aut canon confessionem post duas hebdomadas praescribat, aut episcopo ius concedatur in casibus specialibus idest in omnibus casibus, in quibus sacerdotes propter copiam sororum nimium temporis impendere debent, confessionem post binas semper hebdomadas faciendam permittendi.

Cum omni qua par est modestia has animadversiones Eminentiae Vestrae humillime praebeo. Intimo corde desidero et in omnibus orationibus semper deprecor, ut sacra Synodus, hoc vere maximum in hoc saeculo multis tenebris obscurato opus Ecclesiae Christi, optime elucescat et eo, id quod desideramus, perducat, ut omnes splendorem Ecclesiae videant et in unum ovile patrium reducantur.

Ad hoc pergrande opus, quod Sanctitas Sua Vobis, Eminentissime Princeps, praeparandum mandavit, Eminentia Vestra vota mea precesque ad Deum Vos adiuvantes benigne accipere dignetur.

Purpuram osculans sum Eminentiae Vestrae

humillimus servus
✠ IOSEPH FREUNDORFER
Episcopus Augustanus

Augustae Vindelicorum, die 29 m. aprilis 1960.

3

EXC.MI P. D. IOSEPHI SCHNEIDER
Archiepiscopi Bambergensis (Bamberg)

Prot. N. 1 C/59-188 Bamberg, 29 aug. 1959

Eminentissime Princeps,

Votis et mandatis Summi Pontificis feliciter regnantis, quae Eminentia Vestra mihi litteris de die 18 iunii 1959 significavit, obsecundans, in adiectis foliis ea propono, quae iudicio meo in futuro Concilio Oecumenico tractari forsan poterunt.

Dum Eminentiae Vestrae, necnon laboribus praeparando Concilio insumendis gravibus uberes Divini Cordis benedictiones adprecor, me profiteor

in osculo Romanae Purpurae
Eminentiae Vestrae
devotissimus in Christo

✠ IOSEPHUS SCHNEIDER
Archiepiscopus Bambergensis

Proponenda circa disciplinam cleri et populi christiani, praesertim circa « l'aggiornamento del Codice di Diritto Canonico » (A.A.S., 51 [1959] 68).

I. Titulus *de verborum significatione* Codici inserendus esse videtur ad sensum verborum melius intelligendum explanandamque melius connexionem totius Codicis. Cf. Motu proprio de religiosis, de bonis temporalibus et *de verborum significatione* pro ecclesiis orientalibus, *A.A.S.* 44 (1952) 65 ff.

II. Cum ad normam can. 87 « *baptismate* homo constituatur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum iuribus et officiis... », controversia aliqua exstitit inter auctores scientiae iuris canonici et theologiae dogmaticae circa modum quo homo membrum istius societatis ecclesiasticae fiat. Alii quidem dicunt fundamentum personalitatis in Ecclesia esse characterem indelebilem ideoque ipsos haereticos et schismaticos, sive in secta haeretica vel schismatica baptizati fuerint, sive postea ad eam defecerint, vi characteris baptismalis ad Ecclesiam

catholicam vere pertinere (ut aiunt « durch konstitutionelle Gliedschaft »). Alii econtra negant esse duplicem modum pertinentiae ad Ecclesiam (quem dicunt « konstitutionelle untätige Gliedschaft »), cum in Encyclica *Mystici Corporis Christi* statuta sint haec: « In Ecclesiae autem membris reapse ii soli annumerandi sunt, qui regenerationis lavacrum receperunt veramque fidem profitentur, neque a Corporis compage semet ipsos misere separarunt, vel ob gravissima admissa a legitima auctoritate seiuncti sunt » (*A.A.S.*, 35 [1943] 202 f.). Quare relate ad obligationes imprimis baptizatorum firmandas nova aliqua enucleatio huius canonis valde desideranda videtur.

III. Cum in Epistula ad Eminentissimum S. Congregationis de Religiosis Praefectum S. S. Papa Pius XII enixe dixerit oportere religiosos « omni ope atque opera eniti, ut sacrae Instituti sui leges non acervus externarum aut inutilium regularum appareant..., sed totidem supernae virtutis instrumenta reapse sint » (*A.A.S.*, 43 [1951] 25), curandum videtur, ut praesentibus necessitatibus respondeatur etiam quoad *formam habitus* (can. 596).

IV. Quoad ius matrimoniale *Codicis Iuris Canonici* haec capita reformanda videntur:

1) Commutandum impedimentum *criminis* adhuc dirimens in formam impedimenti *impedientis* (can. 1075): cum impedimentum hoc non sit vera et proprie dicta poena medicinalis vel vindicativa, iure novo certum est ignorantiam huius impedimenti non excusare. Cum econtra non baptizati non obstringantur hoc impedimento, interpretatio difficultatibus multis subiecta est; etenim, quoad matrimonia inter baptizatos et non baptizatos contracta, *pars non baptizata* in casibus adulterii cum promissione matrimonii aut adulterii cum attentatione matrimonii aut coniugicidii communiter patrati semper et ipsa adstringitur; attamen in casu adulterii cum coniugicidio impedimentum non exsistit, dummodo pars non baptizata occisionem patraverit *sola* sine vera et mutua alterius cooperatione.

Cum autem insuper crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, etiam per civilem tantum actum facta, sit *impedimentum minoris gradus* (can. 1054), commutatio haec facilius admittenda videtur.

2) Idem dicendum videtur de *cognatione spirituali,* eo magis, quod secundum can. 70 Iuris matrimonialis pro Ecclesia Orientali hanc spiritualem cognationem ex baptismo *non contrahit cum baptizato baptizans.*

3) Idem dici oportere videtur de *impedimento affinitatis,* super cuius gradibus in linea collaterali dispensationes dantur facilius et mitio-

ribus de causis deque secundo gradu dispensari potest, uti legitur in rescriptis S. Congregationis de Sacramentis, ob solas iustas et rationabiles causas a Sancta Sede probatas. Insuper animadvertendum hoc in casu impedimentum minoris gradus esse ac proinde pro ipso valere praescriptum can. 1054.

4) Idem dicendum videtur quoad *impedimentum publicae honestatis.* Si enim vir et mulier vivunt in concubinatu, sed ab omnibus habentur ut veri coniuges, interpretatores Codicis non in idem conveniunt; ex parte immo censent nupturientes tales non ligari impedimento publicae honestatis, quia concubinatus non erat *publicus et notorius.* Cum ergo interdum concubinatus nec ut *verus* nec ut *publicus ac notorius* dignosci possit et impedimentum, stante controversia, saltem sit dubium et practice *nullum,* donec ex can. 1014 contrarium probetur, curandum videtur, ut haec difficultas minuatur.

5) Quod autem spectat ad *impedimentum disparitatis cultus,* quae secundum can. 1070 perfecta est inter partem baptizatam in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi vel schismate conversam, et partem non baptizatam, commutandum videtur in *impedimentum exsistens inter partem baptizatam simpliciter* et partem non baptizatam. Cf. Epist. Benedicti PP. XIV *Singulis Nobis,* diei 9 febr. 1749 et Motu Proprio Decretum *Ne temere* Pii PP. XII diei 1 augusti 1948, quo decernitur ac statuitur simpliciter *omnes* in Ecclesia catholica baptizatos teneri ad canonicam matrimonii formam servandam.

6) Quod autem attinet ad *structuram hierarchicam matrimonii christiani,* « in iis... quae propria sunt personae ac dignitatis humanae..., profecto uterque coniux eodem omnino iure gaudet eodemque debito tenetur; in ceteris, inaequalitas quaedam et temperatio esse debet... Auctoritatis publicae est, civilia uxoris iura ad huius temporis necessitates et indigentias aptare... modo etiam *essentialis ordo societatis domesticae incolumis* maneat » (Pius PP. XI, *A.A.S.,* 22 [1930] 568). Desideratur, ut aliqua *summa concisa* huius doctrinae Codici ob praesentes agitationes inseratur.

V. Cum censura librorum eorumque prohibitio per se libros libellosque solos respiciat, optandum est, ut circa nova cinematographica spectacula canticis sermonibusque interserta et radiophonicas diurnorum actorum communicationes et televisiones novae quaedam saltem generales normae Codici aeque ac iuste inserantur.

VI. Loco beneficiorum reservatorum, quae vacaverint per obitum, promotionem, renuntiationem et translationem familiarium, statuantur praestationes Dioecesium singularum annuae. Cf. propositiones Innocen-

tii PP. III ad Concilium oecumenicum XII. H. Jedin, *Kleine Konziliengeschichte,* Freiburg 1959, 49.

VII. Canone 2318 § 1 agitur de libris compositis non ab hebraeis, infidelibus, sed ab apostatis, haereticis et schismaticis iuxta traditas definitiones. Cum autem pericula immineant fidelibus a libris quorumcumque auctorum impiorum contra fidem de industria certantium, canon hic reformandus videtur.

VIII. Quoad adnotationem collati baptismi ad normam can. 778, quae ex litteris S. Congregationis Concilii de die 31 ianuarii 1927 fieri debet in libro baptizatorum tum loci baptismatis tum domicilii baptizati, desideratur ut haec duplex adnotatio evitetur.

Ratio est: Haec duplex adnotatio ansam praebet difficultatibus in adiungendis notis posterioribus de susceptione ordinis sacri, professione sollemni, matrimonio contracto; nam facilius evenire potest, ut hae notae in uno solo librorum fiant, testimoniales litterae forsan dandae autem ex altero depromantur.

IX. Nova redactio et Caeremonialis Episcoporum et Pontificalis Romani desideratur.

Proponenda circa capita Doctrinae

Permulti sane errores hominum huius aetatis sunt de propria ipsorum natura quibus dignitatem generis humani detrectant. Necessarium videtur catholicos ab istis erroribus tueri eos reprehendendo et damnando. Qua in re exemplo esse possunt syllabi Pii IX et Pii X, quibus doctrina vera iterum atque iterum explicatur erroribus contrariis damnatis. Errores huius aetatis praecipui de homine ipso eiusque natura hi videntur.

I. Errores systematibus philosophicis fere communes:

1) Homo ens finitum quidem et praeteriens neque imago neque creatura Dei est.

2) Homo nil aliud est nisi summa actuum inter se connexorum. Non convenit ei esse permanens, quia neque persona neque substantia est. Qua de causa immortalis dici non potest.

3) Iura et humanae naturae dignitas homini nato, non vero nascituro conveniunt; quare foetui concepto nec ius vitae attribuendum est.

4) Vir et mulier non solum dignitate sed iuribus etiam pares sunt; quapropter hierarchia matrimonii neganda.

II. Errores materialismi dialectici (Diamat):

1) Quia actus hominis qui « spirituales » vocantur revera eventibus materialibus producuntur, homo non essentia sed secundum gradum tantum ab aliis animalibus distinguitur.

2) Homo nec legem naturae nec Dei existentiam naturali rationis lumine cognoscere potest; quare veritatis et iuris norma deest.

3) Homo determinatur bonis materialibus, quibus societas ipsa producitur; quare non potest seipsum determinare neque liber est.

4) Homo nec individuum nec persona, sed mere ens sociale et collectivum est.

III. Errores existentialismi:

1) Hominis existentia est radix essentiae propriae; quare se ipsum quoad essentiam determinat.

2) Nec veritas nec norma legis ab homine cognoscitur. « Veritas », quae dicitur, non valet nisi individuo ipso.

3) Nulla lege homo obligatur; quare quod libet, licet; ipse sibi norma legis est.

4) Homo ens individuale tantum, non vero sociale.

Proponenda circa « actuositatem multiplicis generis qua hodie ecclesia tenetur sive negotia maioris momenti, quae eadem ecclesia obire hodiernis debet temporibus ».

I. Inter actuositatem, qua ecclesia hodiernis temporibus tenetur, et inter negotia maioris momenti, quae obire debet, recenseri debent:

1) *Maior actuositas laicorum* catholicorum urgenda

a) quoad obligationes erga familiam propriam,

b) quoad cooperationem in paroecia,

c) quoad vitam publicam,

d) quoad formationem moderatorum aptorum.

2) Maior influxus christianus exercendus in hodierna *media communicationis* (sicuti sunt prelum, ephemerides — etiam illustratae —, libri, radiophonia, cinematographia, televisio).

3) Incrementum *vocationum sacerdotalium et religiosarum.*

4) Introductio laicorum in problemata *missionum exterarum,* i. e. apud laicos conscientia de obligatione laicorum erga missiones exteras et cura studiosa de quaestionibus socialibus in mundo solvendis promovendae sunt.

II. Negotia autem maioris momenti supra enumerata obeunda evadunt propter varios influxus, de quibus haec notentur:

1) *Relativismus,* qui veritatem absolutam non iam agnoscit quique sequentibus peccare videtur:

a) Aequiparatione doctrinae ecclesiasticae cum quibuslibet aliis confessionibus seu doctrinis;

b) Parvipendendo valorem rerum religiosarum comparatione facta cum successibus technicis;

c) Coniunctim cum lit. *b*) immodica aestimatione cuiuscumque progressus technici et luxuriosi quam maxime vitae tenoris;

d) Nimia, quod attinet educationem, aestimatione traditionis rerum scibilium; defectu formationis moralis adolescentium ad normam dignitatis « personae christianae »;

e) *Ruina veri sensus familialis* effecta eo, quod mulieres se a *maternitate* « emancipaverint » et viri a vera *paternitate* in favorem relationis cuiusdam collegialis falsi nominis defecerint.

2) *Nationalismus* adhuc perseverans in nimia aestimatione populi et sanguinis.

3) *Segregatio singulae cuiusque classis socialis* ab aliis civibus:

a) aut in forma arrogantiae classis proletariorum consulto provocatae;

b) aut in forma « *Rotary* » aut similium associationum.

4) *Penetratio* mundi liberi, quae *doctrina marxismi* (cultura mere citra-mundana) fit.

Bambergae, die 29 augusti 1959.

✠ IOSEPHUS SCHNEIDER
Archiepiscopus Bambergensis

4

EM.MI P. D. IULII CARD. DOEPFNER
Episcopi Berolinensis (Berlin)

Berolini, die 6 novembris 1959

Eminentissime Princeps,

Propositiones hic appositae pro *Concilio Oecumenico* a Sanctissimo Domino tam feliciter annuntiato conspectum intendunt praebere de Ecclesia in dispersione et oppressione posita, et quo modo eius necessitatibus apte provideri possit.

Deductiones proinde ex analysi huius conditionis, quae in libello instituitur sub litteris « A » et « B », inveniuntur sub titulo « Propositiones » in littera « C ». Ad hoc caput attentionem Eminentiae Vestrae Rev.mae dirigere cum omni obsequio mihi liceat.

Forma duplicis Appendicis puncta notatu digna exposui circa restaurationem s. Liturgiae et emendationem Codicis.

Adsit uberrima gratia Spiritus Sancti Eminentiae Vestrae Rev.mae

in arduo profecto munere colligendi ex tot libellis ea quae Ecclesiae peregrinanti proficiant.

Vestrae Eminentiae Rev.mae in assiduis precibus pro unitate et salute Ecclesiae ex corde coniunctus, remaneo significans altam venerationem ac aestimationem

Eminentiae Vestrae in Domino addictissimus
servus verus

✠ IULIUS Card. DOEPFNER
Episcopus Berolinensis

A) PRAENOTANDA

I

Sanctissimus Dominus Ioannes Papa XXIII in Encyclicis Litteris *Ad Petri Cathedram* de die 29 iunii 1959 haec agenda futuri Oecumenici Concilii nominat:

1) religionis res graves;
2) Fidei catholicae incrementum;
3) populi christiani morum recta renovatio;
4) ecclesiasticae disciplinae accommodatio ad necessitates rationesque nostrorum temporum;
5) mirabile veritatis unitatis caritatisque spectaculum, quod sit suave invitamentum ab Apostolica Sede seiunctis ad quaerendam unitatem quam Iesus Christus a Caelesti Patre flagrantibus precibus rogavit.

II

Quo distinctius exarentur negotia futuri Concilii his lineamentis a Summo Pontifice descripta, singulorum Ordinariorum universi orbis erit exponere:

gravamina quae religioni ac incremento Ecclesiae in suis territoriis officiant;

necessaria vel utilia media, ut doctrina et disciplina ecclesiastica accommodetur ad huius temporis necessitates.

Dum in Conciliis hucusque celebratis magis refutatio haeresis stricte dictae praevaluisset, futurum Concilium respiciet potius *mundum spiritu huius saeculi imbutum* ideoque inimicum Deo, Christo, Ecclesiae. Huius conditionis memores Ordinarii igitur themata, argumenta, desideria exponent. Certe viri periti ad hoc munus a Sancta Sede electi examini

subiicient quo modo hae propositiones se habeant relate ad traditionem Ecclesiae necnon quo modo argumenta in Concilio Vaticano iam proposita at nondum tractata denuo resumantur et ulteriori evolutioni accommodentur.

B) CONDITIO DIOECESEOS BEROLINENSIS

Ecclesia in nostra dioecesi peregrinatur inter acatholicos, imprimis protestantes, numero multo maiores (*Ecclesia Diasporae*) ac simul — ipsa sede episcopali diro modo in partes adversas divisa — transgreditur confinium territorii sub influxu et potestate *materialismi quem « dialecticum »* vocant constituti. His in conditionibus manifestius apparent consilia adversariorum, intimius perspiciuntur huius temporis quaestiones et problemata, quae pro universa Sancta Ecclesia sat magni momenti esse videntur. Ita forse themata, propositiones, desiderata, quae ex ardua conditione Ecclesiae in diaspora positae oriuntur et simul ex dura experientia fidelium desumuntur, qui pondus dictaturae atheae iam a multis annis sustinent, iuvamina pro illis regionibus suggerent, quae hucusque non vel nondum ita temptantur.

I

In primis dicendum est, quod ea *quaestio,* quae in universo mundo hodie agitatur, apud nos quoque disceptatur, quaestio nempe *de homine,* de dignitate hominis, de limitibus individui eiusque relatione ad societatem.

Autonomia hominis moderni, qui Deo se subduxit atque ad terram se convertens dominium super hunc mundum sibi arripuit in anonymam massam immergitur. Machina non amplius est instrumentum; societas non mutuum consortium; res publica totalitaria iura civium suffocat. Inde oriuntur gravissima pericula quae imminent ipsi homini ac pariter libertati, dignitati, iuri, veritati, maxime familiae. Vana opinio optimistica continui progressus iuxta placita illuminismi penitus percussa est; hinc modus cogitandi existentialismi non paucos fautores invenit.

Aspectus positivus huius conditionis in eo est, quod homo percipit hoc imminens periculum et ideo securum refugium et robur desiderans facilius aurem praebet, licet diverso modo ac gradu, veritati quam Ecclesia praedicat.

II

Ecclesia Berolinensis est *in dispersione* constituta. Novem ex decem civibus ad protestantismum pertinent. Attamen conceptus protestantismi hodie — uti constat — non amplius haereses distincte delineatas

comprehendit, neque unicam communitatem religiosam clare ordinatam; hoc nomine potius multiplices rationes ac regulae subsumuntur, quibus partim etiam nomen sectae conveniret; unum solum — proh dolor — commune est diversissimis denominationibus, negatio nempe Catholicae Ecclesiae.

Periculum quod ex tali dispersione provenit, non tam in possibilitate deficiendi a vera fide videndum est — licet numerosa matrimonia mixta hoc quoque foveant —, quam in spiritu « *christianismi* » *extenuati,* absque clara et distincta regula fidei, « christianismi » sine dogmate. Controversiae doctrinales olim tantopere agitatae hodie minus tangunt turmas protestantium, sed potius tam a theologis quam a moderatoribus communitatum tractantur.

Aspectus positivus: contra impetum vehementem atheismi phalanx communis catholicorum cum protestantibus opponitur. Nec negandum nec exaggerandum est periculum indifferentismi dogmatici; tamen praevalet in hac pugna apud bonos protestantes influxus illius communis haereditatis, quae est fides in Deum, in Iesum Christum eiusque redemptionem.

III

Ecclesia Berolinensis magna ex parte vivit *sub regimine materialismi dialectici.* Etsi hodie ubique terrarum atheismus serpat et materialismus observetur, ea scilicet forma, quae supra omnem modum res materiales, caducas extollit, nihilominus dicendum est: Materialismus dialecticus, qui nobis obicitur, evidenter patefacit et sine restrictione exprimit *spiritum extremae saecularisationis* et in finem ducit theoretice et practice ea principia, quae alibi forsan latent. Sub respectu Ecclesiae notae propriae huius adversarii videntur esse sequentes:

1. Numquam obliviscendum est vim ac robur materialismi dialectici non ponenda esse in atheismo qua tali. *Atheismus est semper ideologia secundaria.* Vis movens in eo est ponenda:

a) Homines imbuuntur idea se esse auctores et dominos novi mundi. Enthusiasmus excedens e. gr. occasione radii pyrii in universum expulsi tamquam affectui pseudo-religioso comparandus est: *homo seipsum ut creatorem* sentit, quia fausta huiusmodi experientia eius in dies crescens dominium supra vires naturae elucidat.

b) Cum iuxta placita huius systematis temporibus elapsis viri paucissimi alios despoliantes dominarentur in operarios fame et nimio labore afflictos, nostris diebus adveniet brevi *paradisus huius saeculi,* paradisus socialismi ope duorum pseudo-sacramentorum, progressus scilicet et laboris.

c) Classis operariorum seipsam — saltem initio evolutionis socialisticae — intelligit tamquam *populum messianicum,* qui universo mundo salutem affert. Etsi in rei veritate haec missio « messianica » minime appareat, attamen, quicumque se totum devovet huic systemati tamquam instrumentum caecum eiusque ideologiam assumit, illi patebit via ad honores publicos et divitias.

Ita quaedam lineamenta *materialisticae « historiae salutis »* adumbrantur, quae de facto nil est nisi diabolica perversio verae eschatologiae christianae.

2. Supposita hac « fide » in virtutem autonomam hominis et hac « spe » quoad futuram formam mundi, melius perspicitur, cur et quomodo *materialismus dialecticus veritatem revelatam neget.* Hic atheismus specie differt ab atheismo v. gr. hominum peritorum in scientiis naturalibus saeculi elapsi, etsi eorum argumenta obsoleta usurpentur discussionis vel divulgationis causa:

a) Creatio mundi et consequenter Deus Creator negantur ex enthusiasmo qui sibi facultatem « creandi » et « redimendi » vindicat. Facta nonnulla ut « principia fundamentalia » quadam « fide » accipiuntur, v. gr. substructio materialis (« materielle Basis ») aeternitas et infinitas materiae, evolutio, methodus dialectica.

b) Cum evolutio non individuo, sed « collectivo » socialistico procreetur, individua *persona fit pars functionis quasi mechanicae.* Proinde anima spiritualis, dignitas personalis, libertas humana tolluntur vel saltem gravi periculo exponuntur.

c) Fundamentum quo omnia omnino nituntur, habetur in basi materiali-oeconomica; insuper omnis evolutio ponenda est in processu oeconomico; inde sequitur, *nullas existere normas aeternas,* obligantes; moralitas dependet a conscientia quam hominum classes de seipsis habent; cultus atque humanitas et his similia intelliguntur ut materiae superimposita (« Überbau »); religio tandem nil est nisi opium populorum.

3. Ubi autem contingat quod talis ideologia norma fiat pro formatione rei publicae, ibi effrenatae tyrannides oriuntur, quae natura sua negative et perverse Corpus Christi mysticum imitantur:

a) loco societatis membris naturali ordine digestis instructae habetur « *collectivum* », cuius membra mere ut functionis partes adhibentur.

b) Pro historia quae libero arbitrio hominum maxime movetur, ac pro historia salutis et divinae redemptionis substituunt *processum necessarium oeconomicum* collectivi.

c) Moderatores factionis communistarum et magistratus plenis-

sima *absolutaque auctoritate publicam rem administrant,* nimia officialium multitudine omnes et omnia rigide in unum cogunt, ita ut homines quoad omnia dependant quasi libertate destituti.

d) Nulla admittitur subiectiva, personalis opinio et actio praeter obligantem *doctrinam factionis;* eadem doctrina excludit aditum ad veritates obiectivas. Qui a linea istius doctrinae deflectere vel declinare vellet, « haeresim » saperet et se exponeret « excommunicationi ».

e) Ideologia sic adumbrata natura sua eo tendit, ut *ad instar religionis* accipiatur, quod lucide probant festa ac sollemnitates pseudo-liturgica. *Nominis impositio* socialistica iam existit, pariter « *consecratio iuventutis* », *matrimonium in facie* « *collectivi* », quibus actis intenditur, ut baptisma, confirmatio, matrimonium in facie ecclesiae evanescat. Cultum religiosum omnino sapit modus quo exaltantur duces ac heroes socialistarum.

4. Inde sequitur pro fidelibus

a) negative:

Vita fidelium inter tot acatholicos et insuper sub pressu systematis totalitarii et materialistici onus grave involvit. Imminens *periculum deficiendi a fide,* admittendi ambiguas formas *compromissi* vel saltem graviter *defatigandi.* Cum haec ideologia, inimica verae religioni, totam potestatem habens, exclusive omnibus mediis communicationis utatur, fideles perturbationi obnoxii sunt. Saepe inscienter *modum loquendi et cogitandi adversarii imitantur,* id quod maxime pueris et iuvenibus accidit.

b) Positive:

Sub tanta vexatione coetus apostolici fidelium oriuntur, qui pro fide gravia detrimenta prompte suscipiunt, profundiorem vitam spiritualem anhelant, actuosam participationem in sacra Liturgia cupiunt. Eas praesertim veritates ab Ecclesia audire desiderant quas adversarius vel negat vel pervertit, id quod valet etiam de iis qui tenuem solum fidem habent aut — licet seiuncti ab Apostolica Sede — nomine christiano censentur.

C) Propositiones

Quae sequuntur propositiones magis sunt, uti iam dixi, vota manantia ex hac nostra conditione. Quaestiones ad *ius canonicum* et renovationem *Liturgiae* pertinentes tamquam *appendicem* apponimus. Ne concilium enim oecumenicum nimia multitudine rerum singularium opprimatur, opportunum forte erit eas tractare extra Concilium, postquam in ipsa Synodo fundamenta posita sunt. Adnotare liceat has vel similes res

methodo — ut ita dicam — conciliari tractari posse, quia hodierna facilitate notitias communicandi, vota et consilia episcoporum sine difficultate exquiri possunt.

I

Ecclesia ut custos legis naturae et praeco revelationis intuitu quaestionum et difficultatum supra descriptarum, *dignitatem hominis* solemniter proclamet. Talis proclamatio fideles catholicos corroboraret; insuper longe ultra fines Ecclesiae homines diversimode aberrantes solidaret, christianos vero seiunctos ab Apostolica Sede et saepe interna securitate destitutos redderet securos. Nec definienda nec diiudicanda censemus multa ea argumenta quae scientiae naturales vel psychologia moderna suppeditant; sufficeret evidentia, Ecclesiam reapse cognoscere fructus huius laboris scientifici.

Potius magna Charta iurium hominis circumscribenda esset ad normam Divinae revelationis ac Traditionis, sed semper respiciendo nostra tempora, quibus homo tantis periculis exponitur ac multifarie subprimitur. Sic re vera fieret, ut seiuncti ab Apostolica Sede, audientes talem proclamationem, suave invitamentum acciperent; proclamaretur etenim illud quod omnibus cordi est qui christiano nomine decorantur, eo vel magis, quo acrius adversarius adoritur.

Anthropologicum « Symbolum » haec continere deberet:

1. Homo est *creatura.* Sic enuntiatur et dignitas et limitatio hominis. Peritorum theologorum erit diiudicare, num hoc loco theoria descendentiae respicienda sit vel commentarium pressum in prima capita libri Genesis detur, simili forse modo, quo Commissio de re Biblica rescripsit anno 1948 Card. Suhard. Puto talem declarationem a permultis grato animo acceptum iri.

2. Homo est *persona,* quia praeditus anima spirituali. Ideo est naturalis imago Dei; inde profluit momentum prorsus singulare quod obtinet homo in universo. Ut persona homo praeditus est *libertate* et destinatus est ad exercitium libertatis.

2. Homo ut creatura et persona ens est *religiosum,* cuius existentia a Deo venit et ad Deum ducit.

Natura sua homo quoque est ens *morale,* ad bonum faciendum ordinatum et legibus conscientiae obstrictum.

4. Non obstante dignitate personae, vel potius propter eam homo ordinatus est ad societatem. Medium locum habet haec veritas inter exaggeratum individualismum et collectivismum, pari modo destruentia dignitatem humanam.

II

Hodierna conditione ecclesia inducitur, ut praeter haec principia legis naturae proclamet dignitatem hominis specifice christianam, i. e. *anthropologiam catholicam.*

Non sufficere videtur simplex refutatio theseum adversarii, quod sint contra legem naturae. Contra diabolicam depravationem ponatur omni suggestu ac vi dynamica, animam intrinsecus movente, quod dignitas *hominis* quaerenda sit in eius *elevatione* ac *redemptione.*

Homo elevatus manet creatura, sed creatura in gratia constituta. Novit seipsum a Deo aeterna caritate amatum; habet aditum ad Patrem et gaudet auxilio, quod in sacramentis praesto est. Membrum est populi regalis-sacerdotalis. Est membrum liberum Ecclesiae, sed pro Ecclesia responsabile.

Talis proclamatio prae oculis habeat imaginem infra delineatam *Ecclesiae ut populi sancti* Dei. Inde laicus in Ecclesia non ex defectu relate ad clericum declarabitur, sed potius ex conditione et missione christiani baptizati ac confirmati.

Simul illa hodie saepius laudata *consecratio* vel formatio *mundi* cui *laicus* se vovere debet, atque participatio ad tria munera Christi (quae ceteroquin immediatam cooperationem apostolatus hierarchici transcendit), enucleanda sunt.

Omnia quae in revelatione deposita sunt *de novissimis* eo vel magis exponenda sunt, cum dominium mundi in technica — oeconomia — scientia simulque perversio in eschatologiam terrestrem tam manifeste appareat; solum ab Ecclesia homo docetur quomodo se mundo devoveat simulque se a mundo abstineat. Neque obliviscendum est praedicationem de novissimis hodie nimis negligi.

III

Conditio supra exposita multifarie provocare videtur distinctam et sapientem enuntiationem Concilii *de Ecclesia.* Inde colligendae erunt applicationes practicae, iuridicae, liturgicae.

1. Veram *Ecclesiam Iesu Christi esse necessariam pro salute omnium* ita exponendum est, ut respiciendo hodiernum indifferentismum omnis periculum erroris aut dubii excludatur. Insuper notetur, Ecclesiam esse « sacramentum originans » (« Ursakrament »), cum in ea verba salutis et gratia Christi praesentia sint.

Distinctis terminis simulque verbis positivis *munera Ecclesiae* exponantur quoad eos, qui vivunt extra eius Corpus visibile, munera ergo

sacerdotalia Ecclesiae *respectu totius mundi.* Hoc propter christianos separatos enixe commendandum est.

Vera igitur Ecclesia nihil antiquius habet, quam reversionem omnium, qui ab ipsa separati sunt; pariter conscia est de eximia responsabilitate ne aliquid omittat, quod in hunc finem servire possit. Ideo, posito fundamento dogmatico, necessarium esse videtur, quod Ecclesia sincere confiteatur, quanto dolore ob lamentabilem separationem afficiatur; quod et ipsa in capite et membris, in pastoribus et grege, defecerit et *propriam culpam* aperte agnoscat.

2. Indubitata fides tenet, Dominum in Ecclesia ordinem distinctum, hierarchiam nempe et populum sanctum Dei statuisse; nunc tandem tempus advenisse videtur, quod praeter structuram hierarchicam ipsa communio totius Ecclesiae, repleta Spiritu Iesu Christi, magis et profundius explicetur.

3. *Dogmatica expositio de Episcopatu* quae in Concilio Vaticano finiri non potuit, in futuro Concilio certo certius continuanda est.

Inde profundior et intimior cognitio Ecclesiae ortum duceret. Sequela quasi sponte manans in optata *decentralisatione* videnda est. Quod adhuc maioris momenti est, si ratio agendi adversarii observatur.

Attamen nullo modo *unitas Ecclesiae* — donum gratissimum largae providentiae — quae hodie praesertim tam necessaria est, in periculum ducatur. *Facutates ergo antistitum* maius pondus in comparatione ad curiam Romanam habere deberent. Praefata decentralisatio locum habere deberet etiam in *curiis dioecesanis,* immo et in singulis paroeciis (e. g. respectu fidelium laicorum). Est etenim remedium contra vitium nostrorum temporum simulque correspondet sanis tendentiis hodiernis (cf. quae supra dicta sunt de collectivismo et nimia multitudine officialium et de aliis gravaminibus [B III/3 c+d]).

4. Contra temptamina adversarii instituendi cultum pseudo-liturgicum *liturgia* Ecclesiae pristinam sollemnitatem cum aequa participatione actuosa fidelium studiose coniungere debet. Mature deliberata et simul magnanima accommodatione Liturgiae ad concretas conditiones diversorum populorum et locorum, unio christianorum, quae quidem erit donum Dei, praeparetur. Restauratio liturgica re vera ut suave invitamentum intelligi debet pro reversione christianorum separatorum.

Singulae Propositiones quoad liturgicas et iuridicas quaestiones inveniuntur in appendice.

APPENDIX I

De S. Liturgia

Christus, magister veritatis, bonus pastor, summus sacerdos etiam in *S. Liturgia Ecclesiae* hoc triplex officium exercet. Quapropter S. Liturgia magni momenti est pro tota Ecclesiae vita.

Ut vere triplex hoc officium melius et facilius efficaciam tam pro cultu divino quam pro cura animarum habeat, S. Liturgia quoad formam consuetam aliquomodo reformanda videtur, ut gloria Dei per rationabile obsequium omnium actuose participantium amplificetur et efficacia pastoralis augeatur.

Desideria quaedam nostris regionibus gravissima in hoc appendice proponuntur.

I. *De Caeremoniali Episcoporum*

1. Caeremoniale Episcoporum purgetur ab influxu caeremoniarum saecularium, quae ex usu aulae regiae (praesertim hispanicae) desumptae sunt, quin veritatem revelatam seu religiosam exprimant. Vestimenta simplificentur (e. g. quoad manica duplicia, quoad calceamenta pontificalia, quoad usum dalmaticae et tunicellae et similia). Signum reverentiae erga Episcopum sit semper inclinatio, quia genuflexio nostris temporibus ut signum adorationis soli Deo convenientis intelligitur.

Ritus missae pontificalis simplificetur, ne attentio fidelium a mysterio distrahatur: quod fit, si e. g.:

a) Episcopus non genuflexione sed inclinatione salutatur;

b) Episcopus in throno non legere debet, quae sive a Subdiacono vel a Diacono vel a lectore promulgantur sive a Choro cantantur;

c) usus libri Canonis pontificalis ad necessaria reducitur;

d) Episcopus paramentis ornatus sub cantu Introitus per ecclesiam ad altare accedit;

e) mitra rarius mutatur (e. g. mitra ad « Lavabo » non sumatur);

f) oscula rarius adhibentur (e. g. non in distributione s. communionis).

II. *De Pontificali*

Ritus pontificales simplificandi sunt praesertim:

a) in dedicatione ecclesiae (repetitiones benedictionum et exorcismi vitentur);

b) in collatione s. ordinis presbyteratus: ad unctionem adhibea-

tur s. Chrisma (loco olei catechumenorum); casula retro plicata significationem veram non habet nec pulchra est visu; in missa concelebrata neo-ordinati sub utraque specie communicentur;

c) omnis gradus *S. Ordinis Sacramenti* conferatur post Evangelium missae. Interruptio missae praeparatoriae, praesertim si diversi ordines conferuntur, vero symbolismo non pollet;

d) sacramentum s. Confirmationis infra missam cum aptis textibus (e. g. ad petenda dona Spiritus Sancti) et quidem post homiliam conferatur. Pro temporum diversitate plures textus tam antiphonarum quam orationum quam lectionum praebeantur, forsan etiam pro diversis hebdomadae diebus variae sint. Color paramentorum sit *ruber.*

III. *De Missali Romano*

1. Ritus hebdomadae sanctae instauratae exemplum praebeat pro totius Missalis restauratione.

2. Reformatione indigent:

a) Confessio ante gradus altaris, praesertim pro missa in cantu;

b) lectiones Epistolae et Evangelii praesente populo christiano lingua vernacula pronuntientur et quidem deficiente apto lectore ab ipso Celebrante;

c) ad Offertorium dicto « Oremus » preces propitiatoriae in lingua vernacula locum habeant, quarum textus Ordinarius loci praescribat vel approbet;

d) etiam in missa lecta oblata panis (etiam pro communione fidelium) et vini a ministrantibus generatim processionaliter ad altare proferantur;

e) liceat etiam fidelibus oblata panis Celebranti patenam tenenti offerre;

f) preces a sacerdote in « oblatione hostiae et calicis » sub silentio dicendae examinentur quoad veritatem in sensu litterali, ne ambagibus interpretationis indigeant;

g) oratio secreta, quae est oratio super oblata et processionem Offertorii complens, ad instar Orationis et Post-communionis alta voce sive dicatur sive cantetur;

h) numerus Praefationum augeatur, e. g. praebeatur praefatio propria pro tempore Adventus, plures pro dominicis per annum, pro feriis martyrum, confessorum, virginum. In Praefatione de Ss. Apostolis restituatur pars eucharistica cui adiungatur pars propitiatoria;

i) doxologia « Per ipsum... » canonem eucharisticum complens alta voce sive dicatur sive cantetur;

j) signa crucis in Canone super oblata facienda examinentur et ad necessaria reducantur;

k) embolismus post Pater noster vel intelligibili voce dicatur seu cantetur vel cum conclusione sub silentio dicatur ne formalistico modo « Per omnia saecula... » sit conclusio sine prece;

l) osculum pacis detur post « Pax Domini... »;

m) fractio panis coniungatur cum cantu Confractorii quod est « Agnus Dei... »;

n) Examinandum est, num et quo modo post sumptionem s. coenae textus meditativi (forsan quasi psalmus eucharisticus Antiphonae ad Communionem adiungendus) locum habeant;

o) oratio super populum est vera formula benedictionis, quapropter in hoc casu benedictio cum formula « Benedicat vos... » superflua videtur;

p) verbo « Ite missa est » finiatur missa;

q) participatio actuosa et conscia omnium circumstantium urgeatur eo modo, quod quisquis omnia sibi convenientia per seipsum adimpleat;

r) examinandum est, num Celebrans in missa in cantu vel lecta praesente populo usque ad Credo inclusive locum habeat ad sedilia, ubi Orationes vel ad ambonem, ubi lectiones profert.

IV. *De Breviario Romano*

Officium divinum, quod preces in choro nomine Ecclesiae ad honorem Dei per sanctificationem totius diei dicendas continet, magnifica repraesentatio ecclesiae orantis est.

In quavis reformatione serventur:

a) character publicus;

b) elementa essentialia nempe oratio continens hymnos, psalmos, lectiones;

c) gravis obligatio, licet cum reductione oneris;

d) norma persolutionis in communi. Attamen provideatur forma recitationis solitariae.

Desideria:

1. Examinandum esset, num *psalmi* quidam (e. g. psalmi imprecatorii), qui difficulter a christiano fructuose orari possunt, in officio Divino omittantur.

Cyclus hebdomadarius totius psalterii cedat cyclo plurium hebdomadarum.

Textus psalterii ad perfectionem stilisticam et poëticam provehatur, quin intelligibilitas minuatur.

2. *Lectiones* reformentur:

a) Novum Testamentum decursu unius vel plurium annorum integrum legatur;

b) Vetus Testamentum in textibus optimis et pulcherrimis sub respectu messianico selectis unius vel plurium annorum decursu legatur;

c) libri patrum et scriptorum ecclesiasticorum praebeant textus diligenter selectos sub respectu authenticitatis, veritatis dogmaticae, meditationis;

d) quaevis lectio contextum realem et completum praebeat;

e) vitae sanctorum tam quoad veritatem historicam quam quoad stylum reformatione indigent.

3. *Matutinum* ad instar hebdomadae paschalis abbrevietur.

4. Independenter a modo persolutionis restituantur *preces* et ita reformentur, ut sollicitudines ecclesiae universalis et particularis Deo commendentur.

V. *De Rituali Romano*

1. Ritus baptismi tam infantium quam adultorum restauretur secundum normam: ne bis idem.

2. In ordine sepulturae loco hymni « Benedictus » alius hymnus e. g. « Nunc dimittis » maiori intelligibilitate et efficacia directa pollet.

3. Si *Matrimonium* cum missa pro sponsis coniungitur, celebretur post Evangelium et homiliam, utpote Introitus etc. vera et aptissima praeparatio pro matrimonii celebratione sint. Benedictio sponsae ad finem Canonis ante doxologiam locum habeat et quoad textum reformetur.

VI. *De Ss. Eucharistia*

1. Etsi pro communione cum Christo Domino sufficiat unius speciei sumptio, etsi haec unius s. Panis sumptio rationibus hygienicis et practicis valde suadeatur, tamen optandum est, ut Ss. Sacramentum sub utraque specie debitis cautelis adhibitis distribui possit, e. g.

a) in concelebratione seu missa quae collationem Ss. ordinum sequitur;

b) in communitatibus minoribus bene instructis, quibus fructus religiosus augeatur (e. g. in cursibus exercitiorum, in hebdomadis studiorum, in seminariis...);

c) in celebratione s. sacramenti Confirmationis;

d) in celebratione s. sacramenti Matrimonii;

e) in professione votorum in conventu religioso.

In casu sub *a*), *d*) et *e*) sumptio s. Sanguinis ex ipso calice fieri potest. In aliis casibus modus intinctionis sicut in ritibus orientalibus commendatur. Etiam in his casibus nemo laicorum ad utramque speciem sumendam teneatur nec obligetur.

2. Cum mysteria de Nativitate et resurrectione Domini tantae dignitatis et fons tanti gaudii sint, ut in his diebus pluries s. Eucharistia sub diversis textibus celebretur, videtur laicis concedendum esse ut, qui noctu in missa sollemni Ss. Sacramentum sumpserunt etiam in missa sollemni in die celebranda Ss. Communionem sumere possint.

3. Cum in Missa Chrismatis fer. V maioris hebdomadae celebranda, aliud mysterium ac in missa vespertina celebretur, et cum haec sollemnitas imprimis officium sit Episcopi cum sacerdotibus curam animarum habentibus, liceat clericis (et forsitan etiam fidelibus) praesentibus — maxime 12 Sacerdotibus, 7 Diaconis et 7 Subdiaconis — Ss. Eucharistiam accipere et mane et vespere; seu mane sacramentaliter communicandi et vespere secundum rubricas) celebrandi.

4. De concelebratione puncta quaedam:

a) Cum 12 Sacerdotes in conficiendo s. chrismate cooperentur, optandum videtur, ut etiam in missa chrismatis concelebrare sensu stricto possint;

b) porro ut sacerdotes in feria V maioris hebdomadae missam vespertinam de Coena Domini una cum praeposito vel parocho, participante populo, celebrantes concelebrationem stricte dictam exercere possint, desiderium est;

c) pro concelebratione ritus aptus componendus esset. Occasione nacta modus quoque concelebrationis post collationem s. ordinis presbyteratus perfectiorem formam, qua indiget, obtineret;

d) examini pariter subicienda esset quaestio de concelebratione, absente quoque Episcopo, si coetus sacerdotum coactus sit, v. gr. in exercitiis spiritualibus.

VII. *De anno liturgico*

1. Officium et missa de dominica rarissime sollemnitatibus Sanctorum vel festis particularibus cedat. Tales sollemnitates ita in calendario fixae sint, ne unquam plures dominicae succedentes sollemnitatibus Sanctorum vel particularibus cedant.

2. Officia de Sanctis pro universali ecclesia celebranda reducantur. Festa plurium Sanctorum sint festa particularia dioecesium vel regionum.

Festa de Sanctis, quorum historicitas non constat, derogentur. Sicut in calendario monastico plures Sancti saepius eodem die festivitatem

communem (non commemorationem) habere possunt e. g. S. Ioachim et S. Anna.

3. Omni missae dominicali addentur variae lectiones aptae Epistolae et Evangelii, quae ad libitum adhibeantur, si missa dominicae in diebus ferialibus resumitur.

4. Tempore Adventus desiderantur formularia pro missis ferialibus (saltem pro fer. IV et VI). Missa B.M.V. « Rorate », quae est missa de tempore adventus in Sabbato, semper dicatur sine « Gloria » et in colore violaceo.

5. Tempus Epiphaniae amplificetur pluribus formularibus de tempore.

VIII. *Normae quaedam de S. Liturgia reformanda*

1. S. Liturgia non solum clericorum captui adaptata sit, sed ab omnibus participantibus sine nimia difficultate intelligi debeat.

Verba et caeremoniae claritate et perspicuitate quam maxima fulgeant. Actus praeparatorii et ornantes ne luxurientur sed semper mysterio celebrando subditi sint.

2. Signa symbolica et verba et caeremoniae eo efficaciora sunt, quo minore indigent declaratione.

3. In omnibus duplex ratio S. Liturgiae consideranda est: gloria Dei et efficacia pastoralis.

4. Repetitiones vitentur secundum regulam: ne bis idem.

5. Ut textus Ordinarii missae (saltem secundum sensum) in lingua liturgica intelligere possint, laici sunt instruendi.

Num textus vero variabiles (saltem lectiones et Orationes, quibus « Amen » respondere debent) secundum *1 Cor.* 14, 16 f. melius in lingua vernacula ab ipso S. Liturgiae ministro proferantur, prudenter examinetur.

APPENDIX II

De iure canonico

Accommodatio Iuris Canonici ad rationem huius temporis opportune initium sumet:

I. a conditione hodierna Ecclesiae;

II. a fructu scientificae indagationis iurisperitorum.

Ad I:

1. Conditio et ordo laicorum iuridicus in Ecclesia distinctius determinetur, maxime sub respectu dignitatis et muneris apostolici (cf. cc. 682-83).

2. Iurisdictio ad audiendas confessiones mulierum comprehendat quoque confessiones monialium et religiosarum (cf. cc. 876, 522).

3. Nova redactio totius capitis « De religiosis » optanda videtur (cc. 487-681; *Sponsa Christi; Provida Mater*). Hac occasione privilegia exemptionis examini subiciantur et iura Ordinariorum in hac materia limpide praesententur.

4. Provideatur ut facultates, de quibus can. 882; S. Congr. Consistorialis: Index Facultatum diei 8-XII-1939, Nr. 14; S. Paenitentiaria Apostolica: Instructio diei 25-III-1944; iis quoque prosint, qui etsi non in mortis articulo, tamen in extrema vitae necessitate versantur, e. gr. in publicae custodiae locis (Zuchthaus, *Kanzentrationslager*).

5. Titulus ordinationis « in servitium dioeceseos » can. 981 § 1 non amplius suppleat defectum alterius tituli, sed regula esto. Tituli can. 979 § 1 hodie saltem apud nos non tanti momenti esse videntur.

6. *a*) Praeter quasi infinitum numerum librorum et publicationum respicienda omnino videntur pericula quae hodie iam proveniunt ex ephemeridibus, auditionibus radiophonicis, televisionibus, reproductionibus cinematographicis et his similibus; cum impossibilitas observandi et examinandi singulas productiones huius generis sentiatur, requiritur et sufficit *interdictio* magis generalis *legendi, videndi* et *audiendi* ea quae ex natura sua prohibita sunt. At simul instantius conscientia uniuscuiusque instigetur, ne seipsum et suos tantis exponat periculis.

b) Quoad praxim *censurae librorum,* qui doctrinam fidei et morum attingunt, haec forte insinuanda sunt; augeantur competentiae Ordinariorum; audiantur — si dubia orta sint circa sensum et interpretationem doctrinae — auctores; ita enim sub oculis Episcoporum sincera et scientifica discussio ad emendationem vel correptionem viam parabit, et Sancta Sedes forte rarius et simul efficacius ad damnationem alicuius libri procedet.

7. *Collatio beneficiorum* Sanctae Sedi reservata ad normam can. 1435 nn. 1 + 4 amplius non urgeatur; inde pastoralis sollicitudo Episcoporum clarius appareret, saluti animarum magis directe provideretur et simul certe in Curiis optata reductio negotiorum obtineretur.

8. Facultates quinquennales quas Ordinarii obtinere solent, in posterum delegationes a iure sint (can. 1045 § 1). Quod maxime desideratur pro matrimoniis mixtis, sanatione in radice et irregularitatibus (can. 985 n. 1).

9. Intuitu sanctitatis ac dignitatis iuris iurandi *nimia iuramenta* vitentur, e. gr. numerosae repetitiones iuramenti antimodernistarum, et iuramenta de quibus in Art. 104 Instructionis S. C. de disciplina Sacramentorum de die 15-VIII-1936.

10. Limitetur numerus censurarum Sanctae Sedi reservatarum (canon 2245).

Ad II:

1. Ut certe, recte et absque mora leges adhiberi queant, univoca et clara *terminologia* requiritur. Desideratur emendatio Codicis sub hoc respectu, maxime quod leges irritantes et inhabilitantes attinet, item quoad facultatem et licentiam. Definitiones ne laborent defectu consequentiae, v. c. c. 1015 § 1 + 3 matrimonium ratum, matrimonium legitimum, can. 1037 « publicus ».

2. In can. 109 duplex hierarchia Ecclesiae enumeratur, ordinis scilicet et iurisdictionis. Inde derivatur *potestas ordinis et iurisdictionis.* Quae distinctio necessario secum trahit novam redactionem cc. 145 et 210.

3. Potestas iurisdictionis vel in foro externo vel in foro interno exercetur. Haec *distinctio* faciliter, tamen erronee, intelligitur ac si contradistingueretur forum iuris et forum conscientiae (can. 196). Rectius dicendum videtur quod omnis sententia Ecclesiae, sive *fori externi sive fori interni,* conscientiam ligat. Differentia ergo in eo clarius ponatur, quod in uno casu iurisdictio publice exercetur, ideoque admittit probationem, secus in altero, i. e. non admittit probationem.

5

EXC.MI P. D. IOSEPHI SCHROEFFER
Episcopi Eystettensis (Eichstatt)

Eystadii, die 15 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Serius quam ut excusari possit infrascriptus Episcopus Eystettensis in foliis his litteris adnexis opiniones et vota sua circa argumenta in futuro Concilio Oecumenico tractanda ad istam Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam transmittit. Nonnisi haesitante animo id facit, tamen audet, si litterae forsitan adhuc accipiuntur.

Variis ex causis responsum tanto tempore retardatum est, pro quo humillime indulgentiam ac veniam peto.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
in Domino devotissimus

✠ IOSEPHUS SCHRÖFFER
Episcopus Eystettensis

Summi Pontificis Ioannis XXIII fel. regn. invitationi acceptissimae obsecundans, infrascriptus Episcopus Eystettensis in iis quae sequuntur opiniones suas et vota, quod futurum Concilium Oecumenicum attinet, patefacere audet.

Argumenta ad tria capita reduci possunt, ad ea scil.:

I. quae hodierna totius generis humani condicione ac discrimine postulantur;

II. quae ad homines christiani nominis spectant;

III. quae intra ipsam ecclesiam catholicam agenda esse videntur.

I. *De quaestionibus quibus totus mundus agitatur*

Quodsi nostris temporibus Concilium Oecumenicum convocatur, omnes ab eo, ut videtur, iudicium de quaestionibus gravissimis quibus hodie mundus agitatur exspectant. Ceterum id congruit tum ideae tum historiae Conciliorum quae ad refutandos illarum aetatum errores et ad veritatem dilucide proponendam convocari solebant.

Iamvero errores huius aetatis non unam aliamve veritatem particularem impugnant, sed fundamenta ipsa religionis aggrediuntur. Inter quos materialismus atheus, sive theoreticus sive practicus, eminet qui Deum aut negat aut negligit et verum conceptum hominis pervertit. Accedit nationalismus quidam pessimus, causa tot malorum huius temporis et impedimentum unionis ac pacis populorum.

Concilio igitur agendum est, ut videtur:

1) de absoluto dominio Dei sollemniter proclamando, contra materialismum atheum;

2) de vero conceptu hominis, qui plene Deo subiectus est, ex altera vero parte dignitate ac libertate aliisque iuribus gaudet, quae ei vindicanda sunt, contra oppressores hominum huius temporis;

3) de unitate generis humani et pacifico populorum convictu necnon de vero patriae amore, contra excessus sic dicti nationalismi et razismi;

4) de officio promovendi pacem et mutuum populorum auxilium, fortasse etiam de admonitione edenda adiuvandi eos qui fame et maxima inopia laborant.

Quae omnia, etsi forsitan non in extenso tractantur nec tractari possunt, tamen sollemni quadam proclamatione inculcanda esse videntur.

II. *De iis quae ad unionem christianorum spectant*

Omnino optandum est ut Concilium ad gravissimam illam quaestionem, quae est unio hominum ac coetuum christianorum a vera ecclesia

separatorum cum hac ecclesia accedat et deliberet quibus modis vulnus istud sanari, scandalum tolli ardensque Christi desiderium impleri possit, ut omnes unum sint et mox unum ovile fiat unusque pastor.

Attamen animadvertere oportet huic unioni — saltem quod Protestantes Germaniae attinet, qui soli in his litteris respiciuntur — tot ac tanta impedimenta obstare, ut vix sperari possit eos mox ad Ecclesiam reversuros esse. Nimiis enim praeiudiciis nimiaque aversione ab Ecclesia Catholica Romana, quam a genuino spiritu Iesu Christi defecisse existimant, removentur.

Nihilominus negandum non est pristinam eorum oppositionem hostilem his ultimis decenniis, ratione communis pugnae contra inimicos religionis christianae et hodiernae in rebus publicis cooperationis, multo diminutam esse. Immo inter eos non desunt qui, Concilio Oecumenico annuntiato, significaverint se aegre ferre quod ad Concilium admitti nequeant, desiderare vero valde ut quocumque modo ad Commissionem aliquam colloquii causa vocentur. Alii ostendebant se in re unionis a Concilio progressus exspectare simulque anxios esse ne spes ac desiderium tot hominum frustrentur neve in fine longius ab invicem distemus quam antea.

Quibus omnibus perpensis haec proponenda esse videntur:

1. Statuendum est qualem finem quoad unionem ecclesiarum Concilium proprie intendat, et diligenter quaerendum qua formula aptiore id exprimatur. Vitandae esse videntur voces quae de « Concilio unionis » loquantur, ne periculum Concilii frustrati incurratur; talis enim effectus, scil. unio cum partibus quibusdam maioribus, hoc temporis momento nondum sperari potest.

2. Num Concilium plus intendere debeat quam primos passus versus unionem futuram? Definita prius illa unione qualem Dominus ipse intenderit, Concilium omnes qui Christum Dei Filium et mundi redemptorem profitentur sollemni appellatione moneat, ut ultimam et tam urgentem eius voluntatem, scil. servandi sive recuperandi hanc unitatem, semper prae oculis habeant, eosque invitet, ut communi oratione et continuis precibus, non solum per notam illam hebdomadam inter diem 18 et 25 mensis ianuarii fundendis, hanc gratiam inauditam a Deo expetant. Cogitari enim potest Deum hanc unionem nobis non concessurum esse nisi omnes eam ut desideratissimam per annos vel decennia indesinenter ab Ipso efflagitaverint.

3. Parum tamen esset si Concilium acatholicos solum modo quodam generali et more platonico, ut aiunt, invitaret ut in sinum ecclesiae redirent, quod iterum atque iterum factum est, sed — exemplum boni pastoris sequens qui, ut oves perditas reducat, in desertum se confert —

eis quantum fieri potest occurrat; in vias et methodos inquirat quibus unio aptius praeparetur; definiat atque ostendat quaenam in rebus non essentialibus concedi possint, iuxta analogiam ecclesiarum orientalium iam unitarum, e. g. in rebus liturgiae, pietatis, regiminis, ss. Ordinum (scil. utrum ministri acatholici matrimonio iuncti, si redeunt, ad sacerdotium admittantur) et alia huiusmodi.

4. Concilio denique examinandum est quaenam intra domum, ut ita dicam, i. e. inter catholicos ipsos suscipi debeant ut ex una parte ea quae unionem fortasse impediunt vel difficiliorem reddunt reformentur, ex altera vero ea quae alliciunt promoveantur.

5. De hac re valde delicata consultentur rerum periti necnon respiciantur ea quae, licet diversi valoris, in variis libris ac periodicis scripta sunt.

6. Acatholici, etsi ad Concilium ipsum non vocantur, tamen non prorsus praetereantur, sed modus aliquis aptus communicandi cum eis, sive per Commissionem competentem sive per mandatarios intermedios, quaeratur. Dubium non est quin hoc a multis in bonam partem acciperetur.

III. *De iis quae intra Ecclesiam agenda sunt*

Attenta condicione hominum huius temporis qui tam facile ab interioribus et divinis abducuntur et ad res externas materiales se convertunt, Concilium praesertim vitae internae religiosae tum fidelium tum sacerdotum fovendae studeat. Optandum sane est ut a Concilio impulsus ad vitam christianam renovandam exeant. Quod exercitia pietatis attinet, principium sit: non multa, sed multum, i. e. quantitati praeferatur qualitas.

Ut haec ad casum quemdam concretum applicem: quam maxime tum a sacerdotibus tum a moderatoribus spiritus in Seminariis optatur ut modus aliquis inveniatur ac concedatur qui recitationem magis meditativam Breviarii permittat. Quare instantissime hic rogo ut, sive per Concilium sive extra, sive omnibus sive singulis petentibus, detur optio aut persolvendi totum pensum diurnum Breviarii aut insumendi in id totum pro recitatione ordinaria necessarium tempus, quin omnes et singulae partes de facto persolvi debeant. Hoc modo diutius in uno aliove Psalmo, in Homilia Patrum vel in alia parte commorari possent quin tempus recitationis extendendum esset.

Quoad cetera a Concilio tractanda, quae magis ad campum iuridicum spectant, haec proponere liceat:

1. Deliberetur de opportunitate peragendi quamdam decentralisa-

tionem, ut aiunt, extendendo competentiam episcoporum, ratione habita muneris episcopalis a Christo ipso instituti et a Concilio fortasse pluribus circumscribendi.

Agitur e. g. de dispensatione impedimentorum matrimonialium, de celebratione domi, de usu missalis caecutientium, de asservatione SS. Sacramenti et aliis huiusmodi, praesertim de casibus in quibus S. Congregationes Romanae iam hucusque iuxta iudicium Ordinarii decernere solebant.

2. Considerationem praeterea merentur varia capita Codicis Iuris Canonici, v. g. ius vigens de inamovibilitate parochorum, de beneficiis, de prohibitione librorum (cum hodie alia media communicationis haud raro efficaciora habeantur), de poenis.

Interdum a laicis nobis episcopis proponitur Diaconatum ut statum specialem in ecclesia resuscitandum esse, et quidem, si possibile sit, concesso matrimonio. Dicunt enim per hos diaconos sacerdotes, qui numero ac viribus deficiunt, magnopere adiuvari posse, nec paucos esse qui hunc statum amplecterentur.

✠ Iosephus Schröffer
Episcopus Eystettensis

6

Exc.mi P. D. FRANCISCI HENGSBACH
Episcopi Essendiensis (Essen)

Essendiae, die 28 m. augusti a. 1959

Eminentissime Princeps!

Cum Eminentia Vestra communico in foliis adiacentibus consilia et vota quaedam expetita in epistola Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico a die 18 m. iunii 1959 sub Prot. Nr. I C/59-479 emissa, quae post deliberationem cum aliquibus meis ex clero cooperatoribus ad rem conferri posse mihi videntur.

Eminentiae Vestrae
in Christo addictissimus

✠ Franciscus Hengsbach
Episcopus Essendiensis

A) Consilia et vota ad materiam tractandam pertinentia

I

Capita doctrinalia

1. Suadetur ut *compleatur doctrina Concilii Vaticani de potestate apostolica hierarchica* ita ut clare definiatur potestas episcopalis, successione apostolica communicanda ut iure divino fundata et potestati papali coniuncta.

2. Discutiatur utrum simul definiendae sint quaedam veritates fundamentales *de vero sacerdotio universali omnium fidelium necnon de vocatione laicorum ad cooperationem cum apostolatu hierarchico* in universali regno Christi verificando.

3. Praeparetur ad instar Catechismi Concilii Tridentini aliqua *summa capitum principalium doctrinae socialis* Ecclesiae, praesertim de familia, de societate, de re publica, quae continentur in magisterio ordinario ultimorum decennium; quae summa inserviat instructioni universali adultorum in ecclesia.

II

Capita pastoralia

1. Exarentur a Concilio plures *instructiones pastorales;* una ad sacerdotes de vita clericali, altera ad religiosos de vita religiosa, tertia ad omnes pastores animarum; in quibus puncta principalia respectivi status pro hodiernis circumstantiis communiter attendenda exponantur.

2. Suadetur, ut conficiatur aliqua *epistola pastoralis universi Concilii ad fideles omnes* de iis punctis, quae in vita christiana hodie praesertim attendenda sunt.

3. Suadetur ut componatur aliqua *epistola Concilii ad gubernatores* rerum publicarum de rebus maioris momenti pro ordine internationali et pace.

4. Suadetur denique ut conficiatur a Concilio aliqua *epistola apostolica ad christianos ab ecclesia separatos* de unitate Christifidelium promovenda.

III

Capita liturgica

1. Elaborentur a Concilio *normae quaedam universales de reformandis libris liturgicis,* praesertim Pontificali Romano, Breviario, Rituali;

in specie reformentur ritus collationis baptismi, consecrationis ecclesiae et altaris.

2. Statuantur *normae pro adhibenda lingua vernacula* in parte praeparatoria missae et in actibus participantibus populi, etiam in hebdomada maiore.

3. Discutiatur *elaboratio alicuius ritus concelebrationis* Latini, qui in casu confluxus sacerdotum adhiberi possit.

IV

Capita disciplinaria

1. (ad can. 1 *C.I.C.*) Discutiatur utrum *praedominantiam ritus latini* in missionibus externis ecclesiae diutius retinere opportunum sit an maior vis tribuenda sit ritibus orientalibus, etiamsi consequenter multi missionarii ritum suum mutare vel debeant vel possint.

2. (ad cann. 36-86) Suadetur ut *facultates Ordinariis communiter per rescriptum ad breve tempus vel pro numero casuum datae* sine his limitibus dentur, cum obligatione rationis reddendae annuae necnon correspondentium taxarum; similiter privilegia, si fieri potest, singulis personis petentibus concedantur pro tota vita.

3. (ad can. 136) Quoad *vestem clericalem* clare distinguatur vestis liturgica a veste communi, quae clericum a laicis, pro iudicio ordinariorum, apte distinguat.

4. (ad can. 247) Reformatione indigere videntur, quae in iure respiciunt *munus Supremae Sacrae Congregationis S. Officii* circa separatos. Suadetur instituere officium distinctum pro quaestionibus oecumenicis.

5. (ad can. 214) Discutiatur an statuenda sit aliqua norma secundum quam clericus maior liberari possit a *vinculo coelibatus* etiam in illis casibus in quibus alia adiuncta quam defectus libertatis (v. gr. defectus substantiales ex parte intellectus vel bonum publicum ecclesiae) hoc suadeant.

6. (ad cann. 271-280) Discutiatur an *distinctae concentrationes maiorum regionum* in Ecclesia appetendae sint (Europa, America Septentrionalis, Meridionalis, Africa, Asia duplex) sive per modum distinctarum assistentiarum in curia Romana, sive per modum conventuum Episcoporum et associationum fidelium.

7. (ad can. 454) Necessitatibus temporum adaptentur *normae de remotione parochorum inamovibilium,* ita ut facilior reddatur remotio.

8. (ad cann. 682-725) Suadetur ut fundamentaliter revideatur *pars*

« *de laicis* »; imprimis respiciantur *piae associationes fidelium et ius eorum laicorum qui in servitio ecclesiastico occupantur.*

9. Vetetur omnis distinctio in ecclesia discriminans ratione *stirpis.*

10. (ad cann. 897, 1083 § 2 n. 2) Abrogentur omnes commemorationes *servitutis* proprie dictae.

11. (ad can 782) Communicetur Ordinariis loci a iure facultas adhibendi *in administratione sacramenti confirmationis* presbyteros digniores, si utilitas dioeceseos hoc postulat; *facultas confirmandi in periculo mortis* extendatur ad omnes qui in cura pastorali versantur, cum onere nuntiationis ad parochum inscriptionis causa.

12. (ad can. 881) *Iurisdictio ad audiendas confessiones* ita ordinetur ut quivis sacerdos, cui iurisdictio competit sive ordinaria sive delegata ab homine, absolvere possit valide ubique terrarum; limitationes omnes quoad iurisdictionem sint de liceitate tantum; provideatur praesertim necessitatibus omnium itinerantium.

13. (ad cann. 893-900) Abrogentur omnes *reservationes peccatorum* ratione peccati tantum.

14. (ad can. 1363 § 3) *Abrogetur decretum sacrarum Congregationum de studiis et religiosis a die 25 iulii 1941* (*A.A.S.,* 1941, 371) de dispensatione imperata.

15. (ad can. 1042 § 2) Abrogenda videntur matrimonii *impedimenta dirimentia gradus minoris.*

16. (ad can. 1058) Discutiatur an abrogari possint *impedimenta impedientia* tantum, cum condicioni voti sufficienter provisum sit generalibus normis de voto, condicioni mixtae religionis sufficienter normis de forma.

17. (ad can. 1061 § 1) *Matrimonium omne mixtum* inire solum concedatur, si 1° praeierit instructio sufficiens utriusque nupturientis circa matrimonium christianum, 2° ordinarius vel parochus competens habeat spem fundatam de impletione cautionum.

18. (ad can. 1085) Suadetur ut statuatur *impedimentum dirimens erroris qualificati* dolo causati circa circumstantias quae momenti substantialis sunt pro vita coniugali (v. gr. impotentiam generandi, graviditatem ab aliena persona).

19. (ad can. 1050 s.) *Tempora et modi ieiunii et abstinentiae* ita reformentur ut pro adiunctis hodiernorum temporum spes sit ea a maiore parte observatum iri.

20. (ad can. 1395 ssq.) *Normae de censura et prohibitione librorum* adaptentur necessitatibus temporum; vitentur prohibitiones iuris positivi tantum in « indice »; relinquatur episcopis, statuere media apta pro

regionibus suis quibus invigilantia exerceatur circa omnia media moderna publicationis.

21. (ad cann. 1409-1488) Adaptetur *ius beneficiale* codicis necessitatibus et condicionibus nostrorum temporum.

22. (ad can. 1435 § 1 n. 1) Deleantur in textu *verba « etiam honoris tantum »*; quaestioni de taxis aliter provideatur.

23. (ad cann. 1532, 1538, 1541) Adaptetur summa de qua in contextu facultatibus dioecesium. Ita vitentur licentiae non necessariae petendae a Sancta Sede. Necessitati rationis reddendae S. Sedi et quaestioni de taxis aliter provideatur.

24. (ad cann. 1767, 2037) Supprimantur *iuramenta* non necessaria. Sufficit hic iuramentum de veritate dicenda. Cf. etiam ius iurandum antimodernisticum (*A.A.S.*, 1910, 655 ss.), quod semel emittere sufficit.

25. (ad cann. 2217, 2314-2411) *Reservationes censurarum* solum distinguantur « Romano Pontifici » et « Ordinario loci »; supprimantur omnes censurae non necessariae.

B) Consilia et vota ad methodum tractandi pertinentia

1. Pro quaestionibus tractandis in capite primo numero tertio (summa capitum principalium doctrinae socialis ecclesiae...) praevideatur a Concilio etiam *congrua cooperatio laicorum* peritorum.

II. Theologorum in Concilio adhibeatur sufficiens numerus, qui et ratione materiae proponendae et ratione modi dicendi *periti sunt in doctrina et moribus christianorum ab ecclesia separatorum.*

III. Totus *modus dicendi* in decretis et instructionibus Concilii ita respiciat dictionem Sacrae Scripturae et Patrum ut facilius moveat etiam fratres separatos et in ecclesiis orientalibus et protestantes.

7

Exc.mi P. D. HERMANNI SCHAUFELE

Archiepiscopi Friburgensis (Freiburg in Breisgau)

die 26 septembris 1959

Eminentissime Princeps!

Gratias ago summas pro litteris Pont. Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico die 17 iulii receptis. Desiderio Augusti Pontificis cognoscendi opiniones seu sententias eorum, qui in Concilium Oecumenicum ex iure vocantur, apprime respondere studebam; at doleo

quod officia pastoralia iam praenotata me prohibuerunt, quominus tempore litteris Eminentiae Vestrae assignato has responsiones mitterem.

Interim permaneo qua par est reverentia et obsequio

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus

✠ HERMANNUS SCHAUFELE
Archiepiscopus Friburgensis

Animadversiones, consilia, vota circa res et argumenta, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt.

1. Multi errores in Concilio Vaticano iam damnati in Europa et Asia hodie facti sunt vis apparata Christo eiusque Ecclesiae infestissima. Homines cuncti imminentis periculi sibi sunt conscii. Quibus datis permulti fideles animum deiciebant; alii hedonismo se dabant, alii nihilismo, alii novis commentis et messianismis se adiungebant. Inde oportet quod mediante Concilio Oecumenico vox Christi, veri pastoris, ab omnibus peremptorie percipiatur.

Quare optandum, ut futurum Concilium Oecumenicum recipiat, promoveat, perficiat Concilium interruptum Vaticanum, novas exortas quaestiones summa auctoritate resolvat, catholicam veritatem solemniter pronuntiet, ita ut Ecclesia Romana Catholica refulgeat uti « signum elevatum inter gentes ».

Quod attinet philosophiam

2. Contra novam aberrantem philosophiam, quam « Existentialismum » vocant, philosophiae perennis in Ecclesia receptae ac agnitae singularis praestantia declaretur.

Quod attinet fidem

3. Genuinus conceptus fidei salutaris denuo proclametur, cum multi eam habent ut quandam generalem dispositionem ad res religiosas vel ut quendam religiosum affectum respectu obiecti fidei indifferentem vel ut quodpiam experimentum misso omni credibilitatis iudicio.

4. Eodem modo refutetur despectus illorum vocabulorum, quibus hucusque in Ecclesia doctrina fidei significabatur, ac si fidei dogmata numquam notionibus adaequate veris exprimi possent.

Quod attinet Ecclesiam

5. Definita Ecclesia uti corpus Christi mysticum, declaretur sensus effati « extra Ecclesiam nulla salus » et differentia inter « esse membrum Ecclesiae » et « voto ordinari ad Ecclesiam »; et consequenter explicetur, quomodo consentiat doctrina de membro Ecclesiae in *C.I.C.* (can. 87, 2257) data cum respectiva doctrina Enc. *Mystici Corporis*.

6. Primatu iurisdictionis Romani Pontificis denuo pronuntiato declaretur iurisdictio ordinaria et immediata episcopi eiusque ambitus circumscribatur. Simul maiora a Summo Pontifice delegentur unicuique episcopo residentiali, ita ut Summo Pontifici tantum summa reserventur.

7. Quae Pius Papa XII f. r. de apostolatu laicorum docuit (v. gr. sermo 14 oct. 1951), ad necessitates hodiernas applicentur.

8. Misso quolibet imprudenti « irenismo », qui « veluti obices ad fraternam unitatem restaurandam ea habet, quae ipsis legibus ac principiis a Christo datis innituntur itemque institutis ab eo conditis, vel quae munimina ac fulcimina exstant integritatis fidei » (Enc. *Humani generis*), Concilium Oecumenicum omni ope investiget et promoveat media, ut proxime adimpleatur illud summum votum « ut omnes unum sint ».

Quod attinet res morum

9. Dato permagno influxu radiophonicae vocis diffusionis necnon televisionis pro vita morali uniuscuiusque necnon pro efformanda vulgi opinione declarentur ius et obligatio invigilandi et parentum et publicae auctoritatis et Ecclesiae.

10. Data tremenda possibilitate belli atomici, biologici et chimici Concilium Oecumenicum doctrinam Pii Papae XII magistralem hac de re confirmet et iudicium definitivum ferat.

Quod attinet Sacram Liturgiam

(Generalia)

11. Sacra Liturgia condicionibus huius temporis adaptetur, quod in Dei maiorem gloriam et animarum salutem vergit.

12. Retineatur in Missae sacrificio linguae latinae usus « utpote perspicuum venustumque unitatis signum ac remedium efficax adversus quaslibet germanae doctrinae corruptelas » (Enc. *Mediator Dei*). In conferendis sacramentis tamen vulgati sermonis usurpatio concedatur.

(S. Missae sacrificium)

13. In missis cantatis ea omnia, quae ministri ac lectores aut cantores aut populus vi proprii officii cantant vel legunt, a Celebrante omittantur.

14. Lectiones Missae (Ep., Ev.) desiderantur diversae, variabiles, ex quibus Celebrans eligere potest, praesertim cum idem commune pluries in hebdomada redit.

15. In 29 festis Ecclesiae doctorum Credo supprimatur; sed iidem dies festi accipiant propriam praefationem.

16. Introducantur praefationes pro tempore Adventus, plures pro dominicis post Pent., et fortasse etiam propria pro unoquoque communi, qua celebraretur martyrium, virginitas, sapientia etc.

17. Doxologia « Per ipsum... » cantetur aut alta voce dicatur utpote culmen canonis. Dicto Amen, quod omnes adstantes dicunt, Celebrans genuflectit et non antea.

18. Ultimum evangelium supprimatur.

19. Ordinario concedatur facultas permittendi concelebrationem ratione magni concursus sacerdotum.

(Officium divinum)

20. Inprimis me refero ad ea quae praedecessor meus Sacrae Congregationi Rituum relatione diei 10 novembris 1956 pandere poterat.

21. Breviarium tali modo abbrevietur, ut spatio unius horae absolvi possit.

22. Lectiones ex S. Scriptura ita disponantur, ut in decursu unius anni selecti loci ex tota sacra Scriptura proponantur.

23. Matutino redonetur originale nomen « Vigilia »; et nomen « Matutinum » reservetur Laudibus.

24. Horae minores in consueta forma retineantur. At Prima adaptetur formae generali horarum minorum (tres psalmi, lectio brevis, versus, Kyrie eleison, oratio).

25. Antiphonae etiam in horis minoribus semper per totum recitentur.

26. In officio defunctorum retineantur in primo Nocturno lectiones ex Iob, sed pro secundo et tertio Nocturno sumantur textus ex Novo Testamento de resurrectione etc. agentes.

(Kalendarium)

27. Proprium de tempore praeponatur Proprio de sanctis. In tempore Quadragesimae celebrentur tantum festa I et II classis. Tempus

Adventus pluribus officiis propriis adaugeatur vel saltem pluribus lectionibus (Ep., Ev.) pro dominicis Adventus.

28. Quod attinet festa Sanctorum, in Kalendarium Ecclesiae universalis recipiantur tantum festa Beatae Mariae Virginis, Apostolorum et illorum Sanctorum, quibus pro universa Ecclesia momentum speciale competit.

29. Retineantur tamen festa illa, quae in veteri traditione Romana fundantur.

(Diversa)

30. Commune Beatae Mariae Virginis reponatur inter communia primo loco.

31. Color casulae rosaceus etiam permittatur in Vigilia Nativitatis Domini et in festo Ss. Innocentium Mm.

32. Lectio passionis sec. Mt. transferatur in feriam II. Hebd. Sanctae, ne nimis protrahatur Missa in dominica II Passionis.

3. Preces Leonianae in fine Missae omittantur.

✠ HERMANNUS SCHAUFELE
Archiepiscopus Friburgensis

8

EXC.MI P. D. ADOLPHI BOLTE
Episcopi Fuldensis (Fulda)

Fuldae, die 25 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Respondens litteris Pontificiae Commissionis antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico — Prot. N. I C/59-518 — quae sequuntur refero.

I. Quoad res fidei et dogmatum puto quod Concilium Oecumenicum primo loco de rebus Ecclesiologiae tractaturum esse. Post Encyclicas Summorum Pontificum Leonis XIII, Pii XI et Pii XII quaestio de conceptu et essentia Ecclesiae ad definitivam decisionem matura esse videtur. Quod exactam circumscriptionem conceptus Ecclesiae attinet, non modo necessitas adhaerendi verae Ecclesiae inculcanda, sed etiam haec necessitas ita formulanda esse videtur, ut acatholici invitentur et alliciantur ad amplectendam hanc Ecclesiam et ut cognoscant, in quantum Ecclesiae Catholicae propinqui vel ab eadem alieni exstent.

Nec minus desideranda est decisio quaestionis de differentia inter

« personam in Ecclesia » Christi, uti habetur in can. 87 *Cod. Iur. Can.*, et « membrum Ecclesiae », uti dicitur in Encyclica *Mystici Corporis.*

Magnae utilitatis vel fortasse necessitatis est, ut doctrina de essentia matrimonii, de eius unitate, indissolubilitate, fertilitate tractetur, ad ampliandas et complendas sententias iam in Encyclica *Casti Connubii* contentas, necnon de sic dicta aequalitate iurium viri et foeminae. Sic differentiae opinionum plurium theologorum, quae ansas praebere possunt falsarum conclusionum, amoveri possunt.

II. Quaestiones liturgicae, quae multos clericos et laicos iam diu movent, non parvum argumentum in Concilio discutiendum praebebunt. Necessarium videtur, ut coepta renovatio Breviarii et Missalis mox ad quendam finem perducatur, cum aliter timendum sit, ne spes eorum, qui novitates acriter petunt, et incertitudo et ambiguitas nonnullarum novarum regularum annis proxime elapsis edictarum ad difficultates, immo ad illegales et illicitas mutationes arbitrarias liturgiae ducant.

Respectu multiplicatorum laborum sacerdotum abbreviatio Breviarii iam coepta continuari posse videtur, sive eo modo, ut numerus psalmorum et lectionum minuatur, sive, ut horae minores ad libitum clericorum vel ex iusta causa omitti possint, sive, ut diebus dominicis et festis de praecepto parochi eorumque cooperatores et adiutores aliique sacerdotes per officia sua amplius occupati plus vel minus dispensentur, ad exemplum instauratae liturgiae pro diebus ultimis Hebdomadae Sanctae.

Usus linguarum hodiernarum populorum pro pronuntiatione evangelii, epistolae, lectionum et prophetiarum definitive pro omnibus nationibus exacte circumscribatur. Textus pro unaquaque lingua vel natione ab omnibus unice adhibendus definiatur.

Religiosarum congregationum vel ordinum fratres laici et sorores, quibus sufficiens scientia linguae latinae deest, officium suum non aliter ac in lingua vernacula persolvere debeant.

III. In *Codice Iuris Canonici* « repetitae lectionis » illae mutationes, quae post anum 1918 per Romanos Pontifices vel eorum dicasteria praescriptae sunt, inserantur, in quantum se probaverunt et pro futuro conservandae vel observandae sunt. Ut exempla quaedam afferam: Indulgentiae, a Cardinalibus, Metropolitis, Episcopis, etc. concedendae (cann. 239 § 1 n. 24; 274 n. 2; 349 § 2 n. 2), forma celebrationis matrimonii (can. 1099 § 3), novationes in instructione pro tribunalibus ad processus de nullitate matrimonii die 15 augusti 1936 introductae itemque praescripta de in certum ponenda vocatione clericali vel religiosa ante recipiendos ordines. Idem dicendum de nunc vigente disciplina ieiunii eucha-

ristici iuxta Motu proprio *Sacram Communionem* diei 19 martii 1957. *A.A.S.,* 1957, pp. 179-180.

Necnon multae decisiones Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos institutae apte ad Codicis « repetitae lectionis » redactionem adhibendae sint, v. g. ad can. 2319 § 1 n. 1, vel ad can. 1971.

Censura librorum (can. 1384 sqq.), cuius renovatio iam ab episcopis Galliae et Germaniae in Concilio Vaticano (1869/70) desiderata est, in novo Concilio Oecumenico certe denuo discutietur. Multum iam disputatum est de mutando iure Indicis librorum prohibitorum vel de abolendo hoc Indice. Cum his temporibus per folia cotidiana, per ceteras Ephemerides periodicas, per radiophoniam, televisionem et cinema, immo per cotidianum commercium cum acatholicis doctrinae errantes per innumerabiles vias ad aures et oculos fidelium perveniant, considerandum esse videtur, num — praeter libros expresse de obscoenis tractantes et praeter libros per totum catholicam doctrinam impugnantes — non iam libri, sed falsae doctrinae et sententiae librorum vel auctorum proscribantur. Saltem auctoribus librorum prohibitorum nuntiandum esset, quae sententiae vel opiniones causam prohibitionis alicuius libri praebuerint.

Desiderandum mihi videtur, ut numerus iuramentorum pro admittendis ad ordines recipiendos et ad munera et officia suscipienda, necnon in processibus minuatur. Item dicendum est de saepius poscenda professione fidei. Per multiplicem reiterationem iuramenta et professiones fidei diminutionem aestimationis patiuntur. Iuramentum contra errores modernistarum nunc omitti posse puto.

Cum saepe matrimonia infelicia inveniantur, quae per malevolam deceptionem sponsi vel sponsae, per obreptionem vel subreptionem, adducta vel causata sunt, novum impedimentum dirimens necessarium esse videtur, aut in can. 1083 § 2 numerus 3 addatur: « si error circa qualitatem personae, per voluntariam vel dolosam deceptionem adductus est ». Conf.: Flatten, *Irrtum und Täuschung bei der Eheschliessung nach kanonischem Recht.* Paderborn (Schöningh) 1957.

Delegationes generales ad assistendum matrimoniis iuxta can. 1096 solis vicariis cooperatoribus concedi possunt. Desiderandum est, ut etiam vicariis adiutoribus haec delegatio generalis a parocho et ab ordinario loci concedi possit.

In canone 472 n. 2 statuitur, ut vacante paroecia ante vicarii oeconomi nominationem vicarius cooperator interim paroeciae regimen assumat. Si parocho datus fuit vicarius adiutor, consentaneum videtur, ut hic adiutor interim regimen paroeciae assumat.

In eodem canone 472 n. 2 habetur « si omnes aequales, munere

antiquior » (sc. assumat interim regimen paroeciae). Dubium manet, num « munere antiquior » is sit, qui in hac paroecia ante ceteros cooperatores nominatus est, aut is, qui generaliter prior cooperator vel in alia paroecia fuerit.

IV. Concilium oecumenicum mox convocandum imprimis pro quaestionibus pastoralibus maximi momenti erit. Quare iura et obligationes laicorum fusius circumscribenda sunt. De actione catholica certae leges vel praescripta edenda sunt et *Codici Iuris Canonici* inserenda. Laici plus quam adhuc factum est ad cooperationem in cura animarum, in eruditione puerorum, in administratione bonorum, etiam in muneribus curiae episcopalis adhibendi sunt, praesertim in illis regionibus, quibus copia clericorum deest.

Serio deliberandum erit, quomodo indifferentismo in rebus religiosis, laicismo et saecularisationi vitae publicae et privatae medendum vel praecavendum sit.

Formatio conscientiae fidelium in his temporum adiunctis maximi momenti est, cum res publica in suis legibus plus minusque ordini divino et ecclesiastico contradicat et cum diaria et ephemerides venenum immoralitatis et irreligiositatis dispergant et pervulgent, ita ut « opinio publica » ab hominibus fidei hostilibus vel ut aiunt neutralibus dirigatur. Necesse videtur, ut concilium quaedam « capita reformationis » decernat, quibus clerici et laici ab his periculis vitae publicae avertantur, et quibus inducantur ad verificanda praescripta religionis et conscientiae in omnibus partibus professionis vel vitae familiaris vel cooperationis in rebus populi, civitatis, status etc.

Praescripta ieiunii et abstinentiae per multas dispensationes hodie necessarias et magnam negligentiam plurimorum vim et momentum perdere coeperunt; nova disciplina ieiunium et abstinentiam pro paucis tantum diebus (v. g. quattuor temporum) praescribat et ieiunium mitiget permittens duas plenas coenas et refectionem.

Spero Concilium Oecumenicum mox convocandum magnam utilitatem pro Ecclesia Catholica adducturum et efficacem invitationem schismaticorum et haereticorum ad reconciliationem cum una sancta catholica et apostolica Ecclesia futurum esse.

Sanctam Purpuram reverenter deosculans permaneo Eminentiae Vestrae addictissimus famulus

✠ ADOLPHUS BOLTE
Episcopus Fuldensis

9

EXC.MI P. D. HENRICI MARIAE JANSSEN
Episcopi Hildesheiensis (Hildesheim)

una cum ipso responsum dedit

EXC.MUS P. D. HENRICUS PACHOWIAK
Episcopus tit. Phyteanus, Auxiliaris Hildesheiensis

Hildesheim, den 26 september 1959

Eminentissime Princeps!

Libentissime desideriis Summi Pontificis, Suae Sanctitatis Ioannis Papae XXIII fel. regn., obsequens subsignatus Episcopus — etiam nomine Exc.mi ac Rev.mi Domini Henrici Pachowiak, Episcopi titularis Phyteani, auxiliaris Hildesheiensis — venerabili Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico devotissime communicare audet adnexa consilia et vota ad aestimatas litteras diei 18 iunii 1959 exarata, propter varias urgentes actiones et vacationes — proh dolor! — retardata.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae simulque venerabili Pontificiae Commissioni uberrimas Dei gratias ac speciales S. Spiritus inspirationes adprecans Sacram Purpuram debita cum reverentia et oboedientia osculor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
in Christo addictissimus

✠ HENRICUS MARIA JANSSEN
Episcopus Hildesheiensis

CONSILIA ET VOTA
CIRCA RES, QUAE IN FUTURO CONCILIO TRACTARI POTERUNT

I. *Quoad doctrinae capita*

1. Explanatio omnino plena conceptus divino-apostolicae traditionis eiusque relationis ad S. Scripturam.

2. Declaratio conceptuum corredemptionis et mediationis B.M.V.

3. Studium confessionum christianarum ab Ecclesia Catholica dissidentium tam Orientis quam Occidentis etiam religionum paganorum quaestionumque ad reunionem Ecclesiae Christi pertinentium debet esse disciplina propria S. Theologiae in Universitatibus et Seminariis.

II. *Quoad disciplinam cleri et populi christiani*

1. Reprobatio et prohibitio superstitionis et venerationis quasi paganisticae B.M.V. aliorumque sanctorum, quae viget in quibusdam regionibus, praesertim in America meridionali, partim etiam in aliquibus civitatibus Europae.

2. In praedicationibus et vita christiana semper et ubique essentialia, praesertim SS. Eucharistia, ante res secundarias (e. g. « apparitiones B.M.V. », « peregrinationes », reliquiarum cultum) colantur. Verificentur omnibus locis reliquiae, et falsae eliminentur.

3. Commendatur opportuna innovatio legis abstinentiae et ieiunii. Pro dioecesibus Germaniae proponitur: lex abstinentiae servanda est singulis sextis feriis et feria quarta Cinerum; lex ieiunii servanda est feriis sextis Quadragesimae, feria quarta Cinerum et singulis feriis Hebdomadae Sanctae, exceptis feria quinta in Coena Domini et Sabbato Sancto seu Vigilia Paschali.

4. Inculcetur vera paupertas religiosis et modestia victus clericis saecularibus omnibusque laicis in regionibus, in quibus totus fere populus dives factus est. Abstineant clerici a nimia accommodatione ad hodiernam vitam saecularem.

III. *Quoad actuositatem multiplicis generis, qua hodie Ecclesia tenetur*

1. Desideratur acceleratio reformationis Breviarii Romani.

2. Desideratur accelerata instauratio Ritus consecrationis ecclesiae.

3. Cultus externus personarum Hierarchiae Ecclesiasticae ad exemplum humilis Christi redigatur.

IV. *Quoad negotia maioris momenti, quae Ecclesia hodiernis obire debet temporibus.*

1. Associationes laicorum ad Actionem Catholicam colendam in omni paroecia canonice instituantur et iura ac officia laicorum in illis associationibus clare et explicite circumscribantur.

2. Episcopale Officium pro cura animarum canonice instituatur Curiisque dioecesanis ita aggregetur, ut director huius officii sit vicarius Episcopi pro universa dioecesi in omnibus rebus practicis (non autem iuridicis) curam animarum respicientibus.

✠ Henricus Maria Janssen
Episcopus Hildesheiensis

10

Em.mi P. D. IOSEPHI Card. FRINGS
Archiepiscopi Coloniensis (Köln)

Em.me ac Rev.me Domine,

Liceat mihi cum omni reverentia proponere duo schemata pro Concilio Oecumenico praeparando:

alterum *de doctrina* cum aliquibus corollariis practicis,

alterum *de disciplina* et ad Codicem Iuris indigentiis nostri temporis adaptandum.

Quam occasionem nactus in osculo S. Purpurae me profiteor

servum verum et affectuosissimum
Eminentiae Vestrae

✠ Iosephum Card. Frings
Archiepiscopum Coloniensem

Coloniae, die 6 septembris 1959.

De disciplina
et ad Codicem Iuris indigentiis nostri temporis adaptandum

1. *Ad canones 36-86 C.I.C.*:

a) Proponitur, ut illae facultates, quae usque ad id tempus ordinariis rogantibus rescripto peculiari regulariter quidem, sed semper non nisi ad definitum ac relative breve tempus aut non nisi pro certo numero casuum dabantur, in perpetuum concedantur. Sed in hac re postulari possit, ut de usu harum facultatum quotannis ad S. Sedem referatur et statutae taxae persolvantur.

b) Item proponitur, ut privilegia, quae ante id tempus petentibus solummodo ad definitum spatium temporis restricta dabantur, concedantur ut perpetua, idest pro tempore vitae, dummodo circumstantiae id permittant.

Causa est: modus procedendi et apud S. Sedem et in administratione dioecesana sic simplificaretur.

2. *Ad can. 128 C.I.C.*:

Proponitur, ut hic canon in fine amplificetur verbis, quae sequuntur: « ... munus, quod ipsis fuerit aut ab episcopo *proprio aut consentiente episcopo ab alio episcopo commissum* ».

Causa est: spectatis quibusdam condicionibus, velut propter nimiam migrationem sive fluctuationem vel expulsionem hominum aut propter castra sive contubernia instituenda, necessitas Ecclesiae exigit, ut episcopus clericis suae dioecesis munus etiam extra hanc dioecesim suscipiendum mandet, qua in re ordinarios, ad quos spectat, consentire necesse est.

3. *Ad can. 340 C.I.C.*:

Secundum hunc canonem 340 § 1 « omnes episcopi tenentur singulis quinquenniis relationem Summo Pontifici facere super statu dioecesis sibi commissae secundum formulam ab Apostolica Sede datam ».

Proponitur, ut omnes aliae relationes vel quaestiones circulares vel indagationes statisticae, quae hoc praescriptum excedunt, omittantur.

Causa est: compositio et recognitio earum relationum, quae praesertim nuper ab officiis Romanae Curiae expetebantur, tantos labores et sumptus efficiunt, quanti nostra opinione aegre sunt defendendi.

Ut autem haec formula relationis quinquennalis episcoporum ad singulas Congregationes Romanas facilius perveniat, idonee dividatur et accommodetur earum iuribus.

4. *Ad can. 454 C.I.C.*:

Proponitur, ut distinctione parochorum inamovibilium et amovibilium sublata praescribatur, ut modus procedendi in remotione parochorum amovibilium servandus etiam adhibeatur in remotione et translatione parochorum inamovibilium.

Causa est: necessitas curae animarum exigit, ut parochi facilius transferantur. Modus procedendi in remotione parochorum amovibilium canonibus 2157-2161 praescriptus et bonum animarum respicit et iura parochorum satis servat.

5. *Ad canones 682-725 C.I.C.*:

Omnes quidem dicti canones, ut nunc est, comprehenduntur in titulum « De laicis », sed non nisi duo canones 682 et 683 agunt de iuribus et officiis laici *uniuscuiusque,* cum canones 684-725 sub titulo « De fidelium *associationibus* » subsumi possint.

Praeterquam canonibus 682 et 683 multa et alia iura et officia cuiuslibet laici ut individui per codicem sparsa leguntur.

Proponitur igitur, ut haec praescripta per codicem sparsa illis canonibus 682 et 683 colligantur saltem ceteris locis, qui laicos spectant, ibi indicatis. Etiam hoc loco mentio fiat, quomodo laici apostolatum Ecclesiae participent.

Causa est: mutatio sic proposita id, quod nunc falso quidem, sed facilius videatur, removet; videntur enim isti canones 682 et 683 omnia iura continere, quae laicum ut individuum attingunt.

Praeterea proponitur, ut episcopis detur ius custodiendi etiam illas associationes catholicorum, quae quidem praescriptis canonum 684-725 non tenentur, in quibus tamen clerici aliquid agunt aut inter moderatores aut in consilio administrationis aut in rebus gerendis, aut quibus clerici tamquam consiliarii imputabilitate oeconomica affecti sunt adiuncti.

Causa est: Illae associationes catholicorum, quae hic spectantur, ad vitam Ecclesiae saltem in Germania, magni momenti sunt, quae vulgo ut associationes ecclesiasticae habentur, praesertim si etiam in eis clerici moderatoris locum tenent aut multum valent. Qua de causa episcopis attribuendum est ius examinandi statuta talis associationis, recognoscendi spiritualia et temporalia eius, ut progressum sanum et ordinatum faciat, occurrendique, si opus fuerit, damnis.

6. *Ad can. 881 § 2 C.I.C.*:

Proponitur, ut canon mutetur in haec verba:

« Qui habent absolvendi potestatem sive ordinariam sive delegatam pro aliquo territorio, possunt eos, qui in isto territorio domicilium seu quasidomicilium habent, absolvere ubique terrarum ».

Causa est: cum numerus itinerum et peregrinationum continuo crescat, utilitati fidelium melius providebitur, si praeter eos, qui habent iurisdictionem ordinariam, etiam reliqui sacerdotes, dummodo sint approbati, extra suum territorium eas personas, pro quibus approbati sunt, valide et licite absolvere poterunt.

7. *Ad can. 1042 § 2 C.I.C.*:

Proponitur, ut inter impedimenta matrimonii abrogentur impedimenta gradus minoris.

Causa est: super his impedimentis regulariter vel semper fere ultro dispensatur. Praeterea, si agitur de consanguinitate in tertio gradu et de casibus criminis, qui hic spectantur, periculum est, ne impedimento non animadverso vel neglecto matrimonium fiat invalidum.

8. *Ad can. 1061 § 1 n. 3 C.I.C.*:

Proponitur, ut praescriptum hoc modo mutetur: « Parochus competens habeat *spem fundatam* de cautionum implemento ».

Causa est: secundum verba, quae nunc leguntur, iudicium, utrum habeatur *moralis certitudo* an non, imputatur non nisi ordinario dispensanti. Re autem vera hoc iudicare potest solummodo parochus, qui ipse sponsos novit. Praeterea experientia docuit multis in casibus aliquod dubium remanere, num exspectatio de cautionum implemento moraliter certa dici possit. Huic rei melius occurri possit, si certa « spes fundata » quasi minima, sed necessaria condicione exigatur. Adest enim differentia quasi essentialis inter certitudinem moralem de facto anteacto,

quae requiritur in processibus, et certitudinem de qua hic agitur, de re futura.

9. *Ad canones 1251 et 1202 C.I.C.*:

Proponitur, ut dies ieiunii conserventur, sed episcopi teneantur, ut eum modum ieiunii subditis suis praescribant, qui condicionibus dioecesis suae accommodatus sit.

Causa est: ieiunium tale, quale codice praescribitur, iam diu in nostris dioecesibus in desuetudinem venit nec restaurari potest sic stantibus. Utique numerus eorum, qui excusandi vel iusta causa a ieiunio essent liberandi, tantus esset, ut lex ieiunii magna ex parte inefficax fieret. Qua de causa consentaneum esse videtur episcopis ius concedi atque etiam officium imponi, ut pro dioecesi propria eam formam ieiunii praescribant, quae, quamvis veram renuntiationem postulet, attamen a plerisque fidelibus observari possit. Simili rerum condicione episcopis finitimarum dioecesium vel eiusdem provinciae ecclesiasticae vel etiam territorii aut nationis eandem formam ieiunii praescribere liceat.

10. *Ad can. 1363 § 3 C.I.C.*:

Proponitur, ut decretum Congregationis de Seminariis et Universitatibus studiorum et Congregationis negotiis religiosorum sodalium praepositae, datum die 25 m. iulii 1941 — *A.A.S.,* 1941, 371 — necnon decretum die 12 m. iulii 1957 — *A.A.S.,* 1957, 640 — pro illa parte, qua dispensatio Romana expetenda praescribitur, abrogentur.

Causa est: si praescriptum, quod § 3 can. 1363 continetur, probe observatur, satis fiet, ne non-idoneus admittatur.

11. *Ad canones 1395-1405*:

Proponitur, ut praescripta de prohibitione librorum funditus mutentur et simplificentur.

Causa est: in praxi non omnes libri prohibiti enumerari possunt, et dubium est, num effectus optatus sequatur. Potius inculcanda est obligatio iuris naturalis evitandi omnia, quae fidei et moribus pericula parant. Sic quaestio, quibus licentia libros prohibitos legendi concedatur, obsoleta erit. Ad quaestionem, utrum quendam librum legere alicui liceat an non, secundum normas generales theologiae moralis respondendum erit. Talis autem regula fideles conscientiae diligentis a perturbationibus, quae ipsis praeceptis libros prohibentibus fieri experientia docet, liberet. At per se constat ecclesiae ius libros damnandi competere.

12. *Ad canones 1409-1488 C.I.C.*:

Proponitur, ut ius beneficiorum condicionibus rerum, quae in diversis territoriis diversae sunt, magis adaptetur et, prout utile vel necesse erit, iure officiorum amplificando compensetur.

Causa est: ea, quae canones 1409-1488 praesupponunt, in dioecesi-

bus Germaniae atque etiam alibi, ut videtur, magna ex parte iam non exstant. Salarium enim parochorum plerumque pecuniis ex tributo ecclesiastico (quod membra ecclesiae praestant) haustis atque subsidiis rei publicae tutum redditur, et si forte sint alicubi redditus beneficii, minoris momenti sunt.

13. *Ad can. 1427 § 2 C.I.C.*:

Proponitur, ut praescriptum can. 1427 § 2 *C.I.C.* sic mutatum legatur:

« Causa divisionis aut dismembrationis paroeciae *gravis esse debet,* quod evenit *in primis,* si aut magna sit difficultas accedendi ad ecclesiam paroecialem aut nimia sit paroecianorum multitudo ».

Causa est: interdum alia de causa necesse erit terminos paroeciae corrigi, exempli gratia ut paroeciae fines et ambitus sive regio scholae congruant.

14. *Ad can. 1435 § 1 n. 1 C.I.C.*:

Proponitur, ut in textu extinguantur haec verba: « etiam honoris tantum ».

Causa est: devolutio iuris illa beneficia conferendi, quae vacaverint per obitum, promotionem, renuntiationem vel translationem alicuius, qui tantum honoris causa ad familiam Pontificiam pertinuit, plerumque non nisi ad aerarium S. Sedis momentum videtur habere. Sed hoc praescriptum collationem beneficii saepe molestum in modum retardat. Iuribus fiscalibus S. Sedis eo satisfieri possit, quod ordinarii de collatione horum beneficiorum referant, interrogantes, quae taxae sint persolvendae.

15. *Ad canones 1532, 1538, 1541 (cf. 534) C.I.C.*:

Proponitur, ut valor ille rei alienandae, quo superato licentia S. Sedis expetenda est, in certa proportione ad numerum animarum singularum dioecesium ponatur.

Causa est: alienationes vel obligationes (nomine hypothecae) pretii viginti milium marcarum non sunt actus iuridici, qui statum bonorum maioris dioecesis in periculum adducant. Cautiones necessariae eo dantur, quod consensus consilii administrationis dioecesanae atque Capituli cathedralis exquirendus est. Propter taxas autem ad S. Sedem solvendas singulis annis relatio de talibus negotiis ad S. Sedem facienda postuletur.

16. *Ad canones 1767 sqq. et 2037 § 3 C.I.C.*:

Proponitur, ut iuramento de veritate dicenda renuntietur et solummodo iuramentum de veritate dicta poscatur.

Causa est: praestationes iuris iurandi propter sanctitatem eius muniendam raro fiant. Gravis commonitio, quae initio discussionis causae de iure iurando postea praestando fiat, satis det.

17. *Ad A.A.S. 1910, 625 sqq.*

Proponitur, ut praestatio iuramenti contra Modernistarum errores ab unoquoque sacerdote semel dumtaxat postuletur, fortasse ante promotionem ad ordinem presbyteratus.

Causa est: propter sanctitatem iuris iurandi optandum est, ut numerus praestationum iuris iurandi, quantum fieri possit, restringatur. Necessitati satis fieri videtur iuramento semel praestito.

18. *Ad can. 2217 § 1 n. 2 C.I.C.*:

Proponitur, ut distinctio inter poenas latae sententiae et poenas ferendae sententiae adhuc valida eo affectu abrogetur, ut iam non sint nisi poenae ferendae sententiae, idest poenae, quae a iudice vel a superiore infliguntur.

Causa est: praxis satis docet poenas latae sententiae non raro incertitudinem iuris efficere, utrum poena re vera contracta sit necne. Atque etiam in hac re probatio difficilis redditur. Praeterea distinctione illa suppressa ius poenale simplificaretur. Ad effectum per poenam latae sententiae intentum nostris temporibus certe non minus bene, immo plerumque melius per poenam ferendae sententiae perveniri potest.

Quod autem in quibusdam casibus absolutio a censuris latae sententiae usque ad id tempus erat reservata, finis hac reservatione intentus in tuto collocari possit ea ratione, ut in posterum absolutio *peccati,* quo censura contrahebatur, pari modo reservetur, et quidem eo consilio, ut quoad facta, quae sunt publica aut secundum naturam publica fieri possunt, primo in foro externo ordo restitui debeat.

19. *Ad canones 2314-2411 C.I.C.*:

Proponitur, ut examinetur, quomodo delicta his canonibus enumerata ratione peccati reservari oporteat. In hac enim re simplificatio quam maxima optabilis est.

Causa est: Si id, quod ad can. 2217 § 1 n. 2 *C.I.C.* propositum est, accipitur, ita ut poenae latae sententiae supprimantur, reservatio cum illis poenis adhuc coniuncta nova reservatione, quae ratione peccati fiat, restitui oportet, ut supra dictum est. Sed non pauca delicta illis canonibus enumerata nostris temporibus nullius iam momenti sunt.

De doctrina

cum aliquibus corollariis practicis

I. *Propositiones anthropologicae*

Imprimis adversus materialismum dialecticum inculcandae de imagine christiana hominis.

1. Quomodo homo se habeat ad materiam et naturam.

De veris et falsis theoriis evolutionis.

2. Quomodo homines inter se coniuncti sint.

De personalismo et solidarismo.

Quae mutuae inter familiam et rem publicam relationes vel rationes vigeant.

De nationalismo et « racismo », idest de nimio atque superbo amore propriae nationis vel stirpis sive subspeciei generis humani.

3. Quomodo homo se habeat ad Deum.

Qua ratione homo cum Deo coniunctus sit, cum a Deo absolute dependeat.

Qua ratione Deus sit finis ultimus hominis secundum ordinem naturalem et supernaturalem.

II. *Propositiones ecclesiologicae*

1. De officio vel munere atque auctoritate episcopi.

Quomodo inter se cohaereant et differant ordines diaconatus, presbyteratus, episcopatus.

Quomodo singuli episcopi sui iuris officio fungantur, cum summo pontifici sint subiecti et ab eo instituantur.

Quantus ambitus dioeceseon maxime congruus atque optimus habendus sit.

De seminariis regionalibus sive interdioecesanis: quid sit providendum.

Quae sit auctoritas et condicio conventuum sive congregationum episcoporum singularum nationum.

Qualiter commercia inter episcopos et Curiam Romanam sint habenda.

Optandum est, ut episcopis facultates perpetuae pro quibusdam rebus conferantur.

2. Quem locum homo laicus in Ecclesia teneat ex parte theologiae.

Apostolatus laicorum et actio catholica foveantur; inducantur in *Cod. Iur. Can.* eodemque firmentur.

Exquirendum erit, utrum utile sit ordines minores reviviscere ut gradus per se existentes et suis singulis muneribus fungentes, etiam utrum expediat diaconos coniugatos ecclesiastico munere fungi.

De condicione mulieris in Ecclesia.

De religionibus mulierum, sive ordinibus sive congregationibus, atque de earum exemptione a iurisdictione episcopi.

3. Quomodo Ecclesia se habeat ad christifideles acatholicos. Qua-

lem hi relationem sive coniunctionem habeant cum una et vera Ecclesia, dum bona fide sint extra Ecclesiam.

Examinetur quaestio, utrum ecclesiae evangelicae unitae (sic dicantur) fundari possint, quibus liceat retinere liturgiam linguae vernaculae, saltem in missa catechumenorum, et habere sacerdotes coniugatos.

4. Quomodo Ecclesia se gerat adversus infideles.

Cum diversae nationes Asiae et Africae et Americae meridionalis tanta crescant multitudine hominum atque etiam in humanitate continuo proficiant, amplissima ratio totius rei missionariae instituenda.

Per totum orbem terrarum clerici bene et recte distribuantur.

Clerus numerosior ex indigenis eligatur et apte excolatur.

An forsitan suadendum sit, ut obligatio caelibatus in terris tropicis et subtropicis relaxetur.

De studiis clericorum indigenarum particulariter quaerendum est, in quantum linguam latinam et philosophiam scholasticam ediscant.

Admittatur conatus doctrinas et methodum philosophiae Asiaticae in quantum non sint alienae, in systema doctrinarum Ecclesiae assumendi.

Utrum in missa catechumenorum, maxime in terris missionum, vernacula lingua adhiberi possit.

Pecuniae pro missionibus conferendae augeantur ea ratione, ut dioeceses Europae et Americae velut patrini vel patroni dioeceses missionarias foveant et adiuvent, cum sacra Congregatio de Propaganda Fide hos sumptus approbet atque custodiat.

Opus famem et morbos oppugnans ubique terrarum dilatetur et amplificetur.

5. De liturgia Ecclesiae.

Reformatio liturgiae ecclesiasticae quam primum ad finem perducatur.

De versione vulgata Psalterii correcta.

Reformentur calendarium liturgicum atque etiam lectiones singulorum nocturnorum breviarii, idest lectiones sacrae scripturae et lectiones hagiographicae et homiliae.

Coloniae, die 6 m. septembris 1959.

✠ IOSEPHUS Card. FRINGS
Archiepiscopus Coloniensis

11

Exc.mi P. D. GULIELMI KEMPF
Episcopi Limburgensis (Limburg)

Eminentissime Princeps!

Honorem mihi duco in his, quae sequuntur, mentem aperire circa res et argumenta, quae mihi tamquam materia in Concilio Oecumenico tractanda maioris momenti esse videntur:

I. *Circa quaestiones doctrinae*:

1) Desideratur ulterior *definitio de Ecclesia,* praesertim de positione laicorum in Ecclesia ut subiectorum vitae atque activitatis eius in mundo.

2) Desideratur *completio doctrinae de potestate Episcopali* iure divino fundata in Concilio Vaticano initiata et praeparata.

3) Desideratur decretum de conficiendo aliquo *cathechismo doctrinae socialis* ecclesiae authentico pro adultorum instructione.

II. *Circa qauestiones liturgicas*:

1) Desiderantur *normae pro continuatione reformationis liturgicae,* imprimis librorum Breviarii, Pontificalis Romani.

2) In specie necessitatibus temporum et curae pastoralis adaptentur *consecrationis ritus quoad ecclesias et altaria,* ritus Baptismi et Ordinationum.

III. *Circa quaestiones disciplinares*:

1) In iure officiorum ecclesiasticorum *ius inamovibilitatis parochorum* adaptetur ita necessitatibus curae animarum ut facilius de ea dispensari possit.

2) Ad praecavenda scandala sacerdotum inquiratur, an in casibus difficilioribus sive ratione status psychici sive boni animarum facilius concedi possit *dispensatio a coelibatu,* si exercitium ordinis definitive exclusum est.

3) Quoad *vestem clericalem* clare distinguatur habitus liturgicus et civilis; normae de civili ita statuantur ut servetur distinctio clare intelligibilis clerici a laico; sed particularia statuere opportunitatibus locorum adaptata relinquatur Episcopis.

4) In iure sacramentario extendatur *facultas impertiendi sacramentum confirmationis* et ad omnes casus periculi probabilis mortis et ad omnes sacerdotes, qui licet loco parochi non sint, tamen cum eius licentia sacramenta administrant.

5) Abrogentur *reservationes omnes* pro foro interno.

6) Extendatur *iurisdictio ad audiendas confessiones delegata* a iure pro itinere maritimo et aereo etiam apto modo ad alia itinera, praesertim peregrinationes.

7) Abrogentur *impedimenta dirimentia matrimonii gradus minoris* omniaque *impedientia* tantum; casui *voti* sufficienter provisum videtur per principia generalia de voto; casui *mixtae religionis* provideatur per commutationem in impedimentum dirimens.

8) Decernatur ut dispensatio *in casu disparitatis cultus et mixtae religionis* solum concedatur post instructionem praeviam utriusque nupturientis intensiorem a parocho datam de matrimonio christiano secundum mentem ecclesiae catholicae, etiam ad obtinendum melius iudicium de promptitudine ad implendas cautiones.

9) Introducatur canon de *impedimento dirimente erroris qualificati* circa circumstantias, quarum cognitio matrimonium impedivisset (praesertim impotentiae generandi, defectus valetudinis ex morbis venereis, poenae diuturnioris subeundae etc.).

10) Quoad *impedimentum disparitatis cultus,* deleantur in *C.I.C.* can. 1070 § 1 verba « in Ecclesia catholica ... conversa ».

11) Ad instar can. 83 iuris matrimonialis Orientalium sub poena nullitatis prohibeatur *appositio condicionis* in consensu matrimoniali.

12) Concedatur delegabilitas universalis *facultatis assistendi matrimonio* dummodo detur scripta (can. 1096 § 1).

13) Reformentur normae de *prohibitione librorum* ita, ut una ex parte abrogentur normae quatenus obligant ex iure positivo ecclesiastico tantum, altera ex parte relinquatur Episcopis statuere in variis regionibus media, quibus vigilantia circa fidem et mores relate ad omnes modos modernos publicationum exerceatur. Pariter temporibus hodiernis adaptentur normae de censura librorum.

14) Quoad *censuras in iure poenali* sufficiat distinctio inter censuras « reservatas Romano Pontifici » (quae hucusque speciali modo reservabantur) et « reservatas Ordinario » (omnes aliae: quarum non-necessariae supprimantur).

15) In iure processuali caveatur ne *processus matrimoniales* per *nimium tempus protrahantur.*

Haec exponens permaneo cum debita, qua par est, reverentia s. venerans purpuram

Limburgi ad Lahnam, die 12 octobris 1959.

Eminentiae Vestrae addictissimus
✠ GULIELMUS KEMPF
Episcopus Limburgensis

12

EXC.MI P. D. ALBERTI STOHR
Episcopi Moguntini (Mainz, Magonza)

Mainz, die 29 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Cum Summus Pontifex noster Ioannes XXIII fel. regn. mentem voluntatemque mundo annuntiavisset, ut Concilium oecumenicum brevi tempore ageretur, et animus meus et omnium animi gaudio maximo afficiebantur implebanturque. Concilium universale scilicet omnes vires revelat, demonstrat, explicat, quas Dominus Fundator noster Iesus Christus Ecclesiae suae insitas esse voluit. Neque dubium esse potest, quin dum tale Concilium operibus ac laboribus suis incumbit, Spiritus Sanctus salutem plebis sanctae Dei multimodis efficiat.

Administer et socius esse in tanto opere una cum permultis aliis viris illustrissimis conficiendo, perfecto summo honori vertendum est, qui homines contingere quit. Quapropter ex animo Tibi congratulor, quia ipse a S. P. ad Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam sic dictam vocatus es. Quod vero attinet ad literas die mensis 18 iunii anni vertentis datas, a cursu publico tamen die 11 iulii 1959 insignitas, quibus me quoque invitasti, ut isti « Pontificiae Commissioni omni cum libertate et sinceritate animadversiones consilia et vota communicem, quae pastoralis sollicitudo zelusque animarum... suggerant circa res et argumenta, quae in futuro Concilio tractari poterunt », gaudium universale, si fieri potuit, adhuc amplificatum est.

Uti Eminentia Vestra exponebat « Sanctitas Sua maximum tribuit momentum sententiis, consiliis et votis eorum, qui futuri Concilii Patres erunt ».

Itaque summo mihi duco honori quaedam explanare, quae animo meo observantur de materiis pertractandis in tanto coetu eorum, quos « Spi-

ritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine Suo » (*Act.*, 20, 28).

Quoniam vero Concilio priore quod Vaticanum vocant praepropere finito materiae plurimae hucusque accumulatae sunt, valde necessarium videtur argumenta rerum diligenter distingui ac dividi, tunc autem ea solummodo agitari, quae animos fidelium his temporibus gravissime premunt.

1. Ego quidem dixerim admodum opportune mihi apparere ea omnia seponi et a disputatione eximi, quae minoris momenti sunt, ut eo magis quaestiones principales disceptentur, quae hac aetate animos et mentes commovent. Materia primaria — S. S. quoque hanc opinionem sequitur — aestimanda est Unio Ecclesiae augenda et promovenda atque haereses et schismata tollenda. Quam ob rem in primo loco ea collocanda erunt, quae a Concilio Vaticano de tractatu Ecclesiae edici, decerni, definiri non iam potuerunt, praesertim de *vi, pondere, gravitate, valore episcopatus,* praecipue in comparatione et proportione cum Papatu, de quo fuse lateque disserebatur annis 1869-70.

Equidem ego pro certo habeo multas haereticorum et schismaticorum difficultates e medio tolli atque eorum in sinum Ecclesiae aditum a plurimis fidelibus ardentissime desideratum non mediocriter sublevari, si hoc caput doctrinae aequali gravitate et amplitudine ageretur. Quod eo facilius feliciter evenire mihi persuasum est, si eodem tempore ac cum expositionibus dogmaticis nonnulli canones *C.I.C.* mollirentur, qui a non paucis tamquam nimius « centralismus » ut hoc vocabulo utar sentiuntur.

Sine dubio multae facultates quin ius divinum laedatur a dicasteriis superioribus i. e. Romanis ad curias inferiores i. e. dioecesanas transferri poterunt. Sed etiamsi Concilio celebrando non contigerit, ut non a vestigio pars magna fratrum hodiedum a sancta Ecclesia separatorum in communem domum Patris revertantur, tamen sperandum est aditum ad unitatem optatam allevatum iri, ita ut re vera de actione praeparatoria loqui possimus.

2. In themate quod unionem Ecclesiae respicit, problema principale futuri conventus universalis positum esse iudico. Forsan autem fieri poterit, ut nonnulla fundamenta laborum in materia liturgica in posterum elucubrandorum deliberentur. At nullatenus res singulares ac speciales huius materiae agitentur, nempe vota quae reformationem Breviarii et Missalis respiciunt. Nihilominus iudicio meo capacitatem Concilii non superabit lineas ad huius rei naturam pertinentes ducere et designare. Quoad usum linguae vernaculae iustis votis satisfactum mihi esse videtur, si privilegia episcopis Germaniae benigne concessa ad alia territoria

extendantur. Liceat autem attentionem istius commissionis excitare ad ea, quae ab Excellentissimis ac Reverendissimis Ordinariis Trevirensi et Passaviensi circa materiam proponuntur. Materiae liturgicae propriae gremio dicasterii Roman confidenter relinqui poterunt, sicut olim Concilio Tridentino celebrato et ad finem deducto factum est (cf. *Editionem Missalis, Breviarii, Catechismi Romani*).

3. Ut brevissimis verbis sensum opinionemque meam complectar, omnes materias prorsus vitandas esse censeo, quae ad unionem desideratam diminuendam idoneae sint.

Inter quas enumero discussiones mariologicas novissime habitas; e contrario autem illae materiae, quae coniunctionem fovent et spem afferunt cunctos christianos in unum ovile revocari et colligi, favendae sunt.

4. Quod ad *C.I.C.* spectat, summae curae mihi est, ut ius Religiosorum reformetur. Nam quamvis penitus agnoscam mulieres viris pares esse posse ratione et mente, ingenio et voluntate, tamen non est infitiandum administrationem sacerdotis i. e. viri simul cum superioribus sororum altioris gradus, optimos fructus praebere atque non raro damna impedire. In regionibus nostris a multis regimen hodie introductum moleste fertur, secundum quod sacerdos nil aliud quam vicem « spiritualis » tantum gerit iuxta sorores sensu stricto superiores, cuiusque potestatis directivae carens; e contra prior regimen in quo sacerdos « superior » et vocabatur et profecto erat, aperte laudatur. In congregationibus iuris dioecesani videlicet prior status adhuc vigere potest, sed in congregationibus iuris Pontificii eradicatus est. Viginti quatuor annis episcopatus mei elapsis iterum ac saepius dolebam, quod religiosae admodum in sua potestate sunt, suo arbitrio vivunt, auctoritate episcopi nimis subductae. Quo pacto aliquae spiritus angustiae, quibus mulieres laborare solent, evinci non potuerunt. Reformatio canonum ad capitulum « de poenis ecclesiasticis » et « de indice librorum prohibitorum » pertinentium a permultis desideratur.

5. Quod ad modum procedendi pertinet, adiuncta rerum et temporum valde suadere videntur, ut materiae in Concilio proponendae fuse lateque, accurate arguteque iam antea explorentur et exarentur, priusquam sessiones plenariae convocabuntur.

Pernecessarium erit sessiones plenarias quantum fieri poterit abbreviari iam ex ea causa, quia tanta episcoporum moles vix diutius a dioecesibus suis distendi quit.

Quoad materiam quae maxime mihi cordi est, nempe Ecclesiae unionem, petitionem adicere mihi liceat, ut circuli et commissiones, quae in singulis mundi regionibus rebus oecumenicis iamdum occupantur e. g.

in Gallia, Hollandia, Germania, Helvetia abunde audiantur. In hac enim materia nequaquam sufficit scientia theoretica, sed summopere oportet mentes et animos haereticorum schismaticorumque multis praeiudiciis refertorum percontari et explorari, ut ab erroribus suis resipiscentes in unum et omnibus commune ovile Pastoris Iesu Christi redeant, quod nos omnes percupimus.

Quae omnia dum palam et libere mentem meam aperiens profero, recordatus sum SS. P. adhuc Nuntium Apostolicum in Francia existentem initio colloquii mecum habiti me vocavisse « in cameram caritatis et veritatis », ut cogitationes mentis meae pandam. His igitur versibus cum voluntati Suae Sanctitatis tum Eminentiae Vestrae obsecundare studui, sicut e verbis supra citatis apparet.

Restat ut optima omnia et vota proferam pro salubri decursu omnium operum futuri Concilii, et praeparatoriorum et eorum quae sensu stricto eius sunt.

Qua occasione libenter arrepta sensus observantiae meae ex animo obtestans atque fausta quaeque a Domino adprecans me profiteor

obsequentissimum atque addictissimum
Eminentiae Vestrae
✠ ALBERTUS STOHR
Episcopus Moguntinus

13

EXC.MI P. D. OTTONIS SPULBECK
Episcopi Misnensis (Meissen, Misnia)

Budissae, die 25 novembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Princeps!

Invitationem Vestram ad communicandum Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae animadversiones meas circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt permagno aestimo. Litteris Vestris diei 18 iunii 1959 (Prot. N. IC/59-834) impulsus, nonnulla capita respicientia doctrinam et regimen Ecclesiae et rem liturgicam collegi, quae inter sacerdotes et laicos meae dioeceseos discutiuntur et secundum meum iudicium ad communitatem totius Eclesiae spectant.

Hanc relationem, quam epistola mea die 24 m. septembris huius anni

data mox venturam annuntiavi, hisce litteris nunc acclusam transmittere honorem duco. Talibus quaestionibus, quas adiunxi, capita tractanda non restringere, sed uti exemplis determinare intendo.

Interim sacram Purpuram cum omni reverentia deosculans Eminentiae Vestrae addictissimus

✠ OTTO SPULBECK
Episcopus Misnensis

I. *De doctrina*

Duo capita de doctrina perutiliter tractari mihi videntur:

ecclesiologia feliciter in Concilio Vaticano I inaugurata et Encyclicis Pii XII Pp. optime promota necnon

anthropologia a materialismo atheistico tam saepe in pravum detorta.

Exempli munere sequentes quaestiones fungantur:

1. De Ecclesiologia.

Utrum ecclesiologia in Concilio Vaticano inaugurata quoad sequentes quaestiones evolvenda sit:

a) enumerare qualitates requisitas ut quis membrum ecclesiae recensendus sit;

b) declarare quo sensu quis nonnisi materialiter haereticus ac rite sed a ministro acatholico baptizatus, sit excommunicatus;

c) elucidare quo munere laici in Corpore Christi mystico fungantur;

d) exponere munus, officia et iura episcopi, in quantum eius relationem ad regimen totius ecclesiae ex una parte et ex altera parte ad regimen paroeciarum dioeceseos dicant;

e) enucleare finem Ecclesiae, quae est Corpus Christi mysticum, qua transformationem mundi in regnum Dei.

2. De Anthropologia.

Utrum doctrina areligiosa de homine quoad sequentes propositiones tractanda sit:

a) quoad originem hominis;

b) quoad evolutionem generis humani (de evolutionismo);

c) quoad perfectionem hominis nunc existentis eiusque relationem ad gratiam (de existentialismo);

d) quoad capacitatem intellectus humani relate ad cognitionem Dei revelantis (de phaenomenologia).

II. *De re liturgica*

Sacra liturgia renovata in mea dioecesi uberrimos et felices fructus ferre nemini latet. Desiderandum non remanet nisi consummatio huius operis tam magni momenti quod iam in effectu esse dicitur et quo complectuntur

restauratio anni ecclesiastici et

editio nova librorum liturgicorum et

adaptatio pastoralis formae celebrationis sacrosancti Missae sacrificii.

Recordationis causa ex secundo et tertio capite quasdam quaestiones afferre liceat:

1. De editione librorum liturgicorum:

Utrum Sancta Sedes recitationem horarum canonicarum de qua in can. 135 *C.I.C.* agitur editione propriorum et probatorum liturgicorum librorum linguis vernaculis principalioribus peracta usu facultativo sive linguae latinae sive linguae dicto modo approbatae faciliorem et fertiliorem reddat.

2. De adaptatione pastorali formae Missae:

Utrum rubricae ad sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum in sequentibus modificandae sint:

a) accessus ad altare sine calice et patena, quae aut ante missam aut ad offertorium a ministrantibus in mensam ponantur;

b) antiphona et psalmus ad Introitum, confessio et quae sequuntur excepta oratione « Aufer a nobis » et « Oramus te Domine » (confer: rubricae generales Missalis XVI) aut in sacristia aut in accessu ad altare recitentur;

c) celebrans omnia, quae a ministris sacris vel a choro cantantur, legat non oporteat;

d) in canone, consecratione peracta, signa usque nunc in forma crucis adhibita exceptis illis ad verba « Per ipsum... » et « Pax Domini... » praescriptis ad signa mere demonstrativa redigantur;

e) in praeparatione materiae consecrationis post offertorium eliminentur omnia verba, quae oblationem ad ipsam materiam panis et vini referre videantur (confer orationes: « Suscipe, sancte pater » et « Offerimus tibi Domine » et « Suscipe sancta Trinitas »);

f) confiteor et orationes sequentes ante communionem fidelium omittantur.

Utrum forma concelebrationis, in missa ordinationis sacerdotalis adhibita, sacerdotibus concurrentibus qui devoti missam privatam celebrare nequeunt, a iure concedenda sit.

III. *De regimine et de disciplina*

Iuris canonici nunc vigentis modificationem, de qua Sua Sanctitas Ioannes XXIII Pp. locutus est, laeto animo saluto. Vita quotidiana ecclesiae in mea dioecesi magna ex parte influxu regiminis marxistici mutata est et non raro adaptationem structurae iuridicae summopere exigit. Praesertim in iure poenali fundamentalem renovationem requiri mihi extra dubium esse videtur. De aliis capitibus, nempe

de ordinibus sacris et de clero,
de administratione dioeceseos,
de iure matrimoniali,
de indice librorum prohibitorum

quasdam quaestiones attuli, quae tamquam exempla evolutionem et necessitudines vitae actualis innuere conantur.

1. De ordinibus sacris et de clero.

Utrum clericis qui nonobstante canone 121 *C.I.C.* ad servitium militare conscribuntur vel cura castrensis vel officium adiuvandi infirmos et vulneratos a iure imponendum sit.

Utrum possibilitas viros et ecclesiae inservientes et bonis moribus instructos et debita scientia praeditos uxorem habentes necnon cursum theologicum non frequentantes ad sacros ordines minores admittendi in iure communi condenda sit.

Utrum ad hoc bene dispositis viris matrimonio iunctis urgente gravi necessitate potestas praedicandi et sacram communionem distribuendi concedenda aut illis sacer ordo diaconatus conferendus sit.

Utrum exemptio regularium sive virorum sive mulierum praesertim in regionibus, in quibus superior religiosus in regimine suorum subditorum impeditur, in favorem Ordinarii loci restringenda sit (cf. cann. 615 et 618 § 2).

Utrum alumni omnes etiam indigenae in cursu theologico, de quo in can. 1365 § 2 in lingua latina et philosophia thomistica instituendi sint aut philosophia terrae orientalis ad explicandam theologiam dogmaticam adaptanda sit.

2. De administratione dioeceseos.

Utrum iura facultatibus quinquennalibus Ordinario loci concessa ad eius potestatem ordinariam adscribenda sint.

Utrum normae generales pro constitutione curiae dioecesanae simi-

les illis iam existentibus pro administratione bonorum ecclesiasticorum et pro tribunalibus dioecesanis condendae sint.

Utrum iuramenta quae secundum normas *C.I.C.* praesertim in collatione munerum officiorumque ecclesiasticorum requiruntur suppressis formulis sic dictae professionis fidei catholicae necnon iurisiurandi contra errores modernismi modo breviori et actuali dispositionem religiosam munus fideliter exsequendi manifestare possint.

Utrum differentiae inter paroecias inamovibiles et amovibiles ad administrationem dioecesis faciliorem reddendam a iure abolendae et omnes paroeciae inamovibiles declarandae sint (cf. cann. 454 et 2147-2163 *C.I.C.*).

Utrum Ordinario loci potestas obligandi beneficia opulenta ad sustentationem beneficiorum humilium ex reditibus superfluis officio adnexis a iure concedenda sit.

Utrum fidelibus paroeciarum praeter can. 1409 et can. 1427 § 3 *C.I.C.* sine dote erectarum contributio obligatoria ad sufficientem sustentationem paroeciae a iure imponenda sit.

Utrum facultas erigendi vias crucis et facultas concedendi determinatis ecclesiis lucrationem indulgentiae sic dictae « portiunculae » a iure Ordinario loci tribuenda sit.

3. De iure matrimoniali.

Utrum quoad ius matrimoniale de sequentibus providendum sit:

a) abolire impedimenta gradus minoris de quibus in can. 1042 § 2;

b) concedere parochis potestatem dispensandi ab impedimento mixtae religionis;

c) connumerare impedimentis dirimentibus errorem dolose causatum;

b) abolire in processibus matrimonialibus iuramentum de veritate dicenda retento unico iuramento de veritate dicta et de secreto servando.

4. De indice librorum prohibitorum.

Utrum modus procedendi in decisione de prohibitione alicuius libri immutandus vel innovandus sit.

Utrum licentia legendi libros prohibitos de qua in can. 1402 § 1 in determinatis circumstantiis gravi ac rationabili causa fidelibus a iure concedenda et in licentiam retinendi hos libros amplificanda sit.

Budissae, die 25 novembris 1959.

✠ OTTO SPULBECK
Episcopus Misnensis

14

Exc.mi P. D. MICHAELIS KELLER
Episcopi Monasteriensis (Münster)

Eminentissime Princeps,

Iuxta litteras istius Rev.mae Pontificiae Commissionis d.d. 18 iunii h. a. (Prot. N. IC/59-886) hisce animadversiones, consilia et vota exhibere mihi liceat circa res et argumenta, quae, ut ego putaverim, in futuro Concilio tractari poterunt.

Quae per *Concilium Oecumenicum,* a Summo Pontifice plaudente orbe indictum, utiliter ac salubriter deliberari et, Spiritu Sancto volente, etiam decerni posse mihi videntur, comprehendam unico capite, ad « quod... non modo insignis huius doctrinae granditas permovet, sed praesentes etiam, quibus utimur, rerum condiciones » (cf. Pius XII, Encycl. *Mystici Corporis, A.A.S.,* 35 [1943], p. 193): *Ecclesia Catholica,* signum levatum inter nationes, et quidem eius natura (I), proprietates vel notae (II), ministeria (III), munera vel fines (IV).

I

Quoad *naturam* Ecclesiae praeter visibilitatem societatis hierarchice et iuridice ordinatae (iam satis antea definitam) intima eius essentia theandrica plenius describatur, sicuti mens iam erat Concilii Vaticani, imprimis Ecclesiam esse Sponsam et Corpus Iesu Christi mysticum, a Spiritu animatum, ac populum Dei, ad perfectum regnum Dei tendentem, ad civitatem caelestem commigrantem, consecrationem mundi piissimo adventu Capitis sui inceptam (cf. *Martyrologium in Nativitate Domini*) Spiritu Sancto operante perficere cupientem.

II

Quoad *Proprietates* vel *notas* Ecclesiae:

1. Relate ad unitatem Concilium deliberare et Deo volente decernere fortasse poterit, quonam sensu et modo haeretici et schismatici (ut dicunt) « materiales » « inscio quodam desiderio ac voto ad mysticum Redemptoris Corpus ordinentur » (cf. Encycl. *Mystici Corporis, l. c.,* 243).

Declaretur, Ecclesiae unitati minime obstare diversitatem rituum (qui immo sub tutela Summi Pontificis promoveantur et ad primigeniam formam, si oporteat, restituantur), nec unitatem concipi deberi ad modum statuum « totalitarium », sed ad formam corporis vivi organici, in quo « divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus, divisiones

ministrationum, idem autem Dominus, divisiones operationum, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus » (*I Cor.*, 12, 4-6), in quo totum membris, membra toti compagini inserviant, in quo activitas membrorum et Ecclesiarum particularium nequaquam per activitatem « centri » (ut dicunt) nimis restringatur, sed vi principiorum « subsidiaritatis » et « solidaritatis » flagiter ac revera aestimetur.

2. Quoad *sanctitatem* opportuna videtur sincera confessio, non obstante sanctitate Sponsae Christi, proh dolor, etiam hodie cerni posse, « quod humanae arguit conditionis nostrae infirmitatem », quodque zizaniae nomen meretur (cf. Pius XII, Encycl. *Mystici Corporis, l. c.,* p. 225; Pius XI, Encycl. *Mit brennender Sorge, A.A.S.,* 29 [1937] pp. 152 vel 175).

Ad sanctitatem ex baptismate consequentem Concilium exhortetur, obligationem omnium, praesertim sacerdotum, ut Christum magis magisque induant, urgendo, laudandoque multiplices conatus hodiernos evangelica perfectionis consilia alacriter exsequendi.

Catholicitatem « internam » ecclesiae, quae « amplectitur et sanctificat omne, quod est vere humanum » (Pius XII allocutio ad novos cardinales, 20 februarii 1946) concilium magnopere extollat.

3. Quoad *catholicitatem* confirmetur obligatio non tantum missionariis incumbens, sed redundas in totam Ecclesiam, docendi baptizandique omnes gentes, cum officium istud non tantum negetur ab acatholicis, sed non raro obscuretur a quibusdam catholicis, qui paganorum qualicumque Ecclesiae voto, ut medio ad salutem apto, nimium confidunt. « Adaptatio » activitatis missionariae enixe commendetur, obstantibus omnibus, quantum fieri potest, remotis, cum Ecclesia nequaquam uni culturae vincta sit.

4. Quoad *Apostolicitatem* videsis III, 3 et IV, 1

III

Quoad *ministeria* declaretur:

1. Omnia officia ecclesiastica, a summo ad infimum, esse vere *ministeria,* sicut et caput Ecclesiae Christus non venit ministrari, sed ministrare (cf. *Mt.,* 20, 28), potestatem vero a Christo delegatam non esse finem, sed medium, ecclesiam igitur falso accusari de spiritu dominationis.

2. Praeter officia hierarchica in Ecclesia a Spiritu Sancto iugiter suscitari alia *charismata.*

3. Doctrina de Romani Pontificis primatu ac infallibilitate, a Concilio Vaticano definita et Deo dante in Ecclesia radicata et inconcussa,

natura *Episcopatus* plenius elucidetur: Episcopos esse iuris divini ecclesiarum particularium veros pastores, doctores, summos sacerdotes. Si quod vero in canonibus *C.I.C.* vel in praxi Curiae Romanae deprehendatur, quod re vera vel etiam oculis acatholicorum doctrinam catholicam de Episcopatu obscurare possit, in trutina ponatur, e. g. inhabilitas eorum relate ad approbationem litaniarum (*C.I.C.,* can. 1259 § 2). Examini quoque subiciatur possibilitas extendendi iura Episcoporum relate ad liturgiam (e. g. « orationes fidelium » secundum morem pristinum concedendi) relate quoque ad Ordines, Congregationes, Instituta saecularia, quae curam animarum vel opera caritatis in respectivis dioecesibus exercent.

4. Iura et officia eorum, qui *laici* vocantur, positivo quodam modo describantur: eos, suppositis supponendis, esse revera membra Ecclesiae, iisdem vi baptismatis ac confirmationis concredita esse munera pro Ecclesia et pro « consecratione » mundi, sive cum Hierarchia sensu stricto cooperando, sive vivendo et agendo secundum normas a Christo et Ecclesia hierarchica datas, et in intima coniunctione cum sacris pastoribus.

IV

Quoad *munera* vel *fines* Ecclesiae haec imprimis pleniore luce videntur illustranda et pressius decernenda:

1. Munus *praedicationis* urgeatur. Fontem primarium veritatis catholicae esse S. Scripturam, solemniter affirmetur, Traditionem vero non esse creatricem revelationis, sed fontem, qua revelata nobis patescunt. Maximi momenti mihi videtur diremptio controversiae exortae de relatione inter traditionem et S. Scripturam tamquam fontes revelationis.

Idem mihi valere videtur de applicatione dogmatis de inspiratione ad methodum sic dictam « formgeschichtliche Methode », respective de compatibilitate huiusce methodi cum dogmate inspirationis. Cum perperam saepe dicatur, Ecclesiam catholicam esse Ecclesiam sacramentorum, non vero Verbi divini, affirmetur oportet, *Verbum Dei* esse vivum et efficax (cf. *Hebr.,* 4, 2), ideoque lectionem Verbi divini in cultu (statim lingua vulgari) peractam, in homilia ac catechesi explicatam et etiam singulis — eo sensu, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia — commendatam, esse maxime salutarem. Insuper S. Synodus enixe optet a S. Sede cyclum ternarium vel quaternarium pericoparum.

Declaretur, quare et quo ambitu Ecclesiae competat ius et officium ore Summi Pontificis et episcoporum, ius naturae, authentice interpretandi et urgendi. (Cf. etiam allocutiones Pii XII ad Episcopos anno 1954 habitas).

2. *Cultum publicum* Ecclesiae esse actionem essentialem et vitalem obligationemque participationis activae fidelium exinde fluere gravibus verbis affirmetur.

Attenta doctrina Doctoris gentium, in *I Ep. ad Cor.* 14 exposita, ex qua saltem consequi videtur, in non paucis ritibus *vulgaris sermonis* usurpationem valde utilem apud populum exsistere posse (cf. Pius XII, Encycl. *Mediator Dei, A.A.S.,* 39 [1947], p. 545), deliberetur, quomodo latinae linguae — quae est « perspicuum... unitatis signum » (*l. c.*), non essentiale tamen — « usus, apud magnam Ecclesiae partem » vigens, componi queat cum exigentiis in dies urgentioribus curae animarum, ne impediat quomodocumque, ut « unum ovile fiat et unus pastor ».

Pontificia Commissio pro *generali liturgica instauratione* constituta opus sane arduum, restauratione Hebdomadae Sanctae et reformatione partiali rubricarum feliciter inceptum, prosequatur et ad finem bonum perducat.

Quoad *sacramenta,* quae sunt praecipui actus cultus: insistet S. Synodus ad aspectum eorum ecclesiologicum.

Contra conceptum non bene intellectum operis operati, qui sese prodit in administratione sacramentorum sine sufficienti explicatione et in administratione, quae negligit vel parvi pendit « ceremonias secundarias » utpote non ad validitatem necessarias, et ad infirmandam insuper accusationem saepe repetitam, efficacitatem sacramentorum a catholicis concipi ad modum magiae, affirmet Concilium:

a) sacramenta requirere ab adultis dispositionem;

b) praeter efficacitatem signi attendendum esse ad significationem ipsam secundum multiplices sensus in signis sacramentalibus contentos et a Catechismo Romano (Pars II, cap. I, praes. §§ 12-14) delineatos: signa demonstrativa, obligativa, rememorativa, prognostica, excitantia ad fidem, caritatem, devotionem, signa unionis Ecclesiae et his similia.

In *Baptismo* adultorum concedatur, ut ritus praeparationis — etiam nondum reformato, ut in votis, ritu — secundum progredientem statum catechumeni dividi possit, item pro *Confirmationis* sacramento, cum baptizatum habilem faciat, cultum ut actum publicum perfectiore modo exercendi, ut administretur intra Missarum Solemnia.

Declaretur dogma, a S. Tridentina Synodo definitum, de *sacrificio Missae* minime adversari effato *Ep. ad Hebraeos,* 10, 14, Christum una oblatione consummasse in aeternum sanctificatos, cum Missa sit repraesentatio sacrificii in Cruce peracti.

Decreta S. Pii X *de Communione tempestiva et frequenti* noviter inculcentur.

Sacramentum *Ordinis* constare tribus gradibus, diaconatus nempe, presbyteratus, episcopatus definiatur. Item S. Synodus deliberet, prae oculis habens Decretum Concilii Tridentini, Sess. XXIII, cap. XVII, utrum *minores ordines,* excepto subdiaconatu, abrogari possint, « ne (functiones) ab haereticis tamquam otiosae traducantur » (Conc. Tridentinum l. c.), benedictionibus secundum functiones revera existentes noviter constitutis, e. g. lectoris, cantoris, custodis, vel etiam catechetae, quin tamen insinuant statum clericalem.

Ut *oratio publica et privata* efficacius promoveatur, Concilium *fidem in Deum* creatorem ac gubernatorem omnium eiusque omnipotentiam et misericordiam confirmare et ad praedicationem veritatum praedictarum instigare ne omittat, quia etiam, qui se ipsos fideles vocant, interdum « deistica » conceptione mundi a Deo sat independentis inficiantur et operibus mirandis hominum technicorum plus aequo imprimantur.

Recordetur Concilium omnibus inculcare *Officium orandi* pro Ecclesia, maxime missionaria et persecutionibus afflicta, pro reditu fratrum separatorum, pro pace mundi.

Episcopis facultas esto, si opportunum illis videbitur pro aedificatione spirituali, subditis permittendi, ut breviarium lingua vernacula recitent.

3. Quoad *Disciplinam*:

a) Reformetur liber quintus *C.I.C.,* maxime quoad *excommunicationem* eiusque absolutionem;

b) item praxis in *prohibitione librorum* adhibita, utpote offendens inutiliter intra et extra Ecclesiam.

4. Quoad *vitam christianam*: urgeatur Mandatum novum *Caritatis.* Omnes communitates christifidelium hoc mandatum non solum audiant, sed novo fervore vivant, utpote efficacissimum medium, mundum ad agnitionem veritatis Evangelii perducendi.

Cf. etiam II, 2 (de obligatione *sanctitatis*) et III, 4 (*de laicis* in specie).

Urgeatur obligatio poenitentiae internae et etiam externae secundum praesentis temporis exigentias, in memoriam revocando doctrinam Evangelii et clarissimum exemplum Christi Salvatoris.

Haecce vota exhibens omni qua par est reverentia permaneo

Eminentiae Vestrae Rev.mae
humillimus famulus

✠ MICHAËL KELLER
Episcopus Monasteriensis

Monasterii, die 25 augusti 1959.

15

Exc.mi P. D. HELMUT H. WITTLER
Episcopi Osnabrugensis (Osnabruck)

I C/59-966

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Ego infrascriptus Episcopus Osnabrugensis humiliter peto, ut veniam det Eminentia Vestra, Praeses Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, mihi tarde respondenti. Excusationis causa affero me ob visitationem pastoralem absolvendam a Sede Episcopali saepius afuisse, insuper aliquos in dioecesis administratione coadiutores, quia morbo laborantes, mihi defuisse.

Nunc autem mihi respondenti primo convenit gratias agere Sanctissimo Domino Nostro Ioanni, divina providentia Papae XXIII, ad hoc Concilium convocanti. Ut demonstrat Ecclesiae historia, omne Concilium sui temporis necessitatibus multum consulebat, refutando errores, confirmando et explicando doctrinam christianam, roborando vitam christianam.

Quapropter omnes hoc Concilium summa cum exspectatione exspectant, non solum catholici, sed etiam multi acatholici, qui quidem extra veram Christi Ecclesiam sunt, sed bona voluntate quaerunt viam salutis.

Magno cum gaudio quoque animadvertendum est multas orationes fieri in paroeciis et claustris pro felici faustoque huius Concilii eventu.

Etsi multa proponenda et desideranda proferuntur certeque Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae cum debita reverentia aperte referentur, tamen optandum esse mihi videtur, ne res in Concilio tractandae nimis augeantur, praeparentur atque fusius disceptentur et pertractentur oportet.

Quae ego Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae cum debita reverentia proponere audeo, haec sunt:

I. De re dogmatica:

1. Peragatur id quod Concilium Vaticanum primum peragere voluit sed non iam potuit, scilicet prodeat declaratio de Ecclesia. Constitutio dogmatica de Ecclesia Christi prima in Concilio Vaticano primo Patribus quidem tradita est, sed pertractari non iam potuit. Nostris vero temporibus, cum optimi omnes dolore valde afficiuntur eo quod Christiani inter se dissentiant, cumque perquirunt, quomodo unitas re-

stitui possit, doctrina de Ecclesia, ut mihi videtur, plurimi habenda est ideoque disceptanda atque definienda. Deinde addatur constitutio dogmatica de munere Episcopali; exactius quoque declaretur, quem locum habeant laici in Ecclesia.

2. Hominis imago, nostris temporibus ab impii Communismi haeresi destructa, et a Liberalismi et Socialismi falsis doctrinis male depicta, lineamentis ingenuis exprimenda est. Quo facto apparebit Ecclesiam esse hominis refugium tuerique eiusdem dignitatem atque veram libertatem.

II. De re liturgica:

Desideranda et deliberanda esse censeo quae sequuntur:

1. De Kalendario:

a) Dies fixus statuatur, quo quotannis Pascha Domini celebretur.

b) Numerus festorum Sanctorum, quae ab universali Ecclesia celebranda sunt, reducatur, ita ut magis colatur Tempus in anno liturgico occurrens.

2. De Breviario:

a) Officium divinum adaptetur condicionibus, in quibus singuli versantur, ita ut diversimode recitandum sit a religiosis, qui obligationi chori adstringuntur, et a sacerdotibus, qui cura animarum defatigantur.

b) Novus ordo instituatur lectionum Sacrae Scripturae et homiliarum.

c) Secundi Nocturni lectiones historicae emendentur. Elidantur vel saltem ut tales significentur partes legendariae.

3. De Missali:

a) Permittatur, supra id quod nonnullis dioecesibus iam nunc concessum est, ut orationes et lectiones lingua vernacula proferantur, sive a celebrante sive a ministris sacris, quin prius lingua latina dicantur. Quo modo fiet, ut fideles facilius ac devotius Sacrificium Missae participent et uberiores fructus ex huiusmodi viva participatione percipiant.

b) Novus instituatur ordo, quo destinantur series lectionum et Evangeliorum, et quidem ita instituatur, ut populo christiano infra unum vel plures annos ex Sacra Scriptura praebeatur universa doctrina christiana.

III. De re disciplinari:

1. De religionum regimine constituatur, ut Ordinariis locorum de consensu singulorum Ordinariorum, quorum in dioecesibus Ordines et Congregationes aedes habent, ius et officium sit vigilandi omnes Ordines et Congregationes Religiosarum iuris pontificii et dioecesani quod

spectat ad practicam institutionem Religiosarum in operibus externi apostolatus, quibus Ordines vel Congregationes incumbere debent secundum proprias constitutiones, quia opera apostolatus in regimine dioecesium hodie magni momenti sunt.

2. De modo procedendi in remotione parochorum inamovibilium et amovibilium, septuaginta annos natorum, definiatur ut ipsemet Ordinarius procedi possit sine observatione normarum cann. 2147-2161 quoties, prudenti Ordinarii iudicio, in unam ex causis de quibus in can. 2147 incidisse videantur. Maior pars parochorum hodie annos septuaginta explevit et tali infirmate affecta est, quae parochum nostris temporibus suis muneribus rite obeundis imparem reddit.

3. De praevia censura librorum eorumque prohibitione normae aliquatenus aptentur ad temporum conditiones circa prohibitionem libros lege positiva prohibitos legendi et retinendi, praesertim ut excipiantur generali modo a prohibitionibus iuris positivi etiam sacerdotes, professores, magistri, et ut etiam Ordinarii et ab ipsis delegati licentiam legendi libros prohibitos concedere valeant, et ut poenam excommunicationis non incurrant legentes aut retinentes. Occasio nempe legendi et retinendi libros prohibitos nostris temporibus frequentissima est.

4. Ius de beneficiis ecclesiasticis, quod historice evolvebatur et priori tempore magni momenti pro officiis ecclesiasticis erat, substituatur, quia nunc saepe obstacula pro cura animarum et regimine dioecesium est.

5) Indulgentiae dividantur in plenarias et partiales tantum sine determinatione numeri annorum vel dierum indulgentiarum partialium, quia haec determinatio est saepe causa, ut catholici indulgentias non acquirant et catholici easdem negent.

6. Peragatur revisio Facultatum Quinquennalium Ordinariis locorum tributarum, quatenus hae potestati ordinariae Ordinariorum assignandae et conferendae sint.

Summa qua par est veneratione me profiteor

Eminentiae Tuae
addictissimum

✠ Helmut Hermannum Wittler
Episcopum Osnabrugensem

Osnabrugi, die 2 februarii 1960

16

Exc.mi P. D. LAURENTII JAEGER

Archiepiscopi Paderbornensis (Paderborn)

Paderbornae, die 3 augusti 1959

Eminentissime Princeps!

Circa res, quae in futuro Concilio tractari poterunt, argumentis mature perpensis reverenter transmitto sequentes animadversiones:

I. Quantum ad studiorum commissiones a Sacris Congregationibus constituendas (cf. *L'Osservatore Romano,* diei 4 iulii 1959).

1. Pro quaestionibus de rebus sociologicis et civilibus vel oeconomicis v. g. culturae sic dictae technicae eiusque influxus in vitam religiosam vel vitae socialis et politicae (v. g. rerum atomicarum evolutionis) ad normam ethicae naturalis et christianae regulandae, materialismi theoretici et practici refutandi et superandi consulentur etiam laicorum catholicorum probati et eruditi experti, qui cognitionem specialem habent illarum quaestionum et quandam experientiam in dissolvendis hisce difficultatibus.

Laicorum illorum consilium theologorum coetui adiunctorum quosdam aspectus novos ex quotidiana illorum experientia afferre poterit, qui difficulter a theologis eodem modo inveniuntur.

2. In commissionibus quaestionibus dogmaticis destinatis audiantur etiam theologi, qui speciali cognitione doctrinarum, principiorum, scriptorum confessionalium, legum, status religiosi, culturae et psychologiae protestantium sunt praediti, v. g. professor Ioannes Witte ex Universitate Gregoriana in Urbe. Salva omnino puritate doctrinae catholicae methodus proponendae doctrinae talis est consulenda, quae tam dissidentes protestantes quam separatos orientales ad ecclesiam catholicam melius intelligendam confirmet atque alliciat. Hoc modo Oecumenicum Concilium id efficiat, quod Beatissimus Pater Ioannes XXIII tam diligenter exoptat: ut qui ab Apostolica Sede seiuncti sunt « invitamentum accipiant ad illam unitatem quaerendam assequendamque, quam Iesus Christus a coelesti Patre flagrantibus rogavit precibus » (Litterae Encyclicae *Ad Petri Cathedram*). Ad hoc opus perficiendum proprium Institutum a Ioanne Adamo Moehler (theologo catholico, qui S. Bellarmini opus controversiarum novis methodis prosequebatur) nuncupatum in civitate Paderbornensi condidi, quod iam ex tribus annis in modo hic allegato ad normas instructionum ecclesiae et meipso invigilante strenue et fructuose operam dedit.

II. Quantum ad capita doctrinae.

1. Exponatur doctrina de Ecclesia, quae in Concilio Vaticano iam fuit praeparata, sed temporum iniuria abrupta et nondum finita. Haec dilatatio atque haec mora tamen in bonum cedere possint, si nunc studia tam speculativa quam etiam biblica et patristica ex illo tempore usque ad nostros dies elaborata ad doctrinam de Ecclesia elucidandam adhibeantur:

a) Fundamentum totius ecclesiologiae ad normam doctrinae S. Pauli Apostoli, S. Augustini et S. Thomae Aquinatis sit doctrina de Corpore Christi Mystico, quam Pius XII Papa iam in suis litteris encyclicis *Mystici Corporis* exposuit et quae studiorum recentium fructibus est amplificanda, v. g. S. Augustini doctrina, quam R. D. Stanislaus J. Grabowski catholice exposuit in suo libro *The Curch. An Introduction to the Theology of St. Augustin,* St. Louis (Herder Book), 1957.

b) In exponenda ecclesiologia influxus Christi Capitis in animas iustificatorum declaretur, ut gratia iustificationis inhaerens a plenitudine Christi gratiose donata et misericorditer semper conservata lucide appareat, secundum illud Concilii Tridentini (sessio VI, cap. 16) effatum: « ipse Christus Iesus tamquam caput in membra et tamquam vitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter virtutem suam influat... ». Hoc modo quaedam praeiudicatae opiniones protestantium false intelligentes doctrinam de gratia creata inhaerente facilius corrigerentur.

c) In definienda ecclesiologia regale dominium Christi, cui populus Dei, id est ecclesia, oboedienter est subiectus, declaretur. Qua expositione multae falsae opiniones protestantium contra hierarchiam superentur clariorque appareret verus sensus hierarchicae constitutionis ecclesiae, quam Ioannes Papa XXIII feliciter regnans ancillam Domini nuncupavit.

d) Quae in Concilio Vaticano in sessione IV, capitulo 3 (*Denz.* 1828) de episcoporum iurisdictione breviter sunt circumscripta plenius exarentur adhibitis fructibus laborum scientificorum de ordine et munere episcopi ultimis decenniis a catholicis theologis elaboratis.

e) Quae Pontifices Pius XI et Pius XII et Ioannes XXIII feliciter regnans de laicorum activitate et muneribus in ecclesia docuerunt, clare et virtuose exponantur, ita ut laici suam in opere Christiano responsabilitatem agnoscant, praesertim in illis problematibus quae in mundo moderno in ambitu sociali vel culturali — v. g. in radiophonicis transmissionibus et televisione — christianae conscientiae incumbunt. De his et similibus rebus commissiones theologorum, quibus laici consiliis suis adsunt, apte possint tractare.

III. Methodus doctrinae.

Tota doctrina, in quantum fieri potest, exhibeatur lingua lucida omnibus intelligentiis accomodata, spiritu Sacrae Scripturae et Patrum, praesertim S. Augustini et patrum Orientalium a Ioanne Papa XXIII merito laudatorum imbuta, sicut mos est ecclesiae omnium fere conciliorum decretis confirmatus. Patres Tridentini primum iustificationis doctrinae schema respuerunt, quia nimis difficile et lingua scholastica rigida erat compositum (cf. *Concilium Tridentinum,* tomus V, p. 404).

Expositio doctrinalis patristica praesertim Orientalium separatorum, expositio biblica insuper dissidentium Anglicanorum et Protestantium inclinationem a Beatissimo Patre Nostro Ioanne XXIII laudatam erga fidem et instituta catholica et erga Apostolicam Sedem poterit confirmare et augere.

IV. De disciplina ecclesiastica.

Quantum ad habitum clericalem retineantur consuetudines in diversis regionibus vigentes, ut vestis talaris extra usum liturgicum non adhibeatur, attamen saltem sic dicto collari clerici omnes sint agnoscendi. Episcopis et ceteris ordinariis relinquatur ius leges speciales ferendi de hac materia. Et insuper clericis in medio mundi cum suis oblectamentis constitutis consilia utilia dentur in conservanda spiritualitate ecclesiastica et aestimanda ecclesiae consuetudine.

Eminentiae Tuae
summopere reverenter addictissimus
✠ Laurentius Jaeger
Archiepiscopus Paderbornensis

Paderbornae, die 15 decembris 1959

Eminentissime Princeps!

Iam sub die 3 m. augusti 1959 aliquas animadversiones urgente ante diem 1 septembris tempore Eminentiae Tuae reverenter transmisi. Argumentis interea maturius deliberatis et ulterius elaboratis nova quadam proposita hisce praesentibus adiicio.

Hisce praesentibus quaestionibus Tuae Eminentiae conatus sum respondere sperans Concilium futurum secundum intentionem Beatissimi Patris nostri tam unitatem Ecclesiae Catholicae novis splendoribus christianae vitae reviviscentis illustraturum quam et fratres separatos modo efficaciori ad Ecclesiae unitatem quaerendam esse ducturum.

Liceat mihi recordari memoriam praedecessoris mei in Sede Paderbornensi, episcopi Conradi Martin, qui — ut Acta ultimi Concilii Oecu-

menici Vaticani attestantur — plurimum laboravit tam in deputatione de fide quam in commissione pro postulatis, in elaborandis constitutionibus dogmaticis « De fide et ratione » et « De Ecclesia Christi » et praesertim in praeparanda definitionis formula de primatu et infallibilitate Romani Pontificis.

Concilio Vaticano praemature interrupto Conradus Martin vehementer desiderabat doctrinae de Ecclesia consummationem, quam schemata Concilii Vaticani iam praeparaverant. Cui desiderio praedecessoris mei ut pro meis viribus aliquo modo correspondeam, has responsiones Tuae Eminentiae reverenter transmitto.

Interea remaneo

Tuae Eminentiae
summa cum reverentia fideliter addictissimus
✠ Laurentius
Archiepiscopus Paderbornensis

I

Quaestiones praeviae methodologicae de doctrina Concilii apte exponenda

Beatissimus Pater noster Ioannes Papa XXIII in suis Litteris Encyclicis *Ad Petri Cathedram* se sperare dixit Oecumenicum Concilium iis etiam, qui ab Apostolica Sede sunt seiuncti, invitamentum fore suave « ad illam unitatem quaerendam assequendamque, quam Iesus Christus a coelesti Patre flagrantibus rogavit precibus ».

Ut Oecumenicum Concilium revera tale fiat invitamentum, debemus cognoscere principia fundamentalia, quibus illi a nobis separantur. Hisce cum principiis separati plerumque quandam falsam comprehensionem catholicae fidei doctrinae coniungunt. Ideo debemus pronuntiare catholicam doctrinam bene quidem intelligentes difficultates fratrum nostrorum separatorum, non ut eorum falsis principiis aliquo modo cedamus, sed e contra ut ex fontibus revelationis illis plenitudinem catholicae doctrinae ante oculos ponamus. Pius Papa XII docuit, etiam « in falsis ipsis commentis aliquid veritatis » latere (*Humani Generis, Dens.* 3008). Hanc veritatem latentem a falsis admixtis liberatam et a Romana Ecclesia Catholica servatam illis debemus proponere. Pius XII eodem loco postulat, ut theologi catholici falsas adversantium opiniones perspectas habeant, quia « animum provocant ad quasdam veritates sive philosophicas sive theologicas sollertius perscrutandas ac perpendendas » (*Denz.* 3008).

Sic ex tali perscrutatione clarior apparet veritas catholica, ut in anterioribus Conciliis patet.

1. Sunt quaedam puncta neuralgica, ubi protestantes nimiam patiuntur confusionem et quasi horrorem, male intelligentes catholicam doctrinam. V. g. formula illa « ex opere operato » in doctrina sacramentorum ab illis false intelligitur ut « iustitiam operum » a beato Paulo reiectam praedicantem. Similiter cooperatio himinis cum gratia Dei et meritum bonorum operum sensu semipelagiano false auditur. Deinde cultus sanctorum et hyperdulia erga Beatam Mariam Virginem false etiam intelligitur. Tandem illud effatum « extra Ecclesiam nulla salus » non recte capitur.

2. Fratres orientales separati scandalizantur ex quodam conceptu Primatus Romani Pontificis eiusque infallibilitatis ab Ecclesia quasi praescindente et isolato. Deinde illud effatum: « Spiritus Sanctus ex Patre Filioque tamquam ab uno principio » non recte audiunt, ita ut melius illis declaretur hanc formulam sensu « ex unione Patris et Filii » esse intelligendam. Tandem gratiam creatam non recte intelligunt. Melius illis declaretur, quomodo haec gratia creata in iustis coniuncta sit cum gratia increata inhabitantis Spiritus Sancti.

Recordatu dignum videtur, quomodo splendida dialectica aristotelica theologorum latinorum in Concilio Florentino nullo modo Graecos separatos alliciebat vel convinciebat, qui tamen alia via ad Ecclesiam ducebantur: et latini et graeci theologi patienter communem traditionem ecclesiasticam inquirentes v. g. in quaestione de processione Spiritus Sancti. Iterum atque iterum unio hac via inveniebatur, ut duae partes communes suas traditiones agnoscebant et insuper legitimas consuetudines ecclesiarum singularum tolerabant et laudabant. Hac solummodo via etiam nostris temporibus via ad reunionem fratrum separatorum orientalium est invenienda.

In recenti suo opere *The Council of Florence* (Cambridge, University Press, 1959) Pater J. Gill, S. I. ex Actis Concilii Florentini luculenter demonstravit, quomodo Graeci nimio usu syllogismorum in discussionibus theologicis magis etiam ab unione deterrebantur, ita ut amicus unionis Isidorus de Kiew de hac arte dialectica scribebat: « Debeo dicere cum dolore, ut latini theologi per hoc faciebant schisma adhuc profundius et discordiam adhuc maiorem et fortiorem » (p. 227 *operis citati*).

E contra reditus ad Patres et ad communem traditionem, quam magna cum patientia inquirebant, servabat Concilium et viam patefecit ad unionem Orientalium cum Romana Ecclesia. Exemplum praeclarum habetur in deliberationibus et sententiis de « Filioque », attamen et aliae

discordiae hac via sublevabantur. Iterum atque iterum utraeque partes ex intimo thesauro communis Apostolicae Traditionis Patrumque testimoniis roboratae oppositiones superabant unionemque inveniebant. Etiam nostris temporibus via ad unionem fontibus revelationis est praeparanda.

3. Revelationis fontes sunt Sacra Scriptura et Traditio in Ecclesia ab Apostolis ad nos usque quasi per manus tradita. Pius Papa XII in suis Encyclicis Litteris *Humani Generis* docuit: « Uterque doctrinae revelatae fons tot tantosque continet thesauros veritatis, ut numquam reapse exhauriatur. Quapropter sacrorum fontium studio sacrae disciplinae semper iuvenescunt; dum contra speculatio, quae ulteriorem sacri depositi inquisitionem neglegit, ut experiundo novimus, sterilis evadit... Una enim cum sacris eiusmodi fontibus Deus Ecclesiae suae magisterium vivum dedit, ad ea quoque illustranda et enucleanda, quae in fidei deposito nonnisi obscure ac velut implicite continetur » (*Denz.* 3014).

Quapropter doctrina Concilii Oecumenici ex hisce fontibus hauriatur et illustretur. Sacrae Scripturae et Patrum testimonia adhibeantur et praesertim Patres Orientales, quos etiam separati fratres « orthodoxi » venerantur.

4. Deliberandum videtur, quomodo doctrina Concilii Oecumenici optimo modo proponatur. Doctrina Concilii intelligibiliter et clare concipiatur. Etenim iam patres Tridentini, cum primam formam decreti de iustificatione die 24 iulii 1546 propositam (CT V, 384-391) discuterent, aperte declarabant: « Redigatur decretum clariori forma, ut sic ordinatum et compositum, ne tantum a nobis, sed etiam ab omnibus intelligatur et Sacrosanctae Synodi ordinatio et declaratio manifestior fiat et appareat cum magna laetitia populi, ut expectat » (CT V, 405, 14-17).

Patres Tridentini per os episcopi Britonoriensis etiam addiderunt: « Spiritus Sanctus determinat dogmata, non rationes » (CT V, 404, 24).

Omnes patres in hoc consentierunt, Decreta Concilii non more scholasticorum, sed ut documenta docentis Ecclesiae ita esse formulanda, ut docti et indocti, sapientes et insipientes eas intelligerent (CT V, 414, 26-28).

Concilium Vaticanum eodem modo clare et omni intelligentiae accommodata doctrina de fide et ratione, sed et de Primatu Romani Pontificis proposuit.

Quod si terminologia proprie catholica adhibeatur, hi termini separatis fratribus plerumque sunt difficulter intelligendi et persaepe confusionem et falsam opinionem de catholica doctrina generant. Ideo si termini v. g. scholastici quandoque adhiberentur, declaretur eorum sensus perspicuo et omnium intelligentiae accomodato modo.

II

Capita Doctrinae praesertim de Ecclesia Christi

Doctrina de Ecclesia Catholica, quamvis ab innovatoribus illius temporis male intelligebatur et magna contentione impugnabatur propter iniuriam temporum in Concilio Tridentino non potuit explanari et definiri. Eadem doctrina in Concilio Vaticano ex parte tantum potuit declarari, quia iterum temporum procellis patres proposita schemata non potuerunt deliberare nec capita doctrinae iam praeparata in finem optatum perducere.

In novo hoc Concilio Oecumenico convocando unitas Ecclesiae Catholicae tali modo secundum effatum Beatissimi Patris nostri Ioannis Papae XXIII est proponenda, « ut tandem aliquando oves omnes, quae non sunt ex hoc ovili ad illud redire exoptent » (*Ad Petri Cathedram*).

Iamvero Pius XII beatae memoriae papa in suis Encyclicis Litteris *Mystici Corporis* quandam doctrinam de Ecclesia Catholica proposuit, quae ab Oecumenico Concilio amplius potuerit explicari additis quibusdam Ecclesiae traditionibus theologicis, quae unitatem, sanctitatem, catholicitatem et apostolicitatem Ecclesiae speciali modo illustrant.

1. Tota doctrina de Ecclesia fundetur super conceptum Corporis Christi, quam S. Paulus Apostolus, S. Augustinus et Patres Orientales explanaverunt et S. Thomas Aquinas (*S. Th.* III, q. 8) breviter composuit. Tali modo structura christologica Ecclesiae demonstrabitur (*S. Th.* III, q. 19, art. 4, c. a; q. 8, art. 1; art. 5; art. 6).

Visibilitas Ecclesiae principio hoc christologico explanetur: sicut in Christo invisibilis natura divina et visibilis natura humana in persona Verbi Divini sunt unita, ita etiam in Ecclesia, quae Corpus est Christi Mysticum, interior influxus gratiae invisibilis est a Christo tamquam capite, dum exterior gubernatio per Apostolorum successores et per principis Apostolorum successorem est visibilis (*S. Th.,* III, q. 8, art. 6 c. a; ad 3). Declaretur Ecclesiam quamvis visibilem ut Corpus Christi Mysticum esse mysterium fidei, solummodo fide cognoscendum, ut iam Catechismus Romanus Concilii Tridentini clare affirmat dicens: « Iure optimo confitemur nos Ecclesiae ortum, munera et dignitatem non humana ratione cognoscere, sed fidei oculis intueri » (Pars I, caput 10, n. 20).

2. Declaretur regale dominium Christi super Ecclesiam suam, qui per Spiritum Sanctum vivificat corpus suum et cui Ecclesia tamquam ancilla fidelissime oboedit. Regalis dignitas Christi a S. Thoma tribuitur humanitati Christi et ex gratia capitis deducitur, quae ex unione

hypostatica sequitur (*S. Th.*, III, q. 59, art. 2; Comm. in 1 Cor., c. 15, lectio 3). Humanitas Christi autem a Sanctis Cyrillo Alexandrino, Ioanne Damasceno et Thoma de Aquino ut instrumentum coniunctum et animatum divinitatis declaratur, quare exercitium regalis dominii Christi importat actus cognoscendi, volendi et amandi ex parte Christi, cuius cor Regis a piis fidelibus speciali cultu prosequitur.

Sacra Novi Testamenti eloquia regale dominium Christo attribuunt tam ut Filio Dei quam ut Redemptori, quare etiam Pius XI beatae memoriae Papa in suis Litteris Encyclicis *Quas primas* sub 11 decembris 1925 datis Christo regiam dignitatem attribuit tam propter unionem hypostaticam quam propter redemptionem in cruce peractam, quam redemptionem praefatio liturgica in festo Christi Regis speciali modo exaltat. Ideo in Novo Testamento Christo nomen « Kyrios » attribuitur, qui per crucem et resurrectionem regnum sibi acquisivit et sedit ad dexteram Patris.

Christus Dominus sua munera sacerdotalia et prophetica ut Rex universorum per Ecclesiam suam exercet, sicut Christus ipse aperte declaravit (*Mt.*, 28, 18-20). Cum enim illi data sit omnis potestas in coelo et in terra, sua superna potestate regali instituit ministerium doctrinale, sacerdotale et regium Apostolorum, cuius ministerii actibus efficaciam dedit salutarem. Etenim Iesus Christus suo regali dominio instituit tam apostolicas potestates quam sacramenta ab Apostolis administranda (*Io.*, 3, 3-7; 1, 12-13), sed et salutarem apostolicam praedicationem Evangelii (*Rom.*, 1, 16; *Eph.*, 3, 17). Protegens Ecclesiam sua regia potestate Christus promisit Ecclesiam super beatum Petrum fundatam numquam perituram (*Mt.*, 16, 18-19). Ecclesia in hoc mundo usque ad secundum, gloriosum adventum Christi Regis repraesentat propheticum et sacerdotale regnum Christi. Qui fide et baptismate intrant in hoc regnum, membra constituuntur Ecclesiae, subiecta auctoritati regiae Christi, quae ab Ecclesia repraesentatur. Clemens Romanus, Ignatius Antiochenus et Cyprianus, sed et Tertullianus oboedientiam Christianorum erga episcopos, presbyteros et diaconos comparant oboedientiae Christi erga Patrem coelestem. Revera Christus Rex suam auctoritatem regiam Ecclesiae quodammodo communicavit, quae tamen communicatio stricte est determinata positiva institutione ipsius Christi secundum voluntatem salutiferam Patris Aeterni.

Ecclesia tali auctoritate donata manet semper regali dominationi Christi subiecta, qui omnes actus salutiferos fidei, spei et caritatis sua voluntate in cordibus fidelium excitat totumque Corpus Ecclesiae Spiritu Sancto vivificans.

Qui quamvis etiam praeter instituta Apostolica sua gratia operatur

— sicut in conversione Pauli vel Cornelii (*Act.,* 9 et 10) — tamen omnes salubriter movet ad incorporationem in Ecclesia sua, quam ipse instituit.

Tali modo potestates hierarchicae in Ecclesia constitutae revera etiam ministeria sunt, quibus Christi Regis voluntas exercetur. Adversarii magna contentione erga primatum et episcopatum in Ecclesia Catholica verba Christi usurpare conantur, quibus Christus suos Apostolos ut ministros et non ut modo gentilium dominatores declarat (*Lc.,* 22, 24-30), non intelligentes adesse quidem veram potestatem tam primatus quam episcopatus, sed ut ministrorum Christi. S. Thomas hoc pulchre illustrat dicens: « Christi Vicarius suo primatu et providentia universam Ecclesiam tamquam fidelis minister Christo subiectam conservat » (*Contra errores Graecorum,* cap. 32).

Hic aspectus catholicae unitatis plurimum valet, qui dissidentium corda ad unum ovile Christi attrahere potest, ideo diligenti cura secundum traditionem tam Orientis quam Occidentis est exponendus.

3. Apostolis in ordinario eorum munere succedunt episcopi, quorum singuli ecclesiis particularibus singulis praesunt (Conc. Trid., *Denz.* 960; Conc. Vat., *Denz.* 1828). Leo XIII felicis recordationis Papa in suis Encyclicis Litteris *Satis cognitum* declaravit: « Qui Petrum Ecclesiae fundamentum posuit, idem elegit duodecim... quos et Apostolos nominavit (*Lc.,* 6, 13). Quomodo Petri auctoritatem in Romano Pontifice perpetuam permanere necesse est, sic episcopi, quod succedunt Apostolis, horum potestatem ordinariam hereditate capiunt, ita ut intimam Ecclesiae constitutionem ordo Episcoporum necessario attingat. Quamquam vero neque plenam neque universalem ii neque summam obtinent auctoritatem, non tamen Vicarii Romanorum Pontificum putandi, quia potestatem gerunt sibi propriam, verissimeque populorum, quos gerunt, antistites ordinarii dicuntur » (*A.A.S.,* 28, p. 732; cf. Pii XII, Litt. Enc. *Mystici Corporis, Denz.* 2287).

Leo XII Papa iisdem Litteris declaravit: « Romani Pontifices... maxime omnium conservari volunt, quidquid est in Ecclesia divinitus constitutum: propterea... dabunt constanter operam, ut sua episcopis auctoritas salva sit. Immo quidquid episcopis tribuitur honoris, quidquid obsequii, id omne sibimet ipsis tributum deputant » (*Denz.* 1962).

Super haec fundamenta elaboretur doctrina de episcopatus institutione, quae verbis Sanctorum Ignatii Antiocheni et Irenaei Lugdunensis explicanda videtur et Sacrae Scripturae testimoniis confirmanda. Etenim cum successio Apostolica ut divini iuris intellecta praecipua est doctrina, qua a Lutheranis et Calvinistis seiungimur, haec doctrina clare videtur exhibenda. Cum autem Protestantes Apostolicae successioni successionem fidei opponere conantur affirmantes praedicationem evange-

licam Apostolicam, non autem iuridicum successionis ordinem a Christo esse instituta, magnae esset utilitatis, si secundum Irenaei Lugdunensis doctrinam nexus intimus inter Apostolicam legitimam successionem et puram praedicationem Evangelii rectamque administrationem sacramentorum declaretur. Quae declaratio multorum bona fide errantium corda ad veritatem catholicam attrahere poterit. Etiam fratribus separatis orientalibus « orthodoxis » haec doctrina de episcopatus institutione et ordine quoddam invitamentum poterit fieri ad quaerendam unitatem cum Ecclesia Romana Catholica, praesertim si effatibus Patrum Orientalium declaretur et roboretur.

4. In doctrina de Ecclesia certe etiam de sacramentis erit saltem generali quodam modo agendum. Ideo ex principiis christologiae et ecclesiologiae illustretur doctrina de sacramentis, « quae ab ipso Verbo Incarnato efficaciam habent » (*S. Th.,* III, q. 60, praefatio; q. 62, art. 5) et quibus Ecclesia quasi aedificatur (Conc. Viennense, *Denz.* 480; *S. Th.,* III, q. 26, art. 5 a. a.; ad 1). In eodem contextu et nexus inter sacramentorum receptionem et fidem declaretur, quem S. Thomas lucide demonstravit (*S. Th.,* III, q. 62, art. 5 ad 2). Concilii Tridentini definitiones (sess. VII, can. 4, 5 et praesertim 8; *Denz.* 847, 848, 851) errores Protestantium quidem reppulerunt, attamen desideranda est valde quaedam declaratio, quare fides in sacramentis recipiendis requiratur et quid fides illic efficiat (*S. Th.,* III, q. 62, art. 5 ad 2). Haec expositio plurimum iuvaret ad confortandam inclinationem communitatum separatarum erga instituta catholica, de qua loquitur Beatissimus Pater Ioannes XXIII in sua Encyclica *Ad Petri Cathedram.* Ut iam diximus testimonia Scripturae et antiquissimae traditionis a S. Thoma Aquinatensi tam clare et dilucide sunt elaborata, ut quomodo in Concilio Tridentino ipso duce errores illius temporis iam sunt reiecti, ita eodem S. Thoma duce in novo Concilio Oecumenico doctrina de sacramentis eorumque per fidem efficacia et nexu tam cum Christo capite quam cum Ecclesia amplius et plenius declaranda videtur.

Praeter S. Thomam in hac materia S. Augustinus est adhibendus, qui praesertim nexum inter Ecclesiam et sacramenta clarissime demonstravit. Louis Villette de Instituto Catholico Parisiensi nuperrime demontravit, quomodo « neglegentia principiorum dirigentium synthesis augustiniensis explicat stagnationem et decadentiam theologiae sacramentorum in saeculis XV et XVI » et quomodo « oblivio dimensionis ecclesiologicae ducit directe ad theologiam individualisticam Reformatorum » (Louis Villette, *Foi et sacrement,* Paris 1959, p. 326). Ideo bona explicatio nexus inter sacramenta et Ecclesiam una cum doctrina

de efficacia fidei in sacramentis recipiendis multum iuvabit ad errores superandos, quibus Protestantes etiam bonae voluntatis adhuc vinciuntur.

5. Sicut ex Litteris Encyclicis *Mystici Corporis* patet, etiam doctrina de gratia et praesertim de iustificatione cum ecclesiologia est intime coniuncta. In hac materia valde est desideranda quaedam explanatio, quomodo nostra gratia inhaerens a plenitudine gratiae Christi capitis nobis misericorditer donatur et semper ab eius gratiae influxu dependet, sicut Concilium Tridentinum (sess. VI, cap. 16) describens iugem influxum gratiae Christi iam quodammodo annuit. Ibidem etiam gratia increata Spiritus Sancti inhabitantis in anima declaranda videbitur, quae doctrina iam in Encyclicis Litteris *Mystici Corporis* attingebatur.

Quae Concilium Tridentinum de merito bonorum operum sub influxu gratiae Christi capitis adumbravit, amplius et clarius exponantur, v. g. secundum pulcherrimam expositionem Caietani Cardinalis in suo opere *De fide et operibus adversus Lutheranos* (Romae 1532).

6. Laicorum status in Ecclesia eorumque dignitas super baptismi et confirmationis characteres sacramentales fundata demonstretur et quomodo in Ecclesia Catholica suam activitatem hierarchiae apostolatui coniungant et qua ratione sensus fidelium est traditionis catholicae documentum, quo etiam laici una cum episcopis suis activum testimonium fidei efferunt, sicut Iosephus Matthias Scheeben praeclarus theologus luculenter explanavit. Pius XI, Pius XII, Ioannes XXIII in allocutionibus suis pluries officium laicorum in Ecclesia exaltaverunt. Praecipuo tamen modo Beatissimus Pater Ioannes Papa XXIII in suis Encyclicis Litteris *Princeps Pastorum* exemplis utens primaevae Ecclesiae clare docuit munus apostolatus laicorum testimonium fidei reddentium et saluti animarum providentium. Laicorum ordo eiusque munera ideo a Concilio declarentur. Provideatur insuper, quomodo laici in rebus sociologiae et in quaestionibus ethicis bene instructi quodam permanenti modo sua consilia auctoritatibus ecclesiasticis possint praebere.

7. Relationes illorum fratrum separatorum, qui Christum Dei Filium et Salvatorem mundi confitentur et insuper symbola fidei antiquissima receperunt, ad Ecclesiam Catholicam et ad Christum caput omnium hominum (*S. Th.,* III, q. 8) declarentur et illa effata *Mystici Corporis* de inscio desiderio, quo ad Ecclesiam ordinantur, amplius explanentur. Quo contextu etiam de communitatibus horum separatorum forsitan aliquid esset dicendum et utrum et quo sensu illae communitates quaedam « vestigia Ecclesiae » retinuisse dicantur.

8. In fine Decreta de Ecclesia Catholica declarentur quattuor illae notae, quibus ecclesia vera agnoscitur et manifestatur. Beatissimus Pater noster Ioannes XXIII Papa die 7 decembris in basilica Romana duo-

decim Apostolorum in sua exhortatione declaravit loquens de Concilio Oecumenico Vaticano secundo: « Quadruplex denominatio Ecclesiae: una, sancta, catholica et apostolica dabit conceptum clarum proportionum magni illius Concilii, de quo verbis, scriptis et precibus considerationem habebimus » (*L'Osservatore Romano,* 9-10 decembris 1959, p. 1):

a) Unitas Ecclesiae non est uniformitas, et admittit varietates diversarum traditionum liturgicarum, canonum iuris et etiam scholarum modorumque theologiae, sicut Ioannes Papa XXIII in Encyclicis *Ad Petri Cathedram* lucide declaravit verbis utens Cardinalis Newman.

b) Sanctitas Ecclesiae non excludit peccata membrorum Ecclesiae, quae secundum S. Augustinum vere et iuste oratione Dominica remissionem peccatorum a Deo humiliter expetere debent. Consultetur hic doctrina Concilii Arausicani II. Ideo hoc sensu Ecclesia semper debet poenitentiam agere, dicente Concilio Tridentino, quod tota vita christiana est iugis quaedam poenitentia (sess. XIV, prooemium).

c) Catholicitas Ecclesiae non est solummodo iuridica vel realis expansio Ecclesiae, sed etiam ut plenitudo veritatis omnibus populis et civilisationibus danda nullumque elementum veritatis et bonitatis respuens. Illa catholicitas ex Christi regali universali dominio verbis S. Ignatii Antiocheni explanatur.

d) Apostolicitas Ecclesiae includit primarie quidem legitimam Apostolicam successionem episcoporum cum beati Petri successore coniunctorum, sed etiam Apostolicam doctrinam evangelicam in Ecclesia pure servatam per ministerium successorum Apostolorum, ut S. Irenaeus exponit.

Ecclesiologia hoc modo concepta tam antiquis traditionibus quam quaestionibus hodiernis reunionem separatorum respicientibus corresponderet, et ut accuratius dicam: quaestionibus illis ex plenitudine Catholicae Traditionis responderet. Primum enim officium Concilii Oecumenici est declaratio et explanatio catholicae, vivificae doctrinae salutaris, quae omnibus veritatem quaerentibus sicut civitas in monte posita debet apparere et ut signum elevatum in populis extraneos potest attrahere. Haec intentio beatissimi Patris nostri Ioannis XXIII in suis Litteris Encyclicis *Ad Petri Cathedram* lucide declaratur.

III

De Disciplina Cleri et Populi et de quibusdam quaestionibus actuosis

I. *De disciplina cleri et populi*

Loquens ad peregrinos civitatis Tergestis synodo dioecesana Tergestina peracta in Urbem venientes Beatissimus Pater noster Ioannes XXIII die 27 septembris 1959 declaravit synodum significare tam respectum erga traditiones antiquas semper vivas et efficaces quam et confidentiam in futurum et insuper quandam sapientem adaptationem ad mutatas temporum conditiones (*L'Osservatore Romano,* de 28-29 septembris 1959, p. 1). Hoc spiritu ductus sequentia proposita ad reformationem disciplinae et morum exhibeantur.

1. *De Sacra Liturgia*:

a) In sacramentis administrandis linguae Latinae formulae essentiales quidem reserventur, sed lingua vernacula largo modo adhibeatur ad pietatem populi aedificandam.

b) Breviarium Romanum clero saeculari destinatum speciali huius cleri statui eiusque conditionibus adaptetur. Officia illorum festorum dierum, quibus clerus multis animarum curis gravatur, breviora fiant exemplum Paschalis officii imitantia. Deliberetur, utrum et quibus condicionibus in privata recitatione breviarii usus linguae vernaculae possit concedi.

c) Deliberandum videtur, utrum et quibus condicionibus communio sub utraque specie aliquando possit concedi. Exempli gratia fidelibus sacerdotalis ordinationis celebrationi assistentibus vel fidelibus sacramentum matrimonii recipientibus vel virginibus in liturgica virginum consecratione et similibus festivitatibus forsan communio sub utraque specie concedenda possit videri. Quaestio illa iam in Concilio Tridentino mature est discussa (sess. XXII) et Pius Papa IV die 16 aprilis 1564 indultum communionis sub utraque specie quibusdam condicionibus appositis concessit Ferdinando I imperatore Romano una cum pluribus metropolitis Catholicis rogantibus. Haec quaestio maioris erit momenti, si agatur aliquando de communitatibus christianis separatis Romanae Ecclesiae uniendis.

2. *De efformatione Cleri et de Studiorum Ratione*:

a) Regulae Constitutionis Apostolicae *Deus scientiarum Dominus* et Ordinationes appositae observandae retineantur et insuper novis temporum necessitatibus adaptentur:

praelectiones de catechistica scientia et praxi augmententur;
item de rebus socialibus et de sociologia;
item de scientia religionum, praesertim de sic dicto Oecumenismo et specialiter de confessionibus christianis non-catholicis v. g. de Protestantismo. Illa studia iam in Universitatibus Gregoriana et Lateranensi provide instituta in omnibus cursibus theologicis instituantur.

b) S. Theologiae doctoratus alumnis seminariorum omnibusque aliis sese ad sacerdotium praeparantibus ne conferatur ante susceptum diaconatus ordinem. Consuetudo contraria in quibusdam facultatibus ex hac ratione introducta, quia in Constitutione Apostolica *Deus scientiarum* de hac materia nihil praecipiatur, non est tenenda.

Deliberetur, utrum et quibus condicionibus laicis probatis studiis theologicis rite peractis S. Theologiae doctoratus possit conferri. Hic gradus viris solummodo conferatur, contrario noviter introducta consuetudo non videtur laudanda.

3. *De Imaginibus venerandis et novissimis Artis evolutionibus*:

Concilium Nicaenum II ex incarnatione « vera et non phantastica » Divini Verbi rationem duxit, quare sacrae Iesu Christi, sed et Beatae Mariae Virginis et Sanctorum imagines in ecclesia ita sunt venerandae, ut pietatem fidelium excitent atque foveant (*Denz.* 302-306). Concilium Tridentinum sessione XXV has definitiones de novo confirmans picturas vel statuas lascivas vel monstruosas — i. e. a natura repraesentatione nimis aberrantes — ex ecclesiis omnino reiecit. Nostris temporibus periculis aggravescentibus, ne sub nomine artis modernissimae deformitates plurimae in ecclesias intrent, quae fidelium animos perturbent et scandalizent, provideatur a Concilio nova quaedam constitutio de imaginibus, quae nostri temporis necessitatibus obviat. Non videtur Concilio diiudicandum de valore artistico vel artistico-historico sic dictae artis abstractae et aliarum modernarum artis viarum, sed solummodo providendum aedificationi fidelium et traditionis ecclesiasticae legibus. Etenim cum incarnatio « vera et non phantastica » secundum verba Concilii Nicaeni II sit fundamentum et ratio venerationis imaginum, illae imagines debent repraesentare veram humanitatem Christi et non phantasticam vel « abstractam » vel monstruosam.

Idem autem de imaginibus Beatae Mariae Virginis et Sanctorum est dicendum, qui non raro hodie tali deformatione repraesentantur, ut taedium et aversionem excitent, immo fidelium animos a cultu Sanctorum potius avertant.

Adest hic differentia magni momenti inter traditiones orientales et occidentales. Etenim dum in Oriente quidam typi consueti imaginum

per omnia saecula parvo solummodo modo alterati in arte religiosa traduntur, in Occidente maior erat semper libertas artistarum, quae tamen certis finibus debet duci et regulari. Unde venit, ut iam Concilium Tridentinum quasdam nimias exaggerationes artis ex ecclesiis debuit prohibere, quod officium a Concilio Tridentino episcopis impositum hodiernis diebus a Concilio generali modo de novo adhibendum videtur, providendo non artis evolutionibus et experimentis, sed ecclesiasticis traditionibus immo etiam veritatibus fidei imaginibus repraesentandis. Etenim aliqua quasi plena reiectio conformitatis cum natura humana, quaedam destructio imaginis humanae in repraesentationibus modernis Sanctorum et ipsius Christi et Beatae Mariae Virginis non videtur correspondere catholicae doctrinae de vera incarnatione et de habitudnie naturae ad gratiam, sed potius sapit spiritum a traditione ecclesiastica alienum vel etiam contrarium huic traditioni.

Hoc contextu commendandum videtur venerabilem fratrem Angelicum Florentinum doctorem artis sacrae promovere.

4. *De Sacris Congregationibus Romanis*:

Deliberentur viae, quibus voces ecclesiarum singularum facilius et celerius hisce Sacris Congregationibus patefieri possint, praesertim dum agitur de casibus, quae singulas dioeceses attingant.

5. *De libris prohibendis*:

Quae iam ad obiective et recte de libris iudicandis sollicite et provide sunt instituta retineantur, novis autem nostri temporis rationabiliter quaesitis adiunctis. Sic v. g. antequam aliquis liber in indicem librorum prohibitorum ponatur, libri auctor, si est catholicus et bonae voluntatis, generaliter de rebus reprobatis admoneatur, cui in casibus non urgentibus imponatur, ut librum retrahat ex venditione et circulatione et novam procuret editionem purgatam et correctam.

6. *De Religiosis*:

a) Inter Ordines et Congregationes, quorum regulae inter se sunt consimiles, instituantur Confoederationes, quarum principalis sit finis, ut eadem opera et proposita communibus viribus aggrediantur. V. g. scholis et similibus institutis communiter hac via posset provideri.

Iam in Concilio Lateranensi V (a. 1512-1517) quaedam maior unificatio religiosorum ordinum inter proposita schemata reformationis erat provisa, sed varias ob causas non legibus ordinata. Pius X sanctae memoriae Papa de eisdem propositis deliberasse fertur.

b) Provideatur legibus, quomodo sacerdotes religiosi ordinarios

locorum adiuvent, praesertim in instituenda, educanda et instruenda iuventute catholica aliisque curae animarum operibus, quae ordinis vel congregationis regulis non sunt contraria, salva ordinarii loci auctoritate.

c) In sororum congregationibus quaedam consuetudines exteriores speciatim quantum ad habitum vestimentorum reformentur et hodiernis necessitatibus vitae activae medicinaeque consiliis adaptentur ad normas allocutionis Pii Papae XII de die 15 septembris 1952: consuetudines inveteratae, quae ex aliis vitae circumstantiis temporum retroactorum exierunt et hodie vocationibus religiosis impedimenta imponunt, omnino aboleantur.

Habitus et vestis sint quidem sacrae vocationi conformes, attamen nostri temporis necessitatibus adaptentur. Quae corporis saluti omnino adversantur, reformentur secundum medicorum catholicorum consilia.

II. *De quibusdam specialibus nostri temporis quaestionibus actuosis*

1. Cum tota mens et cogitatio multorum hominum sic dicto naturae scientiae et technicae modernae cogitandi modo quasi obsideatur, differentia declaretur inter scientias naturales, quae solummodo causas secundas inquirunt, et religionem, quae Deum transcendentem omnes mundanas causas quaerit. Speciali modo differentia inter obiecta scientiarum naturalium et christianae revelationis mysteria contra materialismum est inculcanda, quae differentia contra traditionalistas, ontologistas et hermesianos iam in Concilio Vaticano est declarata (Conc. Vat., sess. III, Constitutio: *De Fide Catholica*).

2. Vitae christianae instituta tueantur contra materialismum tam sic dictum dialecticum quam practicum. Doctrina materialismi atheistici ut falsa et fundamentis fidei obnoxia anathematizetur.

3. Tolerantia civilis erga acatholicos commendetur et illorum libertas conscientiae tueatur ad normam iam in Iure Canonico expositam: nemo invitus ad suscipiendam Catholicam Fidem cogatur. Doctrina haec hodiernis temporibus magni est momenti, quia sub multis regiminibus catholica fides persequitur et catholicorum conscientiae libertas spernitur et violenter supprimitur. Ideo debemus haec principia pronuntiare, quae Pater Albertus Hartmann in suo laudato libro *Tolerantia et Fides Christiana* (*Toleranz und christliche Glaube,* Carolusdruckerei, Frankfurt am Main, 1955) diserte exposuit.

III. *De quaestionibus Missionum*

Plurimae quaestiones praesertim de necessariis adaptationibus, de lingua vernacula in Sacris Ritibus adhibenda, de efformatione cleri et lai-

corum apostolatui deditorum et de modo praedicandi Verbum Dei menti et culturae illorum paganorum adaptato ad normas Encyclicarum Litterarum *Princeps Pastorum* de die 28 novembris 1959 solvantur. Usus linguae vernaculae in regionibus Missionalibus magis est adhibendus quam in Europa. Deliberandum videtur, utrum clero indigenae saeculari in regionibus Missionalibus matrimonium ante susceptum diaconatus ordinem concedatur ad normas iuris in Ecclesia Orientali vigentes.

17

EXC.MI P. D. SIMONIS K. LANDERSDORFER
Episcopi Passaviensis (Passau)

Passau den 19 september 1959

Hochwürdigste Eminenz,

In der Anlage gestatte ich mir Euerer Eminenz meine Vorschläge für das einzuberufende Konzil zu übersenden, mit der ergebensten Bitte um gütige Nachsicht, weil es nicht möglich war, den gewünschten Termin einzuhalten.

Indem ich Euere Eminenz ehrerbietigst begrüsse, verbleibe ich mit dem Ausdruck meiner besonderen Hochschätzung

Euerer Eminenz sehr ergebener
✠ SIMON KONRAD, O. S. B.
Bischof von Passau

CONSILIA ET VOTA FUTURO CONCILIO OECUMENICO SUBICIENDA

I. *De re dogmatica*

1. Doctrina de Ecclesia ex Scriptura et Traditione lucide exponatur, sc. Ecclesiam esse Corpus Christi mysticum necnon populum Dei, ad quem aut re aut voto omnes salvandi pertineant oportet.

2. Doctrina de Traditione uti altero fonte Veritatis revelatae evolvatur necnon circumscribatur.

3. Unioni omnium dissidentium nomen Christi confitentium cum Ecclesia Romana Ecclesia omnibus viribus incumbat foveatque omnem laborem tum Pastorum cum sacerdotum necnon laicorum, vigilantibus pastoribus, in isto campo sudantium.

Erigatur praeprimis Romae, ad instar Instituti Pontificii Orientalis, institutum, in quo quaestiones sectas protestantium spectantes bene studeantur necnon communicationes cum dissidentibus habeantur.

4. Pronuntietur Episcopos iure divino suam quisque dioecesim regere. Ex quo ipsa Episcoporum ordinaria potestas amplificetur v. g. subsumendo facultates quinquennales in ordinariam Episcoporum potestatem.

II. *De re iuridica*

1. Cum reservatio censurarum iam quasi nihil afferat in emendationem seu in fugam delictorum, reserventur in posterum solummodo casus adhuc Romano Pontifici specialissimo modo reservati.

2. Cum praxis nunc vigens fere semper sc. dispensandi in impedimentis matrimonialibus iuris ecclesiastici, vim horum impedimentorum quasi aboleverit, tollantur impedimenta minora et facultas dispensandi in impedimentis maioribus ad casus vere graves restringatur, de qua gravitate Ordinarius ex informata conscientia iudicet.

3. Introducatur uti novum impedimentum matrimonium dirimens impedimentum erroris dolose causati.

4. Provideatur, ne coniuges, qui iam ante matrimonii celebrationem unam vel alteram prolem procrearunt, matrimonium invalidum declaratum obtineant asserentes utramque vel alterutram partem noluisse in matrimonio alios filios procreare.

5. Reformetur ordo processuum matrimonialium, ita ut iudicium celerrime feratur, ne animi fidelium nimis irritentur causa in longius protracta et ab Ecclesia abalienentur.

6. Augeantur facultates Ordinariorum circa dispensationes et licentias minoris momenti, e. g. dispensatio super irregularitate ex defectu natalium, facultas conferendi ordines sacros extra tempora, vel permittendi sacerdotibus aegrotantibus celebrationem missae in domo privata vel caecutientibus usum formulae missae de Beata vel pro defunctis omnibus diebus. Et similia.

7. Inamovibilitas parochorum non iam videtur convenire cum sensu ecclesiastico hodierno, quippe qui punctum decisivum non in beneficio collato sed in munere adimplendo videt. Canones *C.I.C.* 2147 ssq. (de modo procedendi in remotione parochorum) nimium tempus postulant ut saluti animarum mox provideri possit. Inamovibilitas parochorum proin ita temperetur, ut Ordinarius audito consilio parochum statim removere possit, quoties salus animarum detrimentum magnum patitur.

8. Reformetur Index librorum prohibitorum vel abrogetur. Populus indicem non novit vel non curat. Rarissime venia legendi librum prohibitum petitur. Longe maior pars librorum damnandorum indice non continetur. Non raro expressa prohibitio alicuius libri est commendatio, ita ut publicatio censurae fiat causa novae editionis.

9. Reformetur universa materia indulgentiarum, ita ut fideles ex illis vero fructus percipiant et infideles non scandalum sumant.

III. *De re liturgica*

1. Apostasia a fide externa vel interna in dies invalescens reprimi aut cohiberi non potest nisi adducendo fideles ad altare et fovendo vitam sacramentalem. Quem in finem oportet fidelibus aditum ad S. Liturgiam quam maxime sublevare.

2. Homines hodierni non modo culti et eruditi sed etiam simplices et rudes litterarum aegerrime ferunt et indignantur, si quis eos alloquitur lingua sibi ignota, et laudant cultum protestantium propter usum linguae vernaculae. Itaque retenta generatim lingua latina in cultu usus linguae vernaculae concedatur in eis partibus S. Liturgiae, in quibus sermo ad populum dirigitur.

Datum Passaviae, die 19 mensis septembris 1959.

✠ SIMON CONRADUS, O. S. B.
Episcopus Passaviensis

18

EXC.MI P. D. MICHAELIS BUCHBERGER
Archiepiscopi Ratisbonensis (Regensburg)

Eminentissime Princeps!

Mandato Rev.mae Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, per litteras dd. 18 iunii 1959 et 21 martii 1960 dato — Prot. N. 1 C/95-1102 bis — devote obsecundans audeo has animadversiones, consilia et vota reverenter proponere:

1. Concilium Oecumenicum ne versetur in quaestionibus particularibus et postulationibus singularibus, sed potius *generales* sibi proponat Sanctae *Ecclesiae quaestiones et curas* huius temporis pro universo mundo. Imprimis ergo evadat in praeclaram et dilucidam *fidem in Deum patrem et creatorem professionem* pro aetate nostra adeo impia et Deum negligenti. Fiat doctrina et professio fidei non solum fidelibus, sed potius coram toto genere humano, praedicans Deum vivum et verum, eius essentiam ac operationem adversus atheismum longe lateque diffusum, materialisticum et communisticum, insuper adversus impiam phi-

losophiam existentialisticam deum esse negantem, sicuti docent Sartre aliique idem sentientes.

2. Modo ad persuadendum accomodato exponat Concilium necessitatem *religionis* eiusque gravitatem necnon coniunctionis hominum cum Deo, quem permulti hodie, socordia et desidia seducti, negligunt. Doceat ergo religionem, quae hominem coniungit cum Deo, necessariam esse toti generi humano.

3. Curet Concilium exarari *Christologiam* dilucidam atque expressam, doctrinam scilicet de Iesu Christo, Filio Dei incarnato et mundi Salvatore, eius vita, passione et morte, resurrectione et gloria necnon eius tamquam iudicis mundi futuro adventu.

4. Proferat Concilium professionem fidei de *Ecclesia sancta a Christo fundata* eiusque mandato, ut opus redemptionis persequatur hominum. Hic declaratur Christum *unam* Ecclesiam fundasse pro omnibus hominibus eumque velle omnes homines convocare et congregare in hanc ecclesiam, ut fiat unum ovile et *unus pastor.* Hoc loco inseri potest mandatum magnum *unionis* ecclesiarum christianarum, idque non verbis acerbae reprehensionis, multo magis modo amabilis invitatus atque confessionis delictorum utriusque partis.

Prodeat quoque illustris professio fidei tenentis *Ecclesiae officium Summi Pastoris* et *Sacerdotium* ab ipso Salvatore institutum, interpretatio illorum Christi dictorum: « Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam » atque mandati, quod dedit discipulis apostolis eorumque successoribus: « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis » (*Mt.,* 28, 18).

5. Tractetur quoque *opus* difficile *praedicationis Verbi Dei* in hac nostra aetate, qua tam eruditione hominum quam inscientia religionis multa oriuntur nova onera, prioribus temporibus ignota.

Ecclesiae operibus, curis et laboribus in hac nostra aetate praeter modum adauctis *numerus sacerdotum,* monachorum et monialium haud aequali gradu increvit. Valde igitur necesse videtur iuvenum animos adpellatione solemni et gravi inflammare, ut vocationi sacerdotali vel religiosae oboediant.

Utile insuper videtur praeceptum vel monitum pro peragendis S. *Liturgiae* Ritibus et offerendo S. Missae Sacrificio.

Magni momenti erit verbum exhortationis ad promovenda *opera Missionum,* cum omnes gentes ad maturitatem pervenerint, ut ingrediantur in regnum Christi.

Non videtur omittenda excitatio fidelium, ut liberali munificentia *opem ferant indigentibus,* neque enuntiatio laudis pro omnibus « Cari-

tatis » operibus magnis, hac nostra aetate procreatis, ac pariter pro religiosis Congregationibus, quae summa pietate et fide ac animi magnitudine omnes vires impendunt servitio Dei et proximorum.

Pastor autem Summus Ecclesiae verbum paternae benignitatis et dilectionis proferat non solum ad fideles veram Christi doctrinam sequentes, immo etiam ad illos, qui a via veritatis et fidei aberraverunt.

Omni, quo par est obsequio, me profiteor

Ratisbonae, die 16 aprilis 1960.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimum in Christo
✠ MICHAËLEM
Archiepiscopum
Episcopum Ratisbonensem

19

EXC.MI P. D. CAROLI IOSEPHI LEIPRECHT
Episcopi Rottenburgensis (Rottenburg)

Prot. N. I C/59-1129

Rottenburg (Neckar), die 15 octobris 1959

Eminentissime ac Illustrissime Princeps!

Pergrato animo litteras ab Eminentia Vestra die 18 iunii 1959 mihi transmissas accepi. Eluxit ex his, quanta diligentia Summus Pontifex futuro Concilio Oecumenico providere velit per Commissionem Antepraeparatoriam, cuius praesidium Eminentiae Vestrae commissum est.

Benignae cohortationi, communicandi nempe « omni cum libertate et sinceritate animadversiones, consilia et vota... circa res et argumenta, quae in futuro Concilio tractari poterunt », libenter obtempero. Propter nimiam in vasta Rottenburgensi dioecesi laborum copiam responsum quidem ad optatam diem 1 septembris dare mihi non licuit, quod maxime doleo. Dignetur tamen Eminentia Vestra posteriore tempore recipere, quae affero pro Concilio consilia ac vota.

I. *Quoad fidem catholicam*

1. Oecumenicis priorum temporum Conciliis placuit, revelatam a Deo fidem catholicam declarare ac definire imprimis adversus cuius-

cumque aetatis errores. Ideo peropportunum mihi videtur declarari ac definiri in futuro Concilio doctrinam catholicam adversus huius temporis errores, nempe contra atheismum materialismum, communismum, indifferentismum.

2. Quae in Primo Vaticano Concilio de primatu Romani Pontificis eiusque infallibili magisterio definita sunt, ad mentem Patrum praedicti Concilii compleri oporteret per uberiorem de Ecclesia Christi doctrinam. Quae adversitate temporum definiri tunc non potuerunt, suppleantur in Secundo Vaticano Concilio. Tractetur imprimis episcopatus catholicus iure divino in ecclesia exortus. Auctoritate enim episcoporum confirmata schismaticos orientales facilius ad S. Romanam Ecclesiam redituros esse certo sperandum est.

3. Lamentabili laborat fere totus orbis penuria sacerdotum. Quare levitarum munus his temporibus instaurari et tamquam proprium officium in adiutorium sacerdotum reddi sicut in antiqua Ecclesia necessarium mihi videtur. Et quia ad istud munus haud pauci iuvenes ac viri convolarent fide ac virtute ardentes, dono tamen virginitatis carentes, optandum esset, ut praedicti diaconi lege coelibatus non teneantur. Si insuper sustentationi eorum provideretur ad instar sustentationis sacerdotum, minime esset dubitandum, quin tam ex alumnis deficiente dono virginitatis seminariis discedentibus quam ex Lutheranorum administris ad fidem catholicam conversis, matrimonii vinculo autem detentis, augeatur in vinea Domini numerus adiutorum, qui aliquam saltem partem officiorum sacerdotalium laudabiliter suscipere possint.

4. Valde desiderandum est, ut crescant apud fideles notitia atque aestimatio Sacrae Scripturae. Quare, qui introire velint ad altare Dei, uberioribus instruantur studiis biblicis. Exegetae autem catholici in explorandis Sacrae Scripturae libris maiore gaudeant sub auctoritate Episcoporum licentia ac libertate ad mentem Encyclicae *Divino afflante Spiritu* Pii Papae XII.

5. Tam praeviam censuram quam prohibitionem librorum in Ecclesia catholica reformatione quadam indigere omnes norunt. Servetur itaque in utroque casu solummodo norma *C.I.C.* can. 1393 § 2. Denuntiantes librum teneantur denuntiationi ipsorum nomen adnotare. Auctorum, quorum libri in crimen vocantur, coram publico vindicetur bona fama. Monitiones et censurae ne edantur nisi praevia communicatione cum Ordinario auctoris facta. Licentia legendi atque retinendi libros prohibitos eruditioribus fidelibus facilius impertiatur. Index librorum prohibitorum antiquitatibus eximatur. Dubia et cum fide catholica dissonantia minoris momenti disputationi theologorum relinquantur.

6. Recentiores praesertim Summi Pontifices applaudente populo

christiano admonuerunt mandatum illud Domini, universum nempe orbem terrarum lumine S. Evangelii collustrandi. Maiorem ideo dent operam clerici atque fideles verae fidei catholicae propagandae tum inter gentes non baptizatas tum inter christianos a fide catholica alienos. Utantur missionarii in instructione christiana necnon in cultu divino accomodatione quadam prudenti, ut mores atque humanitas cuiusvis gentis « baptizentur » in Christo. Et refutentur in propagatione fidei errores Europaeismi, Colonialismi et Latinismi, quos vocant.

II. *Quoad cultum divinum*

1. Instauretur genuina atque originalis forma in litando sacrificio Missae ad mentem Patrum Concilii Tridentini. Et observentur in ista instauratione, quae in explorandis fontibus liturgicis adhuc exarata quaeque Sedi Apostolicae a Conventibus Liturgicis Monaci et Florentiae factis proposita sunt.

2. Formetur Missa Catechumenorum ita, ut sit pariter cultus Summo Deo devotus ac instructio fructuosa plebis christianae, quia talis instauratio maxime proderit fidelibus inter acatholicos vitam degentibus.

3. Admonuerunt Summi Pontifices a Pio X usque ad Ioannem XXIII sacrificii Missae participationem, quam dixerunt, actuosam. Serventur, augeantur ideo privilegia utendi lingua vernacula in celebrando sacrificio Missae necnon in administrandis Sacramentis. Et exhauriantur, quae theologi noti nominis Jungmann et Hofinger S. I. demonstraverunt in scriptis ipsorum et in Conventibus Liturgicis supradictis.

4. Ordo Hebdomadae Sanctae instauratus haud parvum gaudium spirituale inter christifideles excitavit. Ut numerosiorem alliciant plebem et uberiores ferant fructus Hebdomadae sanctae sollemnitates, ulterius abbrevientur ritus sacri, imprimis lectiones in Vigilia Paschali.

5. Rubricae Breviarii Romani a Sancta Sede feliciter ad simpliciorem formam sunt redactae. Optandum autem, ut continuentur ista studia instauratione lectionum et abbreviatione officii cotidiani pro clero saeculari.

6. Instaurentur item benedictiones Ritualis Romani observatis iis, quae studio fontium liturgicorum in lucem edita sunt. Abbrevientur praesertim ritus in consecratione ecclesiarum et altarium, quia nostri temporis fideles diuturnis, symbolismi prioris carentibus et obsoletis functionibus fructuose assistere nequeunt. Peragatur tamen, nisi abbreviatio sit vere grandis, repartitionis functionum privilegium (adnotare liceat in dioecesi Rottenburgensi pro tempore quotannis 20 fere ecclesias ac totidem altaria esse sollemniter consecranda).

III. *Quoad disciplinam cleri*

1. Commendetur clero saeculari iterum vitae communis forma. Quia tamen tali vitae haud paucae oppugnantur difficultates, provideatur opportuno modo ab Ordinariis, ut vera saltem familiaritas colatur inter clericos, ne subiiciantur huius mundi periculis solitariam vitam degentes.

2. Et quia permulti clerici nostris temporibus utuntur vehiculis automatariis, admoneantur denuo de lege observandi residentiam.

3. Adaptetur habitus, quem deferunt clerici extra sacras functiones, necessitatibus, quae colenda sanitate seu commercio aucto exiguntur, servata tamen dignitate clericali.

4. Praescripta de beneficiis ecclesiasticis ad simpliciores redigantur normas, retineantur autem normae de difficiliore amotione vel translatione clerici beneficiarii.

5. Ex auctoritate episcoporum catholicorum iuxta I, 2 definienda sequantur certa ac clare circumscripta iura ac privilegia Ordinariorum, praesertim quoad communicationem ipsorum cum supremis Curiae Romanae Officiis. Quorum fructuosam activitatem minime in dubium vocetur; subsidiariter et in causis maioribus tantum haec Officia interpellant Ordinariorum munera. Alioquin impediuntur episcopi schismatis orientalis, ne redeant ad unitatem Ecclesiae. Augeantur et amplificentur ideo iura ac privilegia Ordinariorum.

6. In maioribus dioecesibus, si agitur de vendendis vel alienandis bonis temporalibus, quorum valor excedit decem milia libellarum aurearum, saepenumero licentia requisita sine gravi damno ab Apostolica Sede expeti non potest, quia de contractibus istis plerumque sine mora et cunctatione decernendum est. Abrogetur vel mitigetur igitur illud requisitum.

7. Normae canonicae in pertractandis processibus servandae ad simpliciora redigantur praecepta. Item novis regulis provideatur, ut causae beatificationis et canonizationis breviore temporis spatio peragi possint.

IV. *Quoad disciplinam laicorum*

1. Circumscripta ac munita sunt iura ac privilegia clericorum a Summis Pontificibus Pio X et Benedicto XV in *Codice Iuris Canonici.* Placeat ergo Patribus futuri Concilii circumscribere clare et distincte iura ac privilegia laicorum, praesertim illorum, qui clericis assistunt in instructione christiana, in divino cultu, in actione catholica, in administrandis bonis ecclesiasticis.

2. Ex obligatione servandi formam canonicam in matrimoniis mixtis haud exiguae oriuntur difficultates.

Contrahuntur e. gr. in Rottenburgensi dioecesi nunc quotannis matrimoniorum mixtorum:

a) fere 4000 cum dispensatione super impedimento mixtae religionis,

b) fere 4000 forma canonica neglecta coram ministro acatholico,

c) fere 4000 forma canonica neglecta coram magistratu civili tantum.

Soluto civiliter matrimonio mixto pars catholica vel acatholica ad novas cum sponso catholico transire potest nuptias in casibus sub *b*) et *c*) memoratis, non autem in casu sub *a*).

Facta enim rite declaratione nullitatis prioris connubii ex defectu formae, licentia datur maritis sub *b*) et *c*) nominatis contrahendi aliud legitimum matrimonium. Mariti sub *a*) tamen inhabiles sunt ineundi aliud matrimonium, quia tenentur vinculo prioris legitimi matrimonii.

Aegerrime sane ferunt divortiati illi, qui dispensatione expetita ac forma canonica servata matrimonium inierant, quod quasi in praemium neglectae formae canonicae maritis sub *b*) et *c*) nominatis licentia datur ad novas nuptias. Deliberandum ergo, nonne in omnibus matrimoniis mixtis expediat abrogare praescriptam formam canonicam.

3. Lex de cautionibus ad normam can. 1043 *C.I.C.* et Decreti S. Officii de die 14 ianuarii 1932 etiam in ipso urgenti mortis periculo praestandis ad novas redigatur normas, et quidem mitigetur. Item a cautionibus praestandis iure communi dispensetur, quotiescumque ob provectiorem aetatem aut sterilitatem aut infirmitatem omnino impossibile videtur, ut ulterior proles progeneretur.

4. Permittatur in singulis casibus, ut nupturientes mixtae religionis matrimonium ineant coram ministro acatholico, dummodo serio credibiliterque promiserint se ad praestandum consensum etiam parochum catholicum adituros necnon universam prolem in religione catholica esse educaturos.

Supradictis animadversionibus invitationi Eminentiae Vestrae me obsecundasse et aliquid saltem, etsi paucum contulisse ad apparandum futurum Concilium Oecumenicum spero.

Quae dum Eminentiae Vestrae transmitto, occasionem libentissime nanciscor, ut manus ac anulum Eminentiae Vestrae deosculer ac sensus altissimae venerationis meae pandam, ac permaneo

Eminentiae Vestrae
addictissimus

✠ CAROLUS IOS. LEIPRECHT
Episcopus Rottenburgensis

20

Exc.mi P. D. ISIDORI MARCI EMANUEL

Episcopi Spirensis (Speyer)

Eminentissime Princeps!

Obsecundans invitationi benignissimae in litteris Eminentiae Tuae Rev.mae die 18 iunii 1959 (Prot. N. I C/59-1293) redditae audeo vota quaedam et sententias proponere pro argumentis futuri *Concilii Oecumenici* apparandis.

A) Doctrina:

Refutatio materialismi moderni;

Ecclesiologia ad mentem Encyclicae *Mystici Corporis*;

Munus episcopi;

Matrimonium christianum uti « magnum mysterium » (*Eph.*, 5, 32).

B) Liturgia:

Reformatio Breviarii, Missalis et Pontificalis Romani necnon Caeremonialis Episcoporum.

In specie: augmentatio Praefationum, v. g. pro tempore Adventus, pro Dominicis post Pentecosten, pro Communibus Sanctorum;

usus linguae vernaculae in Missa ante Offertorium, praesertim in lectione Epistolae et Evangelii;

nova selectio pericoparum;

abbreviatio ritus dedicationis ecclesiae et consecrationis altaris.

C) Disciplina cleri:

confortatio auctoritatis Episcoporum eorumque competentiae;

augmentum facultatum transferendi parochos in favorem curae animarum;

extendatur facultas conferendi sacramentum confirmationis in periculo mortis constitutis ad instar ministri extremae unctionis;

extensio facultatum benedicendi coronas et alias res devotionales et adnectendi indulgentias ad sacerdotes saeculares in cura animarum operantes;

aequiparatio termini supputationis ieiunii eucharistici sacerdotum cum laicis (cummunio — non celebratio) ad lucrandum tempus utile pro multis sacerdotibus, qui in diebus festis bis vel ter litari et praedicare debent;

restitutio diaconatus tamquam muneris proprii et actualis;

mutatio ordinis studiorum theologiae, ita ut magis distinguantur eruditio scientifica et instructio ad curam animarum. Pastor animarum

supra fundamenta scientifica indiget conspectu continuo et organico veritatum ad fructuosam praedicationem verbi divini;

patefiat via ad reconciliandos sacerdotes errantes;

levetur conversis ministris acatholicis aditus ad sacerdotium vel magisterium sine nimio incommodo familiarum suarum.

D) Disciplina religiosorum:

augeatur praesertim apud religiosas competentia Episcopi, etiam quoad temporalia;

leges de religiosis ita modificentur, ut melior ratio habeatur congregationibus et institutis laicis, v. g. in quaestione confessarii;

liceat dotes etiam in fundis collocari.

E) Disciplina populi christiani:

ius laicorum exaedificetur in favorem actionis catholicae et apostolatus laicorum;

leges de libris legendis adaptentur temporis circumstantiis et addantur monitiones de recto usu radiophoniae et televisionis;

lex ieiunii ad formam redigatur, qua nimiae dispensationes vitari possint;

censurae et reservationes simpliciores reddantur;

liceat dotes piarum fundationum etiam in aedificiis ecclesiasticis collocare, dummodo fabrica annuatim stipendia pro missis celebrandis tuto praestet;

coniugibus acatholicis, quibus propter matrimonium catholicum et educationem catholicam prolis a ministris acatholicis sepultura denegatur, concedatur sepultura ecclesiastica ad instar catechumenorum, etsi in forma restricta.

Auditis viris ecclesiasticis peritis et prudentibus haec vota et animadversiones pro Concilii argumentis apparandis Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae humiliter proponere mihi liceat. Interim clerus et populus Spirensis ferventes ad Deum preces emittunt pro futuro Concilio Oecumenico eiusque praeside sanctissimo et pro reunione christianorum disgregatorum cum Sancta Romana Ecclesia.

Spirae, die 14 mensis augusti 1959.

Sacram purpuram deosculans
Eminentiae Vestrae Reverendissimae
in Christo addictissimus

✠ ISIDORUS MARCUS EMANUEL
Episcopus Spirensis

21

Exc.mi P. D. MATTHIAE WEHR
Episcopi Trevirensis (Trier)

Treviris, die 27 m. augusti 1959

Prot. N. 1 C/59 - 1379

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteris diei 18 m. iunii a. c., Eminentia Vestra Reverendissima infrascripto mihi Episcopo Trevirensi significavit Summum Pontificem Ioannem XXIII fel. regn. instituisse Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico et Eminentiam Vestram huius Commissionis Praesidem statuisse. Postulavit Eminentia Vestra, ut, voluntati Summi Pontificis obsequens dictae Pontificiae Commissioni communicarem animadversiones, consilia et vota circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari posse existimem.

Re cum quibusdam viris ecclesiasticis peritis, praesertim cum Exc.mo ac Rev.mo D.no Bernardo Stein, Episc. tit. Dagn. et Auxil. Ep. Treviren., deliberata, quae tractanda esse censui, in foliis adnexis notavi et Eminentiae Vestrae hisce communico.

Interim Sacram Purpuram reverenter deosculor.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus

✠ Matthias Wehr
Episcopus Trevirensis

Animadversiones, consilia et vota Episcopi Trevirensis de rebus tractandis in futuro Concilio Oecumenico

1. *De rebus fidei et morum*

a) Postquam Concilium Vaticanum constitutionem dogmaticam primam de Ecclesia promulgavit, eiusdem constitutionis pars sequens decernenda videtur.

Si in hanc novam partem constitutionis ea, quae a magisterio Summi Pontificis inde a Concilio Vaticano praesertim litteris encyclicis

statuta sunt, assumantur, recapitulatio totius depositi Fidei necessaria non videtur.

Circa *doctrinam de Ecclesia* desiderantur haec:

1. Ecclesia appareat tamquam populus Dei, Christi sanguine acquisitus et in Novo Testamento constitutus. Pateat respectus in dispensationem divinam salutis humanae factam per tempus « legis naturae » et « legis veteris scriptae », donec, cum plenitudo temporis advenisset, Iesus Christus proprio sanguine novum populum sibi acquisivit, veteri testamento abolito. Praeterea Ecclesia celebretur sponsa unica et dilecta Filii Dei et familia Dei Patris vinculo fidei et spei et caritatis in Spiritu Sancto coadunata.

2. Relationes, quae sunt inter Ecclesiam visibilem et Regnum Dei et praesertim Communionem Sanctorum, explicentur ita, ut cum doctrina de Communione Sanctorum componantur ea quae praedicanda sunt de Beatae Mariae Virginis gratia et assumptione corporali et mediatione.

3. Ecclesia manifestetur esse viatorum, qui expectant beatam spem adventus Domini Nostri Iesu Christi, ita ut vana desideria tum communismi tum adventistarum proscribantur.

4. Agatur et de membris singulis, qui baptismo aut parvulorum aut adultorum Ecclesiae aggregantur, et de communitatibus christianis extra Ecclesiam degentibus. Omnia elementa, vere catholica, ab haerecticis et schismaticis conservata necnon exculta, e. gr. ceremoniae, cantica spiritualia, orationes, magna aestimatio Scripturae Sacrae etc. laudentur.

5. Episcoporum potestas tum ordinis tum iurisdictionis ita exponatur, ut elucidentur haec verba Concilii Vaticani (Denz. 1828): « Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur ».

6. Dignitas laicorum, qui charactere baptismi et confirmationis participes facti sunt Regni et Sacerdotii Christi, efferatur eorumque tum iura ecclesiastica tum auxilia officiaque, quibus fungi possunt, statuantur; nec praetermittatur, quanti aestimandus sit consensus fidelium in rebus fidei et morum.

7. Inter bona Ecclesiae, quae laudantur, splendescat « sacramentum » veritatis divinae, indefectibiliter idem permanens (contra pragmatismum, modernismum, existentialismum), quia Christus Apostolis

oretenus depositum Fidei tradidit, mittens Spiritum Sanctum, ut Ecclesia fideliter custodiret et recte exponeret et iuste applicaret hanc traditionem, quae praecessit libros divinitus inspiratos Novi Testamenti, ita ut vivum magisterium Ecclesiae doceat, qui libri inspirati sint et Veteris et Novi Testamenti, et qualis sit haec inspiratio, et quomodo in utriusque Testamenti paginis bonum veritatis divinae quaeri debeat et inveniri possit.

8. Bonum gratiae in Ecclesia abundare praedicetur, ita ut imprimis tum in Ecclesia universali tum in singulis membris sanctificatis inhabitare doceatur ipse Spiritus Sanctus, in quo accessum habemus ad Christum et per Christum ad Deum Patrem. Non tamen occasio praebeatur ad parvi aestimandum dona gratiae, quae a theologis « creata », a protestantibus « dingliche Gnade » nominatur.

9. Cultus, quem Ecclesia in Spiritu Sancto per Christum Deo Patri defert, maxime aestimetur ob nexum intimum cum Sacrificio unico Iesu Christi. Relatio tum Sacrificii Eucharistici tum ceterorum Sacramentorum ad opus Christi salutiferum explicetur.

10. Declaretur, quomodo singuli actibus fidei, spei, caritatis cum Christo et Ecclesia coniungantur et quantum ethica christiana distet ab honestate « naturali » humana.

11. Describatur, quibus modis tum Ecclesia tamquam societas, tum singuli fideles in societatibus variis non-catholicis vel non-christianis versari possint, ut, periculis non neglectis, honesta cooperatione Regno Christi fortiter deserviant.

b) Praeterea contra errores periculum fidei et morum afferentes *doctrina sana de homine* explanetur.

1. Origo, natura, indoles individuales et sociales, facultates et iura hominum manifestentur.

2. Ius naturale et obligationes iustitiae et honestatis humanae certo cognosci posse et Ecclesiae ius et officium competere exponendi mores, inculcetur.

3. Omnis operis humani, quo bona producuntur vel administrantur vel veneunt vel consumuntur, fundamenta moralia et fines et termini spatiumque ostendantur.

4. De matrimonio naturali et sacramentali ita agatur, ut de novo inculcentur ius et officium parentum circa prolem procreandam, educandam, erudiendam.

5. Agatur de obligatione oboedientiae erga auctoritatem Rei Publicae necnon de terminis huius oboedientiae, i. e. de iure et obligatione in quibusdam adiunctis etiam resistendi.

II. De re liturgica

« Sacra Liturgia integrum constituit publicum cultum Mystici Iesu Christi Corporis, Capitis nempe membrorumque eius » (*Mediator Dei*, *A.A.S.* 39 [1947] 528-529). Nemo nescit faustissimum eloquium a Sancto Pio Papa X proditum de actuosa sacri cultus participatione ab ipsis fidelibus peragenda magis magisque factum esse principium instaurationis liturgicae a Summo Pontifice Pio Papa XII feliciter inchoatae. Quamquam natura sua impossibile est a Concilio discuti omnia singula vel particularia quae in hac restauratione liturgica etiam pro futuro providenda esse videntur, tamen eiusdem restaurationis principia recognoscantur.

a) Agatur de *Kalendario universali*: exaretur restaurationis norma, ut ipse anni dominici circulus (Proprium de tempore) clarius eluceat festaque illorum tantum Sanctorum remaneant universalia, quae universalem Ecclesiam re vera maxime respiciunt, reliquis cultui locali vel regionali commissis.

b) Agatur de quibusdam in *Missali Romano* reformandis:

1) de partibus Missae a solis sacris ministris vel a choro vel a populo exequendis nec a celebrante duplicandis;

2) de numero pericoparum dominicalium a S. Scriptura desumptarum augendo et novo ordine statuendo, ita ut cyclo e. gr. quaternali thesaurus S. Scripturae fidelibus magis magisque aperiatur;

3) de oratione sic dicta fidelium in missis publicis restauranda, ita ut pro magnis intentionibus Ecclesiae iterum iterumque expressis verbis preces fiant;

4) de novis praefationibus introducendis (e. gr. pro tempore Adventus, pro festis Martyrum, pro Dominicis);

5) de formula abbrevianda, quae in S. Comunionis distributione adhibetur.

c) Agatur de *Breviario Romano* ita reformando, ut conditionibus cleri cura animarum occupati aptetur. (Conferantur litterae ab Eminentissimo Archiepiscopo Colon. nomine episcoporum provinciae ecclesiasticae Colon. die 9 m. Nov. 1956 ad S. Rituum Congregationem missae).

d) Agatur de quibusdam ritibus *Pontificalis Romani* reformandis. Publicetur quamprimum ritus consecrationis ecclesiae et altaris iam reformatus.

e) Agatur de *Rituali Romano*, imprimis de ritibus baptismi adultorum necnon parvulorum reformandis.

f) Agatur de *lingua vernacula,* cuius usus « in non paucis ... ritibus valde utilis apud populum existere potest » (*Mediator Dei*).

1. Respiciantur experientiae longaevae atque probatae, quas quaedam regiones vi consuetudinum legitimarum vel privilegiorum a S. Sede concessorum collegerunt.

2. Agatur de extensione (iam feliciter inchoata) privilegii, secundum quod fidelibus abstantibus licet in missis, quae dicuntur « in cantu », Kyrie, Gloria, Credo et cetera, quae ad populum pertinent, lingua sua cantare, dum celebrans exclusive utatur lingua latina.

3. Agatur de lectionibus Missae a ministris vel a sacerdote celebrante sola lingua vernacula proferendis.

4. Permittatur, ut oratio sic dicta fidelium in Missam reintroducenda (cf. supra II b n. 3) lingua vernacula recitetur.

III. De regimine et disciplina

a) *De obligationibus clericorum*

1. Inculcetur lex caelibatus.

Agatur vero etiam de variis desideriis circa Diaconatum, praesertim de quaestione, num in regionibus Missionum et Diasporae — nullo modo vero in ceteris territoriis — ad s. Diaconatus ordinem admitti possint viri uxorati, dummodo ab Episcopo competente vere digni et idonei habeantur.

Commendatur insuper, ut ministri acatholici Fidem Catholicam amplectentes, perdurante matrimonio antea contracto, dispensatione Apostolica admittantur ad suscipiendum s. Presbyteratus ordinem necnon ad curam animarum exercendam, dummodo Episcopus competens eos vere dignos et idoneos habeat.

2. Clericis enixe commendentur modestia vitae, paupertas evangelica necnon vera oboedientia.

3. Statuatur, quibus sub conditionibus clerici ratione officii, quo funguntur, astringantur obligatione secretum servandi.

b) *De Episcopis*

1. Agatur de corroborando statu iuridico Episcoporum, amplificatis eorum facultatibus.

Quaedam saltem facultates sic dictae quinquennales in potestatem ordinariam Episcoporum recipiantur.

Episcopis tribuatur facultas ordinaria benedicendi et indulgentiis ditandi vias Crucis.

Amplificata facultate, canone 806 § 2 *C.I.C.* concessa, Ordinariis tribuatur potestas ordinaria ad impertiendam facultatem
diebus ferialibus duas Missas
et diebus dominicis et festis tres Missas celebrandi.

Episcopis tribuantur praesertim ampliora iura circa Congregationes religiosas necnon circa administrationem bonorum temporalium, uti in sequentibus animadversionibus exponetur.

2. Opera caritatis et similia severiori disciplinae et vigilantiae Episcopi subiciantur.

c) *De aliis clericis in specie*

1. Agatur de iuribus officialis, cum ea, quae canone 1573 C.I.C. continentur, non videantur sufficientia.

2. Agatur quoque de iuribus sacerdotum, qui tamquam cooperatores curam animarum exercent sive in tota dioecesi sive in paroeciis sive in scholis sive in piis domibus ad normam canonis 464 § 2 *C.I.C.* a parochi cura subductis.

d) *De religiosis*

1. Agatur de limitanda exemptione religiosorum, praesertim eorum qui cooperantur sive in cura animarum sive in operibus caritatis vel educationis vel similibus. Statuatur Episcopi ius et officium examinandi, num in domibus religiosis, etiam in domo matrice vel provinciali, administratio bonorum temporalium concordet cum normis iustitiae, aequitatis, caritatis.

2. Augeantur facultates Episcopi quoad religiones laicales, et quidem circa earum erectionem necnon regimen internum et disciplinam (v. gr. dispensationem super lege clausurae, praesidentiam in Capitulis generalibus vel provincialibus).

e) *De laicis*

Effuse agatur de statu laicorum in Ecclesia. Hodierno tempore maxime desiderantur normae praesertim de laicorum iuribus et officiis in vita tum privata tum publica necnon de eorum responsabilitate pro bono Ecclesiae et pro salute animarum atque de eorum obligationibus circa apostolatum et circa societatem humanam. Declaretur, quibus officiis laici fungi possint in Ecclesia.

f) *De Sacramentis*

1. Non solum Episcopis et parochis, sed etiam aliis sacerdotibus, quibus cura animarum est commissa, tribuatur facultas Sacramentum confirmationis conferendi fidelibus, qui ex gravi morbo in vero mortis

periculo sunt constituti. Deleatur clausula: « dummodo Episcopus dioecesanus (vel parochus) haberi non possit vel legitime impediatur ».

2. Immutetur praescriptum unoquoque anno fidelibus proclamandi Decretum « Sacra Tridentina Synodus » diei 20 m. decembris 1905 et Decretum « Quam singulari » diei 8 m. augusti 1910.

3. Agatur de reformanda disciplina indulgentiarum, et quidem numerus indulgentiarum minuatur necnon condiciones eas lucrandi aggraventur.

4. Modus recipiendi acatholicos in Ecclesiam et formula abiurationis haeresis aetati huic nostrae accomodentur.

5. Ordinariis locorum impertiatur facultas non solum vicarios cooperatores, sicuti in canone 1096 § 1 *C.I.C.*, sed etiam alios sacerdotes generaliter delegandi ad assistendum matrimoniis.

6. Nova lege statuatur, ut invalida sint matrimonia inita ob errorem dolose causatum, et declaretur, quibus sub condicionibus haec matrimonia sint invalida.

7. Expresse statuatur, ut invalidum sit matrimonium initum cum persona amente.

8. Desideratur instructio, hodierno tempori adaptata, de condicionibus praesumendi mortem coniugis (cf. can. 1053 *C. I. C.*).

9. Expressa lege statuantur normae de dissolutione matrimonii in favorem fidei.

g) *De temporibus sacris*

1. Praecepta de diebus festis examini subiiciantur.

2. Agatur de reformanda disciplina circa ieiunium et abstinentiam. Negari nequit legem ieiunii in nostris regionibus a paucis tantum fidelibus hodie servari et legem abstinentiae a multis non servari. Tot sunt concessa indulta, ut leges Ecclesiae de hac materia in vita practica fere abolitae appareant. Leges hodierno tempori adaptentur. Mitigandae sunt; quae vero valent, inquantum fieri potest, urgendae, ne saluberrima ista disciplina Ecclesiae plane pereat.

Proponere mihi liceat, ut canon 1252 *C. I. C.* immutetur hoc fere modo:

§ 1. Lex solius abstinentiae servanda est singulis feriis sextis.

§ 2. Lex abstinenttiae simul et ineunii servanda est feria quarta cinerum necnon feriis sextis Quadragesimae et Adventus.

§ 3. Admonentur fideles, ut ceteris quoque feriis Quadragesimae et feriis sextis Quatuor Temporum necnon pervigiliis Pentecostes

et Omnium Sanctorum ieiunent vel saltem opera mortificationis in se suscipiant.

§ 4. Diebus festis de praecepto lex abstinentiae vel abstinentiae et ieiunii cessat.

h) *De cultu divino*

Agatur de reducendo numero iuramentorum praestandorum. Aboleatur obligatio praestandi iuramentum contra errores Modernismi.

i) *De magisterio ecclesiastico*

1. Agatur de erigendo in Urbe Instituto pro studio omnium religionum acatholicarum. Curandum est, ut alumni in Seminariis maioribus et Universitatibus catholicis de eadem materia instruantur.

2. Moneantur Ordinarii locorum, ut instituant in suis dioecesibus Consilium clericorum et laicorum, quod curam habeat acatholicorum.

3. Leges de censura praevia et de prohibitione librorum revisioni subiiciantur. Inculcanda erit praesertim obligatio moralis vitandi pericula fidei et morum, sive agatur de libris sive de rebus cinematographicis, radiophonicis, televisificis.

k) *De beneficiis ecclesiasticis*

1. Agatur de reformanda disciplina circa beneficia ecclesiastica eaque adaptanda conditionibus nostri temporis.

2. Limitetur reservatio beneficiorum.

3. Restringatur inamovibilitas parochorum.

4. Obligatio fructus superfluos impendendi pro pauperibus aut piis causis (cf. can. 1473 *C.I.C.*) extendatur ad omnes sacerdotes quodlibet ministerium ecclesiasticum exercentes. Episcopo liberum sit definire, quibus causis reditus superflui sint impendendi.

l) *De bonis temporalibus*

1. Agatur de amplificandis facultatibus Episcopi circa administrationem bonorum temporalium, praesertim circa alienationem et onerationem bonorum.

2. Episcopo tribuatur facultas, praeter tributum ad sustentandum Seminarium, imponendi sive clericis sive fidelibus sive paroeciis sive aliis personis moralibus alia tributa, quae, consentiente Synodo dioecesana, necessaria habentur pro administratione dioecesis vel pro cura animarum vel pro piis operibus.

m) *De delictis et poenis*

1. Agatur de reducendo numero legum, quae poenas latae sententiae statuunt. Censurae reservatae ad duas tantum species reducantur, ita ut habeantur nonnisi censurae aut Apostolicae Sedi aut Ordinario reservatae, demptis ulterioribus specificationibus.

2. Distincte caveatur, quae poenae in foro interno sacramentali quaeque in foro tantum externo remitti possint, ea lege, ut poenae ex omnibus et solis delictis occultis provenientes remitti possint a confessariis in foro sacramentali, omnia vero delicta sive natura sua sive de facto publica ad forum externum remittantur, firmo praescripto canonis. 2252.

3. Confessario a censura reservata absolventi imponatur obligatio recurrendi ad Superiorem competentem pro obtinendis mandatis poenitenti dandis, firmo praescripto canonis 2254 § 3 *C.I.C.*, et poenitenti imponatur obligatio implendi mandata, non vero sub poena reincidentiae.

40. Enumerentur in lege taxative delicta natura sua publica.

n) *Varia desideria*

1. Magnopere desiderandum mihi videtur, ut exemplaria processuum de batificatione Servorum Dei dactylographice transcripta admittantur (cf. can. 2054 *C.I.C.*).

2. Item magnopere desiderandum mihi videtur, ut acta causarum matrimonialium, sive ad Supremam Sacram Congregationem Sancti Officii sive ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum sive ad Sacram Romanam Rotam transmittenda, admittantur in sola lingua vernacula transcripta.

Treviris, die 27 m. augusti 1959.

✠ Matthias Wehr
Episcopus Trevirensis

22

EXC.MI P. D. IOSEPHI STANGL

Episcopi Herbipolensis (Wurzburg)

Prot. N. 1 C/59 - 1482 Herbipoli, die 31 m. aug. 1959

Eminentissime Princeps,

Infrascripto episcopo pergratum contingit, Eminentiae Vestrae in foliis hisce adiectis nonnullas adnimadversiones circa res, quae in futuro Concilio tractari potuerint, humillime porrigere.

Hac occasione nactus sacram Eminentiae Vestrae Purpuram deosculans me profiteor

Eminentiae Vestrae

✠ IOSEPHUM STANGL
Episcopum Herbipolensem

In futuro Concilio tractetur de natura Ecclesiae, dioeceseos et paroeciae qua talium; sententiae ex hac tractatione manantes exprimantur — quantum respiciant ius canonicum — in *C.I.C.*

Generatim ad *C.I.C.*: termini technici clarius definiantur, e. gr. « Ordinarius », « matrimonium legitimum » etc.

Locorum Ordinariorum facultates dispensandi amplientur (can. 81).

Declaretur quis sit membrum Ecclesiae et quomodo notio can. 87 componi queat cum canonibus 12, 1016, 2314 (quoad eos, qui a prima aetate sunt acatholici).

Reformatio et adaptatio Breviarii Romani ad conditionem sacerdotum in cura animarum laborantium (can. 135).

In discrimen vocetur, num etiam in casibus praeter can. 214 obligationes coelibatus et horarum canonicarum auferri queant, si causae gravissimae et singulares id postulare videantur vel « vis et metus » ad tramitem iuris plene probari non potuerit.

Ius laicorum (cann. 682 sqq.) fusius explicandum sit.

In normis de s. Eucharistia (cann. 801 sqq.) etiam exprimatur hoc sacramentum centralem actionem cultus Ecclesiae constituere, in qua Corpus Christi Mysticum repraesentatur.

Admittatur lingua vernacula in ea Missae sacrificii parte, quae Offertorium antecedit, saltem pro lectionibus; insuper in lectionum ordine maior variatio concedatur (can. 819).

Pro confessionibus religiosarum singuli sacerdotes ne indigeant iurisdictione speciali, sed tantum licentia, ut validitas confessionis semper certa sit (can. 876, vide etiam cann. 520-529).

Restringatur facilitas in Indulgentiis acquirendis (cann. 911 sqq.).

Ditentur singuli pastores animarum generatim facultatibus benedicendi Rosaria, cruces cum Indulgentia plenaria in articulo mortis lucranda etc.

Post conversionem in sinum Ecclesiae ministri quondam acatholici, qui matrimonio ligati sunt, ad sacros ordines facilius admittantur (can. 968).

Abrogentur generatim impedimenta matrimonalia minoris gradus (cann. 1035 sqq.) et insuper affinitas in primo lineae collateralis gradu.

Impedimentum disparitatis cultus etiam comprehendat matrimonia omnia inter baptizatos et non baptizatos (can. 1070).

Ordinarii locorum ditentur iure ordinario potestate dispensandi super universis impedimentis, super quibus Sedes Apostolica dispensare solet.

Error circa qualitatem personae reddat matrimonium invalidum, si una pars dolose in errorem ducta fuerit (can. 1083).

Matrimonium ne admittat conditionem (can. 1092).

Instituatur commissio papalis pro processibus super matrimoniis ratis non consummatis examinandis, fortasse apud Nuntiaturam Apostolicam (can. 1119).

Supprimatur clausula in Indice Facultatum Quinquennalium (formula III B), p. 1, *S.C.S.O.* n. 3, 3° enuntiata.

Coarctetur numerositas iuramentorum (cann. 1316 sqq., 1767 sqq.), imprimis etiam in processibus de beatificatione et canonizatione.

Reformentur et relaxentur praescripta de censura librorum eorumque prohibitione (cann. 1384 sqq.).

Ius beneficiale sensim partimque adaptetur iuri officialium (canones 1409 sqq.).

Loco taxarum adhibeatur modus hodiernis temporibus magis adaptatus.

Deleatur inhabilitas accusandi secundum can. 1971, § 1 n. 1.

Abrogetur censura interdicti, saltem interdicti personalis et ab ingressu ecclesiae (cann. 2268 sq.q).

Censurae latae sententiae abrogentur vel saltem valde restringantur (cann. 2314 sqq.).

✠ IOSEPHUS STANGL
Episcopus Herbipolensis

23

EXC.MI P. D. ALOISII I. MUENCH

Archiepiscopi tit. Fargensis, Nuntii Ap. in Germania

N. 13443/I - 0 Bad Godesberg, 9 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

In ossequio ai venerati desideri di Vostra Eminenza Reverendissima, espressi nel pregiato Foglio N. I C/59-1666 del 18 luglio 1959, mi onoro di inviare a codesta Pontificia Commissione Antipreparatoria per il Concilio Ecumenico, alcune sommesse osservazioni sugli argomenti che potranno essere trattati nella solenne adunanza.

Profitto dell'occasione per rinnovarLe i sensi del mio profondissimo ossequio, coi quali, prostrato al bacio della Sacra Porpora, ho l'alto onore di professarmi

di Vostra Eminenza Reverendissima
um.mo, obbl.mo, dev.mo

✠ A. I. MUENCH
Arcivescovo-Vescovo di Fargo
Nunzio Apostolico

ARGUMENTA QUAE IN FUTURO CONCILIO TRACTARI POTERUNT

De existentia Dei

E denegatione huius veritatis fundamentalis, sc. existentiae Dei, plurimos emanare errores omnibus patet: materialismum, saecularismum, agnosticismum, atheismum. Atheismus a guberniis communisticis palam propagatur; in aliis regionibus, quae sub dominatione Communistarum non sunt, invenitur numerus in dies maior atheistarum « practicorum », ut dicuntur, qui vivunt et agunt, quasi Deus non esset.

Consequentia maxime deplorabilis huius atheismi est, quod normae ordinis moralis collabuntur, cum atheistae Deum eiusque leges negantes suas normas vitam publicam et privatam regentes statuant.

Itaque indoles et fundamentum rationum existentiam Dei probantium denuo examinari oportebit auxilio argumentorum a philosophia, scientiis naturalibus, physica, biologia, astronomia etc. allatorum; quae argumenta nostrorum temporum hominibus suggeri debent verbis persuasibilibus et allicientibus.

De Religione et Evolutione

Systemate evolutionis (seu Darwinianismo stricte dicto) originem omnium rerum explicari posse sat multi putant. Hanc doctrinam radicem multorum errorum huius aetatis esse constat: e. g. omnia, quae absoluta, certa, immutabilia sunt, repudiantur; ut uno verbo dicam, essentia immutabilis rerum negatur. Hoc modo porta et via patefactae sunt illi tendentiae philosophiae modernae, quae vocatur existentialismus, qui est causa multorum malorum in ordine morali.

Communismus quoque asserit doctrinam materialismi dialectici validis argumentis evolutionis biologicae sic dictae probari; adeo ut fundamentum dignitatis, libertatis, iuriumque humanorum corruere necesse sit.

Itaque videtur mihi summopere oportere auctoritatem ecclesiasticam sine ulla ambiguitate indicare, quid de variis stadiis et theoriis evolutionismi a Christianis sentiendum sit. Hucusque scientiae naturales nihil certi de origine generis humani invenerunt. Quaecumque a scientiis naturalibus ut vera et certa in hoc respectu demonstrata sunt vel demonstrabuntur, sine restrictione accipientur; quia nulla discordia esse potest inter veritates, quae ex libro naturae discuntur, et illas, quae libris Sacre Scripturae revelatae sunt.

De Sacra Scriptura

Quoniam multae notiones falsae quoad S. Scripturam tenentur, valde iuvabit characterem divinum S. Scripturae terminis claris et sine ulla ambiguitate statui; sc. Deum eius esse auctorem, Ecclesiam Catholicam autem interpretem totius depositi veritatum in S. Scriptura revelatarum esse.

Humanismus vero modernus affirmat interpretatione ecclesiastica opus non esse, cum ratio humana per se ipsam hoc munere fungi queat.

Has hisque similes notiones a Concilio Oecumenico investigari et repudiari oportebit; scio illos Protestantes, qui characterem sacrum Bibliae affirmant, talem declarationem Ecclesiae Catholicae fervide approbaturos esse.

De Iustificatione et Fide

Nonnulli theologi protestantes nostris temporibus bene noti magis magisque animum advertunt ad doctrinam Ecclesiae de iustificatione et fide, cui doctrinae communiter favent.

Quae cum ita sint, necesse videtur doctrinam Conciliorum de iusti-

ficatione et fide publice tractari in Concilio Oecumenico, quod mox habebitur.

Correctio errorum in spiritu caritatis suscepta multum iuvabit, ut fratres nostri ab unione Ecclesiae separati in ovile Christi reducantur.

De Ordine Morali

Ordo moralis fundatur in legibus a Deo ipso statutis. Quoniam Deus earum auctor est, Ecclesiae est has leges morales cum auctoritate docere et interpretari.

Nova Moralitas, ut dicitur, hanc veritatem negat, ita ut multi errores vitae publicae, sociali, oeconomicae, familiali, iuvenili, privatae, maxime nocivi oriantur.

Haec defectio ab ordine morali palam propagata in omnibus vitae humanae rationibus gravissima mala secum fert.

Spiritus rationalismi moderni etiam in rem tanti momenti, quae est iurisprudentia, invasit; praesertim relativismus fundamenta aedificii moralis labefactavit.

De Ordine sociali

Cum tam late vigeat dominatio Socialismi et Communismi, ut eius errores perniciosissimi maxime noceant principiis immutabilibus legis naturalis et veritatum in Evangeliis et Encyclicis socialibus statutarum, opportunum et utilissimum videtur illa principia summa auctoritae Concilii Oecumenici fulciri.

Talis affirmatio et multis operariis et conductoribus (industrialistis) gratissima erit, cum eorum maxime intersit, stabiliri validum ordinem socialem, qui et concordiam socialem et prosperitatem omnium fovebit.

De Ecclesia

Quaedam puncta consideranda et statuenda:

Origo divina Ecclesiae.

Missio divina Ecclesiae; sc. continuatio operis redemptionis Divini Salvatoris, ad quem finem Ecclesia Ipsius potestate doctorali, sacerdotali, pastorali dotata est.

Auctoritas divina Ecclesiae. Aestimatio huius auctoritatis impugnationibus saecularismi minuta est, similiter atque auctoritas parentum, magistrorum magistratuum civilium debilitata est.

Accusatio illa, quod Ecclesia « auctoritativa » sit, i. e. hominibus nimis imperet, oritur ex falsa notione ipsius missionis et ex usu huius auctoritatis necessario.

Summa confusio invenitur quoad relationes inter Ecclesiam et rem publicam. Oportet clarificari utriusque originem, indolem, finem. Rem publicam decet iura et libertates Ecclesiae agnoscere. Si quando pacta inita sunt, aequitas naturalis postulat, ut principium illud magni aestimetur: « Pacta sunt servanda ».

Vitandus est ille « falsus irenismus », qui pacis omnimodo servandae causa nimias concessiones faciendas esse putat. Neque Regnum Dei augendum vel amplificandum est veritatibus revelatis detrimentum patientibus, neque novae notiones loco veterum saeculari traditione probatarum introducendae sunt; neque Ecclesia officio patrimonii veritatis divinae custodiendi fideliter fungeretur, nisi methodos perniciosissimo illi relativismo in dogmatibus docendis faventes condemnaret.

De Ordine supernaturali

Homines, qui in dies magis terrenis et mundanis considerationibus materialismi afficiuntur, facultatem supernaturaliter sentiendi tantopere perdiderunt, ut essentiam et magnitudinem, quin etiam existentiam et possibilitatem peccati magno cum detrimento negent. Sunt Christiani in societate neo-pagana viventes, qui multo minore claritate quam christiani priorum temporum malitiam infinitam peccati intelligant et sentiant.

Tales homines ignorantes, quid quantumque sit peccatum, nesciunt, cur indigeant redemptione Salvatoris Nostri Iesu Christi; eos latet necessitas gratiae et mediorum, quibus confertur, sc. Sacri Sacrificii Missae, Sacramentorum etc.

Alia, de quibus magno cum usu deliberari poterit:

De ratione, scientia, fide (earumque nexu);
de iis, quae ad bonam pacem necessaria sunt;
de pelliculis (films), radiophonia, televisione, theatro;
de Actione Catholica, eius indole, scopo seu fine;
quae opera ei conveniant, quae non;
de educatione Catholica; de iuribus et officiis familiae et rei publicae in hoc respectu;
de cultu corporis nostra aetate maxime conspicuo;
de matrimonio, de iuribus et officiis coniugum, de familia;
de fine et normis boni preli.

ALOISIUS I. MUENCH
Archiepiscopus-Episcopus Fargensis
Nuntius Apostolicus in Germania

24

EXC.MI P. D. CORRADI BAFILE
Archiepiscopi tit. el. Antiocheni in Pisidia,
Nuntii Ap. in Germania

Alla Eccellentissima
Commissione Antipreparatoria per il Concilio Ecumenico

Il sottoscritto si permette far presenti le seguenti considerazioni in materia di Catechesi ed assistenza alla Santa Messa.

La necessità dell'istruzione del popolo cristiano si fa sempre più urgente e più ardua.

Da una parte, infatti, si va attenuando l'atmosfera religiosa ereditata dagli avi e si moltiplicano gli incentivi al male e, perfino, le organizzazioni professanti il materialismo ateo, mentre, dall'altra, le circostanze della vita moderna spingono i fedeli a trattenersi in chiesa solo per breve tempo. L'uso di andare in chiesa anche nel pomeriggio, per riceverti l'istruzione catechistica, diventa difficile a mantenersi, dove esiste, e sempre più difficile ad introdursi, dove non esiste.

In questa situazione è necessario che vengano valorizzate in pieno alcune risorse dell'apostolato catechetico, che non lo sono sufficientemente, e segnatamente:

a) il tesoro del Vangelo con la sua divina forza d'attrazione;

b) la presenza in Chiesa di imponenti masse di fedeli per l'assistenza alla S. Messa nelle domeniche e feste di precetto.

Ad a): Attualmente l'impiego del Santo Vangelo è ben lungi dall'esser pieno. Nelle domeniche e feste di precetto si leggono e si commentano complessivamente una sessantina di brani, che si ripetono tutti gli anni, per cui finiscono per avere una presa attenuata sugli ascoltatori. Al contrario altri brani, fra i più belli ed efficaci, non capitano mai nei giorni di precetto. Eppure il popolo cristiano è avido di Vangelo. Occorrerebbe quindi stabilire più cicli annuali di lezioni scritturali, in maniera da valorizzare sostanzialmente tutto il Vangelo. Si ha, per altro, l'impressione che la Sacra Congregazione dei Riti sia già entrata in questo ordine di idee.

Ad b): Occorrerebbe trarre maggior profitto dalla assistenza dei fedeli alla S. Messa nei giorni di precetto. E, siccome l'uso della predicazione simultanea allo svolgimento della Liturgia della Messa è troppo stridente con lo spirito liturgico, che si fa sempre più vivo nel popolo fedele, si pensa che la soluzione migliore del problema sia quello di

ricondurre la Messa dei Catecumeni alla sua originale funzione di Catechesi.

Roma, 12 marzo 1960.

CORRADO BAFILE
Arcivescovo eletto di Antiochia di Pisidia
Nunzio Apostolico in Germania

Alla Eccellentissima
Commissione Antipreparatoria per il Concilio Ecumenico

Il sottoscritto si permette esporre alcune considerazioni in merito alla disciplina del digiuno e dell'astinenza.

È evidente che la necessità del digiuno (in senso largo), proclamata da Nostro Signor Gesù Cristo, non è venuta meno ai giorni nostri. D'altra parte, si nota che l'osservanza delle pratiche tradizionali del digiuno e dell'astinenza, benchè ridotte al minimo, diventa sempre più difficile e, per lo meno in alcuni paesi, sempre meno sentita dal popolo cristiano: anzi, appunto perchè poco sentita dalla massa dei fedeli, riesce di difficile attuazione anche per i più volenterosi.

Vien fatto di pensare se non sia il caso di una modifica profonda della vigente disciplina, per la quale si segnalano, come possibili, i seguenti criteri:

1. far cessare l'*obbligo* (sub gravi) del digiuno e dell'astinenza, e sostituirlo con una semplice raccomandazione, molto impegnativa però, rivolta specialmente agli ecclesiastici, ai religiosi, alle religiose ed ai membri delle organizzazioni cattoliche;

2. allargare il concetto tradizionale del digiuno e dell'astinenza, in maniera che qualsiasi privazione di cibo o di bevanda, specialmente se gradevole al gusto, possa essere valevole per soddisfare all'invito della Chiesa;

3. eventualmente, allargare ulteriormente il concetto in questione, includendovi anche l'astensione dal fumo e dai divertimenti, in maniera che anche queste forme di mortificazione siano valevoli per corrispondere all'invito della Chiesa al digiuno ed all'astinenza.

Al riguardo si rileva che, se è vero che i cattolici di oggi sono poco portati verso le forme tradizionali di digiuno e di astinenza, non mancano, tuttavia, persone che si assoggettano a delle forme di privazione tutt'altro che trascurabili (basti pensare all'elevato numero di fedeli che in Irlanda si impegna per tutta la vita a non bere bevande alcooliche di sorta, rinuncia tanto più considerevole in quanto nei paesi nordici l'in-

clinazione all'alcool suol essere più forte che non nei paesi a clima più temperato).

Roma, 12 marzo 1960.

CORRADO BAFILE
Arcivescovo tit. eletto di Antiochia di Pisidia
Nunzio Apostolico in Germania

25

EXC.MI P. D. GULIELMI SEDLMEIER

Episcopi tit. Aulonitani, Auxiliaris Rottenburgensis

Prot. n. I C/59 - 2171

Rottenburgi (ad Nicarum), die 9 novembris 1959

Eminentissime ac Illustrissime Princeps!

Liceat mihi potissimum expetere veniam, quod ad benignam invitationem ab Eminentia Vestra die 18 iunii 1959 mihi transmissam non valui animadversiones, consilia et vota pro futuro Concilio Oecumenico ad optatam diem 1 septembris proponere. Nam ut ea, quae mentem meam agitabant, litteris mandarem, opus fuit otio uti vacationum. At certe gratissimo animo summoque gaudio receperam litteras, quibus Eminentia Vestra praeter Rev.mum Dominum Carolum Iosephum Leiprecht, Episcopum Rottenburgensem, et mihi, eius Auxiliari ac Episcopo Titulari Aulonitano, exhibuit peropportunam facultatem, pro futuro Concilio Oecumenico, illo tam sancto opere, quod Sanctitas Sua Ioannes Papa XXIII indixit quodque maximi momenti esse poterit tam pro universa Ecclesia quam pro salute singulorum christifidelium, tenua mea vota ac consilia proponere.

Rev.mus Dominus Carolus Iosephus, Episcopus Rottenburgensis, me benigne certiorem fecit de suo responso (Prot. N. I C 59-1129) ad Eminentiam Vestram transmisso. Quapropter liceat mihi hisce ad hoc responsum rationem habere, argumenta inibi exposita hic leviter attingere ac votis et argumentis meis supplere.

I. *Quoad fidem catholicam*

1 .Peropportunum mihi esse videtur propulsari in futuro Concilio errores, qui hac nostra aetate praesertim grassantur, nempe fallacias

atheismi, materialismi, communismi, immoderati nationalismi ac nimii stirpis suae exornandae studii. Declaretur ac definiatur igitur doctrina, christiana, qua affirmatur coram Deo omnes homines cuiusvis gentis ac stirpis esse aequales. Quapropter Evangelii praeconibus in sacris Missionibus liceat, rationem, qua doctrina christiana variis gentibus praebetur, et modum, quo sacra Sacramenta administrantur ac cultus divinus litatur, quam maxime adaptare menti ac nativis moribus cuiusvis gentis, quae evangelica veritate collustretur.

2. Dogmate provide definito de Deipara Virgine singulari privilegio cum corpore ad caelum assumpta, explicanda esse mihi videtur doctrina de novissimis rebus singulorum hominum definiendis quibusdam dogmatibus de statu termini.

3. Quae veritates de Ecclesia in Primo Vaticano Concilio propter adversitatem temporum definiri non potuerunt, in futuro Concilio definiendas esse censeo, imprimis de Episcopatu catholico eiusque facultatibus, quae profluunt potius ex sacra ordinatione quam ex iuridica nominatione.

4. Luculenter ac distincte definiantur privilegia ac iura laicorum. Quae in Codice Iuris Canonici hac de re inveniuntur, tenuiora esse videntur. Quae clericis, quae laicis in Ecclesia competant, perspicue circumscribantur. Quae munera, quae officia pro procuranda omnium hominum animarum salute pertineant ad laicos homines vigore sacerdotalis dignitatis, qua omnes christifideles quodammodo participant, definiatur ac declaretur quoad varias provincias, quae quodammodo sui iuris, sunt, nempe quoad rem politicam, oeconomicam, socialem necnon quoad artes et litteras liberales. Aliquam utilitatem fortasse ad hoc propositum collaturum esse existimo Consilium illud Laicorum, quod Sanctitas Sua Ioannes XXIII ex omnibus gentibus cogendum iam commemoravit.

5. Item decernendum esse duco, qui baptizati revera sint sodales Ecclesiae catholicae.

6. Ad Germanicas necessitates consulendas contra Civitatis usurpationes summa auctoritate declaretur, quae iura ac officia competant parentibus quoad prolem propriam educandam.

7. Si quae veritates tenendae definiantur, redigenturne in talem formam, ut iis religiosis Societatibus, quae hucusque extra Ecclesiae saepta inveniuntur, ianua ad Ecclesiam potius aperiatur quam obseratur, uti ex aliquibus verbis Sanctitatis Suae Ioannis Papae XXIII concludi potest.

II. *Quoad Congregationes religiosas iuris dioecesani*

Cum in administranda dioecesi Rottenburgensi partes meae sint, providere educationi sobolis in spem Ecclesiae succrescentis et Congregationibus Sororum Religiosarum, placeat, facultates ac iura Ordinariorum aliquantum augere, quamvis necessaria videatur vigilantia Sacrarum Congregationum Romanarum, ut exemplo utar, negotiis Religiosorum Sodalium et Seminariis ac studiorum Universitatibus praepositarum.

Prosperum quidem esse videtur illud praescriptum can. 492 *C.I.C.*, quo Episcopi prohibentur Congregationes ne iuris dioecesani quidem condere inconsulta Sede Apostolica, ad Congregationes autem iuris dioecesani conditas regendas Episcopo maiores facultates concedantur. Ut nonnullis exemplis utar:

1. Episcopus facultate guadeat dispensandi Sorores Religiosas a votis simplicibus perpetuis in Congregatione iuris dioecesani emissis.

2. Si agatur de alienandis bonis vel de contrahendis debitis et obligationibus ad normam can. 534 § 1 *C.I.C.*, etsi eorum valor superet summam decem milium libellarum aurearum, supremus Superior sit Ordinarius loci eiusque licentia sufficiat.

3. Optandum est, ut Relationes quinquennales pro Congregationibus Religiosis iuris dioecesani praescriptae et ad S. Congregationem de Religiosis transmittendae earumque quaestionaria abbrevientur et ad simpliciorem modum redigantur.

III. *Quoad dispensationem Sacramentorum et cultum divinum*

1. Per indultum generale Apostolicum de die 14 septembris 1946 parochis aliisque sacerdotibus determinatis facultas concessa est, conferendi licite et valide sacramentum Confirmationis Christifidelibus, ex gravi morbo in vero mortis periculo constitutis. Desiderandum est, ut parochi, si opus sit, etiam aliis sacerdotibus, praesertim suis vicariis cooperatoribus, hanc facultatem delegare valeant.

2. Ad normam can. 1102 *C.I.C.* in matrimoniis inter partem catholicam et acatholicam contrahendis potest Ordinarius, si ex prohibitione cuiusvis sacri ritus graviora mala provideantur aliquam ex consuetis ecclesiasticis caeremoniis permittere, exclusa semper Missae celebratione. Peropportunum esse censeo, ut in Germania saltem, in qua quotannis complura milia nupturientium mixtorum cum dispensatione super impedimento mixtae religionis matrimonia celebrant, haec restrictio « exclusa semper Missae celebratione » eliminetur, quia nupturientes aegerrime ferunt, sibi s. Missam vetari, quamquam universae prolis ca-

tholicam educationem promiserunt, et quia exinde magis magisque imminet periculum contrahendi matrimonium coram ministro acatholico. Ceteroquin celebratio s. Missae sacrificii hisce diebus etiam acatholicorum auribus ac oculis in dies crebrius praebetur per radiophonicam vel televisificam artem.

3. Quoad celebrationes s. Missae sacrificii placeat nonnulla instaurare secundum historiae liturgicae scientias a theologis noti nominis hisce diebus demonstratas; Missa Catechumenorum, ex. gr., magis dissolvatur ab ipsa S. Eucharistiae celebratione. Liceat repetere votum, quod Rev.mus Dominus Carolus Iosephus Leiprecht, Episcopus Rottenburgensis, hac de re edidit:

« Formetur Missa Catechumenorum ita, ut sit pariter cultus Summo Deo devotus ac instructio fructuosa plebis christianae, quia talis instauratio maxime proderit fidelibus inter acatholicos vitam degentibus.

Admonuerunt Summi Pontifices a Pio X usque ad Ioannem XXIII sacrificii Missae participationem, quam dixerunt, actuosam. Serventur et augeantur ideo privilegia utendi lingua vernacula in celebrando sacrificio Missae necnon in administrandis Sacramentis. Et exhauriantur, quae Theologi noti nominis Iungmann et Hofinger S. I. demonstraverunt, in scriptis ipsorum et in Conventibus Liturgicis supradictis.

Ordo Hebdomadae Sanctae instauratus haud parvum gaudium spirituale inter christifideles excitavit. Ut numerosiorem alliciant plebem et uberiores ferant fructus Hebdomadae Sanctae sollemnitates, ulterius abbrevientur ritus sacri, imprimis lectiones in Vigilia Paschali ».

4. Votis, quae Rev.mus Episcopus Carolus Iosephus significavit de instaurando iterum priscae Ecclesiae Diaconatu, pariter omnimodo assentior. Liceat mihi eius verba repetere: « Lamentabili laborat fere totus orbis penuria sacerdotum. Quare levitarum munus his temporibus instaurari et tamquam proprium officium in adiutorium sacerdotum reddi sicut in antiqua Ecclesia necessarium mihi videtur. Et quia ad istud munus haud pauci iuvenes ac viri convolarent fide ac virtute ardentes, dono tamen virginitatis carentes, optandum esset, ut praedicti diaconi lege coelibatus non teneantur. Si insuper sustentationi eorum provideretur ad instar sustentationis sacerdotum, minime esset dubitandum, quin tam ex alumnis, deficiente dono virginitatis, seminariis discedentibus quam ex Lutheranorum administris ad fidem catholicam conversis, matrimonii vinculo autem detentis, augeatur in vinea Domini numerus adiutorum, qui aliquam saltem partem officiorum sacerdotalium laudabiliter suscipere possint ».

Addere liceat: Propter nimiam sacerdotum inopiam opus est, ut

permulti sacerdotes s. Sacrificium singulis Dominicis ter litent. Quo nimio corporis labore autem eorum vires nimis ac maturius consumuntur. Instaurato igitur dicto Diaconatu iis praesertim catholicis, qui fusi ac dispersi inter acatholicorum multitudines « Diasporae », quae dicitur, regiones incolunt, facultas concedatur satisfaciendi legi de audiendo Sacro diebus festis et Dominicis, si opus sit, per Missam Catechumenorum cum S. Communione eucharistica a diaconis celebrata alternis vicibus cum s. Missae sacrificio a sacerdotibus litato.

5. Quamvis necessaria ac salutaris sit obligatio, qua clerici in maioribus ordinibus constituti tenentur, cotidie horas canonicas integre recitandi, tamen optandam est, ut continuetur instauratio Breviarii Romani a Sancta Sede feliciter incepta, ac quidem ut abbrevietur imprimis pro clero saeculari Officium cotidie recitandum attentis maximis sacerdotum ad curam animarum officiis.

Si non dubitavi, invitationis Eminentiae Vestrae obsecundans « omni cum libertate et sinceritate » animadversiones, consilia et vota mea pro futuro Concilio Oecumenico apparando communicare, aliquam foveo spem, praeter permulta ac egregia consilia, quae Sanctitati Suae ex toto orbe catholico transmittuntur, et modestum Rottenburgensis Episcopi Auxiliaris votum aliquid collaturum esse ad apparandum futurum Concilium Oecumenicum.

Quae dum Eminentiae Vestrae refero, occasionem perlibenter nanciscor, ut manus ac anulum Eminentiae Vestrae deosculer ac sensus altissimae venerationis meae pandam ac permaneo.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus

✠ GULIELMUS SEDLMEIER
Episcopus Titularis Aulonitanus
ac Auxiliaris Rottenburgensis

26

EXC.MI P. D. GUALTERI KAMPE
Episcopi tit. Bassianensis, Auxiliaris Limburgensis

Prot. N. 1 C/59 2183

Eminentissime Pater!

Sollemne est mihi aspirationi Eminentissimae Paternitatis Vestrae obsecundare. Idcirco hisce transmitto exspectata a me consilia et vota,

quae Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro concilio Oecumenico duxi subicienda:

I. *Quaestiones doctrinae*

1. Desideratur definitio de natura Ecclesiae iuxta mentem Encyclicae Pii Papae XII. « *Mystici corporis* »; qua in definitione id intendatur, ut ea elementa fidei circa Ecclesiam designentur, quae christianis ab unitate Ecclesiae avulsis cum eadem Ecclesia communia sunt, ut basis vel fundamentum pro discussionibus de reunione habeatur.

2. Desideratur doctrina de statibus Ecclesiae, de statu tam sacerdotali quam laicali, de statu tam religiosorum quam saecularium.

3. Desideratur inprimis elucidatio doctrinae de Episcopatu, de eiusdem relatione ad Primatum, de unitate ac propria auctoritate, item de relatione inter potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis, de circumscriptione functionum episcopalium et functionum sacerdotalium, quae intra ambitum ordinis locum habent.

II. *Quaestiones liturgicae*

1. Desiderantur regulae vel normae a Concilio exarandae de reformanda liturgia, quatenus reformatio adhuc nondum executioni data est. Optanda est institutio Commissionis episcoporum pro reformanda liturgia, quod gremium ex toto orbe sibi adlegat membra.

2. Desideratur pro sacerdotibus specialis forma concurrendi in missa ab episcopo celebrata, sive sit concelebratio in conferendo sacramento ordinis presbyteratus et in aliis sollemnitatibus, sive sit quaedam participatio distincta sacerdotum in magno confluxu praesentium.

3. Desideratur simplicior forma missae lectae et etiam cantatae in regionibus ruralibus, in regionibus Diasporae et Missionum in quibus maior assistentia et chorus cantorum haberi nequeunt; attamen sollemnis forma missae omnia evolvat elementa, quae in praeteritis saeculis imminuta sunt (e. g. cantum psalmorum).

4. Desideratur sollemnior forma sacrae synaxis, quae a consueta cotidiana differat ac locum habeat in festivitate primae communionis puerorum, in administratione sacramentorum confirmationis et matrimonii, necnon in aliis actibus initiatoriis; quae sollemnis forma sacrae synaxis permittat laicis — omni irreverentia vel profanatione sacrorum exclusa — usum calicis eucharistici, ut christianis ab unitate Ecclesiae seiunctis ad oculos demonstretur Ecclesiam usum calicis fidelibus non omnino denegare.

5. Desideratur declaratio, in quantum unitas liturgiae in universali

Ecclesia servanda et demonstranda sit; praeterea declaretur, quatenus individualitates culturarum intra liturgiam universalem respici possint praeprimis ratione usus linguae vernaculae. Quod etiam valet de ritibus non-Latinis, quorum utilitas in missionandis gentibus Africae et Asiae exquiratur.

III. *Quaestiones pastorales et disciplinares*

1. Optandum, ut complures provinciae ecclesiasticae connectantur, prout communis patria vel communis lingua id suadent; item instituantur iudicia intermedia inter dioeceses et Ecclesiam universalem.

2. Desideratur specialis Congregatio Romana pro reducendis christianis seiunctis in sinum s. matris Ecclesiae.

3. Desideratur centrum informationis, quod durante Concilio media publicationis i. e. ephemerides, radiophoniam, pelliculam ex officio instruat, sed et alias de rebus S. Sedis et Ecclesiae secundum veritatem et fideliter referat.

4. Optandum, ut Concilium quaestiones pastorales maioris momenti litteris ad clerum saecularem et regularem, ad laicos, ad christianos ab Ecclesia seiunctos, ad viros denique in rebus publicis versatos ac moderatores rerum oeconomicarum directis pertractet.

5. Desideratur summarium doctrinarum Ecclesiae de re publica et societate adiunctis instructionibus pastoralibus pro hominibus politicis, negotiatoribus, mercennariis.

Limburgi ad Lahnam, die 30 mensis decembris a. 1959.

Eminentissimae Paternitati Vestrae deditus
✠ Gualterus Kampe
auxiliaris Limburgensis

27

Exc.mi P. D. IOANNIS VON RUDLOFF
Episcopi tit. Busiritani

N. I C/59-2204 26 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Maximas Eminentiae Tuae gratias ago de litteris, datis die 18 iunii 1959, in quibus Eminentia Tua mihi significavit Augustum Pontificem desiderare opiniones seu sententias Episcoporum de argumentis in Concilio Oecumenico futuro tractandis cognoscere.

Postquam deliberationes cum orationibus mecum institui et alios viros ecclesiasticos peritos et prudentes consului maxima cum reverentia sequentia argumenta humiliter proponere praesumo.

I. De doctrina de Ecclesia Christi clarius exponatur:

1) quid sit Ecclesiae mysterium ex illis quae iam in Concilio Vaticano praeparata erant et interea iam sunt communicata in encyclicis, praesertim *Mystici Corporis;*

2) quae sint Ecclesiae membra, inquantum etiam schismatici, haeretici, omnes homines bonae voluntatis per votum baptismatis participent bonis Ecclesiae.

Sperandum est Deum in abundantia misericordiae Suae multis schismaticis, haereticis, et non baptizatis quoque, si bona fide errant et extra Ecclesiam degunt, intuitu pretiosissimi sanguinis Iesu Christi pro salute totius mundi effusi vitam aeternam tributurum esse. Sed certo hoc non fit nisi per Ecclesiam Christi, quae aliquo modo istas animas « attingit ».

Secundum Litteras Encyclicas *Mystici Corporis* homines, « qui ad adspectabilem non pertinent Catholicae Ecclesiae compagem », tamen quodam desiderio ac voto ad mysticum Redemptoris Corpus ordinantur ».

Quaerendum est, quomodo ista « ordinatio » ad mysticum Corpus Christi intelligenda sit — 1° quoad schismaticos, qui baptismate Christo incorporati sunt et in fide late cum vera religione catholica consentiunt; 2° quoad haereticos, qui baptismate Christo incorporati sunt, sed in fide errant; 3° quoad non baptizatos.

Quam « ordinationem » ad Corpus Christi mysticum ita efficacem esse videtur, ut bona fide errantibus salutem aeternam comparare possit. Sed talis non est, ut haeretici hac « ordinatione » contenti esse et putare possint, sicut nonnulli protestantes et « anglo-catholici », qui dicuntur, reapse putant, se iam ad Ecclesiam Catholicam pertinere nec ad eam redire iis opus esse.

In multis regionibus Europae, praesertim in parte septentrionali Germaniae, in Anglia, et Scandinavia christifideles catholici dispersi inter multitudinem haereticorum vivunt. Solutio huius quaestionis de Ecclesia pro istis fidelibus magni momenti est, quia iis, sacerdotibus quoque et laicis, munus gravissimum apostolicum incumbit haereticos et errantes in fide cum Ecclesia reconciliandi et iis viam, qua in sinum Ecclesiae redire possint, demonstrandi.

3) quae sint iura Episcoporum divina; quomodo haec iura melius in praxim reducantur ita ut administratio ecclesiastica nimis arcta et « centralistica » facilior fiat et diversis locis melius adaptata;

4) quae sit differentia exacta inter clericos et laicos; quae sint iura et debita laicorum; quomodo possint melius collaborare in administrandis

muneribus parochialibus, dioecesanis, in ipsa Curia Romana — Consilium (Parlamentum) laicorum —; quomodo possint redire in iura olim laicis concessa, in administrandis temporalibus;

5) quomodo ordines minores, subdiaconatus et ipse diaconatus reformari possint vel potius in pristinum reduci ita ut constituant munera perpetua in Ecclesia nec tantum praeparatoria ad Ordinem Presbyteratus et liberi manere possint ab onere et presbyteri liberentur ab oneribus illis reservatis, nimis gravantibus;

6) quomodo coetus religiosorum et religiosarum debeant et possint reformari et in statum nostris temporibus melius adaptatum — e. g. quoad vestitum — mutari necnon in pauciores et strictiores unitates reduci.

II. De Sacramentis administrandis deliberetur:

1) inquantum lingua vernacula in administrandis sacramentis permitti possit, ita ut fideles maiore cum fructu participent;

2) quomodo possit et debeat reformari ritus baptismatis infantium et imprimis adultorum;

3) quomodo valor confirmationis fidelibus magis inculcetur, ut magnum illud sacramentum plus aestimetur et maiorem exhibeat efficaciam;

4) quomodo Sacrificium Eucharisticum quoad textus et caeremonias vere reformetur omissis omnibus, quae ut antiquata non iam intelliguntur, necnon ultimo Evangelio cum precibus missae annexis, prolongata forse parte Communionis et Postcommunionis;

5) quomodo sacerdotibus et fidelibus, praesertim parentibus denuo inculcetur obligatio pueris in aetate, in qua incipiunt ratiocinari, sanctam communionem administrandi.

Permulti christifideles hanc obligationem nesciunt et, quod dolendum est, multi sacerdotes et pastores animarum, eam negligunt. Quae cum ita sint saepissime pueri duos, tres, vel quattuor annos post adeptionem usus rationis sacramentum Corporis et Sanguinis Christi accipiunt. Periculum maxime est, ne pueri, qui sero ad primam communionem admittuntur, in vita posteriori tentationibus variis succumbant.

Vocationes ad sacerdotium et ad statum religiosum in futuro in sufficienti numero non haberi mihi videtur, nisi pueri cum primum usum rationis adepti sint, hoc divino cibo reficiantur.

6) quomodo possit reformari administratio sacramenti Poenitentiae, ut magis inculcetur et exerceatur virtus poenitentiae in contritione cordis; ut clarius dicatur — etiam quoad mandatum paschale — quando sit obligatorium, nempe de peccatis vere gravibus et sic consciis, cum omnia alia, sicut fieri solebat pristinis temporibus, vera contritione emendicata non excludant a S. Communione;

7) quomodo possit elucidari doctrina et reformari praxis indulgentiarum.

III. De Indice librorum prohibitorum provideatur:

1) ne in Indicem proscribantur libri auctorum quin ipsi prius de hac re certiores fiant aut sine scandalo et detrimento proprii honoris illos possint emendare aut retrahere;

2) ut conscientia fidelium hac in re melius excolatur, minus vere poenis gravibus oneretur talium, qui a professione et rerum circumstantiis haec opera legere debeant, quin semper veniam petere possint; re vera lex Indicis his locis vix iam impletur a sacerdotibus aut laicis.

Libentissimo animo paratus sum christifideles monere, ut pro bono et felici eventu Concilii futuri instantissime orent.

Interim egomet precor, ut Deus omnipotens et misericors precibus B. Mariae Virginis omnes Eminentissimos et Excellentissimos Patres, sacerdotes, omnesque viros ecclesiasticos, qui Concilio praeparando operam dent, benedicat et luce Sua coelitus illustret.

Summa qua par est reverentia Eminentiae Tuae omnia fausta a Deo deprecans me profiteor

Eminentiae Tuae
addictissimum ac in caritate Christi coniunctum

✠ Ioannem von Rudloff
Episcopum tit. Busiritanum

28

Exc.mi P. D. IOANNIS B. NEUHÄUSLER

Episcopi tit. Calydoniensis, Auxiliaris Monacensis

Prot. N. 1 C/59-2312 2 decembris 1959

Eminentissime et Reverendissime in Christo Pater!

Primo grates Tibi agere quam maximas sincero corde mihi liceat pro beneficio ac liberalitate, qua mihi concessum est, ut deferam, quae et utilia et necessaria ducam ad salutem piae Matris Ecclesiae et animarum immortalium et quas consiliorum rationes desiderem a Concilio Oecumenico. En non minore pietate ac reverentia quam diligentia ac libertate, a Te animo confirmatus, audeo meas animadversiones, consilia, vota proponere.

Simul deprecor ab Eminentia Tua, ut benigne excuses, quod tam sero Tibi respondi. Varia officia muneris mei, praesertim magnus labor praeparandi proximi Congressus Eucharistici universalis, mihi non multum temporis reliquum fecerunt ad perficiendum hoc negotium aliis additum.

Res vero, quas rogo ac peto, digessi in quinque de singulis disciplinis libellos, qui, si opus sit, illico tradi possint singulis relatoribus, quos contingat.

Hi sunt libelli, qui adduntur:

De una sancta catholica;
De re dogmatica;
De re liturgica;
De re pastorali;
De iure canonico sive de codice repetitae praelectionis.

Et toto corde oro ac precor, ut Spiritus Sanctus lumine suae gratiae omnem laborem Concilii Oecumenici praeparandi pariter atque actiones ipsas exordiendas et exsequendas praeveniat, concomitetur, ad bonum eventum vertat.

Cum omni reverentia ac pietate
saluto
Eminentiae Tuae
sincere observatissimus

✠ IOANNES NEUHÄUSLER
Episcopus Aux. Monacensis

De una sancta catholica

Deus suo instictu per Ioannem Papam XXIII, futuro Concilio Oecumenico id permagnum mandavit, ut praeparet domum unius Patris, quae est sancta Ecclesia Catholica et Apostolica, ad reconciliationem et reditionem eorum christianorum, qui adhuc separati sunt ab una communione. Cui desiderio cum aliae tum hae disciplinae correctiones subsidio erunt, quibus satisfieri non minus etiam ipsius Ecclesiae Catholicae intererit. Haec desideria maxime necessaria habeo:

1. Ut functio sive provincia, quae convenit Ordini christiano laicorum in corpore Ecclesiae, pluris quam adhuc aestimetur.

2. Ut expresse fortiterque asseratur Ecclesiae non minus esse ministerium verbi divini quam sacramentorum.

3. Ut sacrae Liturgiae ritus ad expressiorem et vividiorem formam redigantur. In eo cultu divino latior usus sermonis populi concedatur. Hac ratione christianis et communitatibus ecclesiasticis Orientalibus et

Occidentalibus (Protestanticis) adhuc dissidentibus metus adimetur, ne sibi redeuntibus sermo Latinus in Liturgia per vim invitis imponatur.

4. Ut etiam Ius canonicum in simpliciorem et magis perspicuam formam redigatur et, quam maxime fieri possit, consuetudinibus Orientalium accommodetur.

5. Fortiter constanterque enitendum est, ut principatus disciplinae iuris circumscribatur terminis evangelii et gratiae. In doctrina de moribus praedicanda et in disciplina pastorali plurimum spatii dandum erit gratiae.

Et Orientalibus et Protestantibus in magno scandalo esse manifestum est, quod principatus tutelaque legum scriptarum nihil libero arbitrio conscientiaeque committat, cum rigor et iniquitas plurimarum legum e condicionibus et temporibus vetustis interpretanda sit.

6. Ut, quantum usque fieri possit cum salute communi, ea disciplina, quae « Centralismus » dicitur, derogetur, qua omnes res causaeque ad iudicium arbitriumque summae potestatis deferenda sint, et Solidarismus qui dicitur augeatur.

7. Ut in Curia Romana numerus officialium e finibus extra Italiam et Europam sitis oriundorum multiplicetur.

8. Ut munus functionis episcoporum a disciplina dogmatica et canonica pluris aestimetur.

9. Ut expresse illustretur, quantopere munera hierarchica sint verum ministerium in Ecclesia, quaeque necessario sequantur ex hac sententia contingentia consuetudinem vitae et disciplinam clericorum.

10. Ut repetatur consuetudo prisca eligendi diaconos e numero virorum unius uxoris.

11. Ut ministris sive pastoribus acatholicis ad Ecclesiam catholicam redituris aditus ad presbyteratum generatim permittatur.

12. Ut in convalidatione matrimoniorum mixtorum coram ministro acatholico initorum, quantum usque fieri possit, dispensatione ab iterando consensu coram ministro catholico concessa sanationem in radice adhiberi liceat.

Hanc conviventiam paci communitatibus et Christianis adhuc dissidentibus desiderandae eorumque exoptandae reconciliationi subsidio fore sperari potest.

De re dogmatica

1. Huius aetatis hominum animi symbolis et confessionibus, quibus expresse et vivide proponatur, quid fidei et veritatis christianae sit, efficacius ad assensum credendi impelli posse videntur quam condemnationibus quamvis multis et vehementibus.

2. In eo Tractatu, quo agetur de Ecclesia, praesertim exponatur, quae sit natura condicioque christifidelis laici in Ecclesia, quae iura et munera sint ei propria. In demonstrando, quae ratio intercedat Ordini laicorum cum clero, non minus strenue confirmari oportebit, quam arcta necessitudine quamque paribus finibus ambo Ordines ecclesiastici colligantur in Christo Iesu, quod est Caput Ecclesiae (cf. *Eph.* 4, 15), ad unam sanctorum communionem unumque corpus, quam qua distinctione inter se differant. Necnon contendendum erit Ecclesiam esse communionem et unum corpus, quod constet ex hierarchia et laicis, quae sit plebs Dei sancta.

3. Quae sit natura visque muneri episcopali propria, religiosissime definiatur. Ut id planius illustretur, enucleandum esse videtur, quam rationem et necessitudinem secum invicem habeant ecclesiae particulares et Ecclesia universalis.

Episcopus nempe, ut Episcopo Romano inferior et oboediens, ita est aliquo modo etiam proprii iuris ex institutione Christi. Fungendo munere pastorali in sua Dioecesi, in qua Christi et Ecclesiae universalis auctoritatem repraesentat praestatque fidem et mores animarum, quarum curam rationem redditurus in conspectu Altissimi gerit, est etiam particeps cum toto coetu coëpiscoporum, qui cum Summo Pontifice in communione esse perseverant, salva summa auctoritate eiusdem Episcopi Romani, regiminis pastoralis totius plebis Dei. Qua re nititur et sacrosanctae Ecclesiae unitas et singulorum Episcoporum religio officiumque pastorale, ut rationem habentes quarumvis condicionum gubernet plebem sibi commissam.

4. Ecclesia cum ea aetate, quae secuta est Concilium Tridentinum, se praesertim praestiterit dispensatricem sacramentorum Christi, posthac magis quam adhuc fungatur dispensatione verbi divini. Proinde a Patribus conscriptis in futuro Concilio illustrandum erit, quae sit natura illius verbi divini, quod praedicatur inter homines, quidque gratiae et salutis conditum insitumque sit in illius praedicatione. Non minus erit enucleari, quae nota sive character kerygmaticus, qui dicitur, sit insitus sacramentis Christi, cuiusque momenti sit fides vivida, ut sacramenta ad quam uberrimam singulis christifidelibus et communitati christianae efficaciam adducantur. Deinde asserendum erit, quam necessaria sit expressa et vivida praedicatio fidei in tanta varietate actionis christianae.

In hisce quaestionibus nemo alius praeclarior indagator et dux esse poterit quam divus Thomas, Doctor Angelicus. Qui id ipsum significare velle videtur, quod recentissimi temporis theologi nuncupare solent theologiam kerygmaticam, cum asserit in sua Summa Theologica sacra-

menta poni « in genere signi » (III 60, 1) vel esse « quaedam signa protestantia fidem qua iustificatur homo » (III 61, 4; cf. etiam 63, 4). Vel meminisse libeat illius loci praestantissimi, sed, ut videtur, inexhausti:

« Sacramentum proprie dicitur quod ordinatur ad significandam nostram sanctitificationem, in qua tria possunt considerari: videlicet ipsa causa sanctificationis nostrae, quae est passio Christi; et forma nostrae sanctificationis, quae consistit in gratia et virtutibus; et ultimus finis sanctificationis nostrae, qui est vita aeterna. Et haec omnia per sacramenta significantur. Unde sacramentum est et signum rememorativum eius quod praecessit, scilicet passionis Christi, et demonstrativum eius quod in nobis efficitur, per Christi passionem, scilicet gratiae et prognosticum, id est, praenuntiativum futurae gloriae » (III, 60, 3).

Nonne hisce locis praecipuis quasi solido fundamento erigi posse apparet theologiam Sacramentorum kerygmaticam, qua doctrina illustretur, quam expresse etiam per sacramentorum dispensationem, receptionem, celebrationem liturgicam vividam et praedicemus et confiteamur verbum Dei sive fidem salutis. Mortem Domini annuntiabimus, donec veniat (cf. *1 Cor.* 11, 26; cf. Secr. Dom. IX post Pent.).

Quae veritates sacrae theologiae et praedicationis fidei aptae esse videntur, quibus imprimis animi multorum christianorum adducantur vel saltem approximentur ad unitatem Ecclesiae, qui adhuc extra unum ovile legitimum versantes tamen sincero corde plenitudinem et integritatem traditae fidei desiderant. Neque enim silentio dissimilari debet multos coetus minores, sed vividos horum christianorum a nostra communione separatorum, immo etiam magnas communitates sive Ecclesias Protestanticas vel Evangelicas quae dicuntur id spectare, ut ritus catholicos, quos quondam reiecerunt, partim saltem restaurent, id quod demonstratur Tomo I. Agendae anno 1955 editae a « Regimine Evangelico-Lutheranarum Ecclesiarum Germaniae ».

Hac theologia kerygmatica praeterea remedium afferri posse defectui fidei et contemptui cultus divini vulgato et intra desideratamque restaurationem speramus. Proinde omnibus gradibus hierarchiae ecclesiasticae, quos contingit, id maxime cordi religionique gravissimae esto, ut motio Biblica quae dicitur adiuvetur et propagetur, ministerium verbi divini intra sacram Liturgiam exercendum ne parvipendatur, haecce ministratio verbi ut ita fiat, quantum peragi possit, ut ab auribus omnium christifidelium, cuiuscumque gentis et sermonis sunt, percipiatur.

5. Summum periculum religioni christianae imminet ab erroribus eorum, qui materialismum qui dicitur sive dialecticum sive similitudinem eiusdem erroris vel docent quasi philosophiam vel exercent in usu vitaque communi, cum haec doctrina impietatis plena reapse sit aversio ab-

soluta a Deo Creatore, rerum omnium principio et fine, et conversio ad res creatas. Patrum in futuro Concilio conscriptorum erit:

a) refellere et redarguere hanc erroneam doctrinam, non vero minus servitutem rerum technicarum humana natura indignam;

b) enucleare et asserere, quanta definitione res humanae sua iura et leges habeant, quanta comparatione progressus rerum technicarum bonus sit, quantum in modum christifideles laici suis muneribus saecularibus sive civilibus fungantur ut membra ecclesiae, quae curae et vigilantiae pastorali sint subdita, quanta ratione iidem sint liberi et suae tutelae, cum sint praediti libertate filiorum Dei, qualis sit ascesis sive devotio christifideli laico propria.

Minus praecipuum Patrum erit definire, quantum christifideles laici differant ab hierarchia, ut supra (n. 2) commemoravimus, quam asserere, quanta cum religione et tutela sui consulant muneribus suis civilibus. Profectus rerum technicarum continuus resque bene et utiliter inventae posthac etiam maioris momenti erunt ad mores vitaeque condiciones humanas. Unde apparet, quam necessaria sit motio vel actio christifidelium laicorum.

Christus Salvator generis humani sua Incarnatione, Resurrectione, Ascensione humanas res suo infinito subiecit imperio earumque Dominus ac Rex vere dicendus est.

Is Tractatus dogmaticus, quo agetur de Deo Creatore et de creatura, denuo expressiusque ad rationem Dei Creatoris, veri principii rerum creatarum, et Dei Incarnati, rerum humanarum finis ultimi sive eschatologici referendus et omni cogitatione perlustrandus erit.

6. Necesse quoque erit etiam Caput de theologia ipsa conficere. Cum subtilitate opus sit in essentiis conceptibusque more philosophorum definiendis et inde theologia quae dicitur essentialis deducenda, attamen id praecipue proprium esse debebit theologiae Catholicae, ut explanet, quomodo Deus per Iesum Christum tempore praestituto hominem factum et exaltatum ad dexteram Patris per omnium aetatum memoriam sua gubernatione activa fungatur (quae nunc theologia historiae sotereologicae nuncupari solet). Inde deducendum erit, quid muneris in quaque conditione rerum et temporum sive « en chairo » cuique christifideli implendum sit. His rebus respectis Incarnatio Domini nostri Iesu Christi magis quam adhuc norma et regula fiet theologiae vividae et Ecclesiae magis paratae respondere postulationibus et necessitatibus vitae, temporis apostolatus.

7. Praeterea hae quaestiones dogmaticae enucleandae erunt: num humanae naturae Iesu psychologica conscientia sui propria fuerit?

Quae sit Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi vis efficax ad salutem generis humani?

Quomodo singuli actus operis Redemptionis, quod Salvator in hac vita peregit, in sacramentorum dispensatione et in anno liturgico repraesententur?

Utrum sacrificii an coenae sive convivii forma praevaleat in SS. Eucharistiae Liturgia?

De re liturgica

I. Praesertim id enitatur, ut ritus liturgici ad quam maximam perspicuitatem formae redigantur.

Tunc formae quae videri possunt, non iam officient vel impedient, ne a fidelibus id intellegatur, quod significetur, sed erunt reapse signa rei sacrae, quam continent.

Cum sacramenta signa eius sint, quod continent, eorum naturae consentaneum est ea sacramenta tamquam signa ipsa quam optime intelligi posse. Similia dici possunt de aliis sacris caeremoniis, quae, nihil suae religionis deperdentes, quo erunt faciliores ad intellegendum, eo magis mentes fidelium commovebunt et tollent ad ea, quae sensibus percipi non possunt. Ex his rebus sequuntur, quae omnibus precibus appetimus:

1. In ea saltem Eucharistiae celebratione, quam parochus aliusve pastor peragit die Dominica vel festis cum grege sibi commisso, Missa catechumenorum, quae dicitur cum Orationibus et annuntiatione verbi divini ab ipsa celebratione mysterii sive eucharistiae ipsius clare distinguatur. Sacerdos celebrans missam similiter ac in Missa Pontificali sollemni et in Vesperis psalmo 42 recitato et Confessione cum ministris facta ad sedilia accedat, ubi Orationes dicat et Hymnum Angelicum et Symbolum intonet, si opus est. Ex ambone vero vel e cancellis legat (si lector desit) Epistolam, deinde (deficiente diacono) annuntiet Evangelium. Ne prius quam ad oblationem accedat ad mensam altaris.

Haec distinctio maxime perspicua inter duas partes missae facienda christifidelibus, qui assistunt, intellectum actionum faciliorem reddet.

2. Si sacerdos populum salutaverit et ad orandum invitaverit, ante Offertorium secundum morem priscum preces vel litanias interponi liceat. Earum precum concipiendarum libertas quaedam salva auctoritate Ordinariorum concedatur.

Hoc modo prisca oratione fidelium restaurata christifideles adduci poterunt ut magna vota ecclesiae, Summi Pontificis nempe, Episcoporum aliorumve pastorum vel aerumnas fratrum et sororum, qui ob fidem persecutiones patiuntur, mente complectantur suamque causam orando

faciant, cum vicissim suas sollicitudines in orationem communem sacramque eucharistiam suscipi intellegant, qua re multi comprehendant, quanti momenti sit « unanimis oratio ecclesiae » (cf. *A.A.S.* 12, 5).

3. In fine Canonis verba « Per ipsum » et cetera clara voce dici, in missa vero cantata cani oportebit, ita ut verba « per omnia saecula saeculorum. — Amen » continuo addantur, cum genuflexus post Responsionem « Amen » fiat. Hoc modo verba « Per ipsum » et cetera distincte Canonem concludent finisque « Anaphorae » non minus elucebit atque eminebit quam Praefatio cum suis Responsionibus in exordio. Parva mora ante exordium Orationis Dominicae facienda facilius initium novae partis Missae significabitur.

4. Dimissione verbis « Ite missa est » vel « Benedicamus Domino » vel « Requiescant in pace » facta (et benedictione data) sacra Eucharistiae Liturgia finiatur, ut in Ordine Hebdomadae sanctae iam institutum est. Ultimum Evangelium abrogetur, cum non ante annum 1256 in Missale Ordinis Praedicatorum receptum sit, anno 1595 nondum in communem usum venerit, in ritu vero Ordinis Carthusianensis adhuc usque desit.

5. Ad perspicuitatem formae id quoque pertinet, ne sacerdos celebrans iterare cogatur ea verba, quae ministri (sive lector sive subdiaconus sive diaconus) pronuntiant aut chorus vel schola cantant, sed eas partes audiat, ut iam praecipitur in Ordine Hebdomadae sanctae ad lectiones Vigiliarum Paschalium.

Cum sacerdos cum populo Vesperas vel Completorium sermone patrio celebrat aut diebus Rogationum Litanias omnium Sanctorum recitat, amplius ne obligetur, ut has orationes latine iteret! Ne bis in idem!

6. Ut etiam in desideriis ad Ius canonicum pertinentibus proposuimus, optandum est, ut praecepto can. 803 abrogato etiam in ritu Latino sacerdotibus facultas concelebrandi detur. Hac potestate data deficiente copia ministrorum altariumve cum in monasteriis domibusque religiosis vel piis, tum in ecclesiis frequentissime celebratis vel in Congressibus ecclesiasticis sacra Eucharistia persaepe dignius celebrari poterit, canonici et monachi externis operibus occupati minus aggravabuntur obligatione, ut missae conventuali intersint, populo christiano assistentia maxime activa cleri in missarum sollemnibus optimo exemplo et incitationi erit, cum quisque Ordo christianus, et sacerdotes et laici, partes sibi a Christo Summo sacerdote attributas agant.

7. Ritus exiles vel sensu profundiore carentes, velut lavatio manuum inter Missam facienda, aboleantur.

8. Ritus Dedicationis ecclesiae ita in breviorem formam redigatur, ut populus eum facilius intellegat neve longitudine caeremoniarum fatigetur, imprimis ne amplius bis aut aquae benedictio aut unctiones eodem oleo catechumenorum quinque crucium altaris fiant aut Litaniae omnium Sanctorum aut Praefatio canantur.

9. Cum formae nonnullarum orationum et signorum ex ea opinione depromptae sint, qua veteres speciem mundi sibi finxerunt, aequum est desiderare, ut huiusmodi textus vel signa mutentur, velut Offertorium ex Missa de Requiem et quidam textus exorcismorum baptismalium.

II. Altera Pars desideriorum ad rem liturgicam pertinentium ad id spectat, ut sacra verba a populo intelligi possint.

1. Rogamus ac oramus, ut usus sermonis populi in sacra Liturgia usque ad eum modum saltem adhiberi liceat, quo in praesentia secundum Episciporum Ordinariorum iudicium effici possit, ut sacrae Liturgiae plena missionaria vis et character cultus publici vere a populi christiani communione celebrandi reddatur. Ut id efficiatur, necesse est concedi, ut sermo populi in iis textibus adhibeatur, quos populus ipse dicat aut cantet. Eodem populi sermonis usu etiam magis opus est in annuntiatione Scripturae Sacrae, et Epistulae et Evangelii.

Cum ab Ecclesia et desideretur et praecipiatur, ut inter Missas locus sit distributioni Communionis, liceat sacerdoti cum populo formulam « Domine non sum dignus » sermone populi recitare.

In Canone a sacerdote celebrante dicendo, id est post « Sanctus » usque « Per ipsum » in utendo sermone Latino nihil immutetur.

Usus ergo sermonis populi nequaquam exclusive adhibendus erit. Hic usus accedat supplendo ad Latinam formam textuum inducetque populum in intellectum horum textuum. Sermo Latinus conservabit usum linguae populi, ne quotidiana vilescant.

2. Enixe precamur, ut Ordo pericoparum sive textuum e Sacra Scriptura in Missa annuntiandorum amplificetur.

Imprimis Pericopae ex Epistulis Sancti Pauli Apostoli diebus Dominicis pronuntiandae populo vere difficiles sunt intellectu et interpretatu. Ordo pericoparum triennio repetendarum in Missali sive Lectionario peculiari edi expediet, ut divitiae veritatis in Sacra Scriptura revelatae magis quam adhuc populo suppeditent.

Forsitan bonitas orationis sacrae sive artis homileticae hoc delectu textuum multum adiuvari possit.

3. Quod ad Missale ad definitivam formam repetendum attinet, propter curam animarum permagni interest quam plurimos sensum tex-

tuum sive orationum sive cantuum facile in ipso auditu intellegere posse.

En haec vota proponentes enixe deprecamur, ut vota et perpendantur et compleantur ea mente, qua:

a) Pius Papa XII in Motu proprio 30 novembris 1953 (de vestitu Cardinalium) emisso orsus est: « Valde solliciti ob peculiares nostrorum temporum condiciones »;

b) Exc. D. I. B. Montini, tum « Pro-Segretario di Stato », die 30 iunii 1953 nomine Pii Papae XII, ad Rev.mum D. D. Carolum Rossi, Episcopum Bugellensem (Biella) scripsit: « Nulla infatti è così urgente in questa ora, tanto grave e pur ricca di speranze come richiamare il popolo di Dio, la grande famiglia di Gesù Christo al sostanzioso nutrimento della pietà liturgica, riscaldata dal soffio dello Spirito Santo, che è l'anima della Chiesa e di ciascuno dei suoi figli ». Haec vero restauratio pietatis liturgicae ad curam animarum maxime necessaria praestari non poterit nisi correctione disciplinae liturgicae antea facta;

c) Pius Papa XII ordinem Liturgicum Hebdomadae Sanctae restauravit. Decretum Generale, quo Liturgicus Hebdomadae Sanctae Ordo instauratur (die 16 nov. 1956 emissum) dicit de diversis simul mutationibus factis, « profecto non sine detrimento liturgici sensus ... Solemnis praesertim paschalis vigiliae liturgia, a propria nocturna sede avulsa, nativam perspicuitatem ac verborum et symbolorum sensum amisit ... Communis reapse et quasi universalis experientia docet, solemnes gravesque has sacri tridui liturgicas actiones a clericis peragi solere, ecclesiarum aulis quasi desertis. *Quod sane valde est dolendum.* Etenim sacrosanctae hebdomadae liturgici ritus, non solum singulari dignitate, sed et peculiari sacramentali vi et efficacia pollent ad christianam vitam alendam, nec aequam obtinere possunt compensationem per pia illa devotionum exercitia, quae extraliturgica appellari solent, quaeque sacro triduo horis postmeridianis absolvuntur ».

Sacrae liturgiae forma simplicior et facilior intellectu etiam hisce de causis requiri videtur:

a) Sacra liturgia, ut est cultus adorationis et conciliatrix gratiae, ita est ministerium sive annuntiatio verbi Dei, cui opus est intellectu christifidelium;

b) Christifidelibus laicis, cum nunc magis quam prioribus temporibus in suam tutelam venerint, aequum esse videtur id potestatis dari, ut suas partes in sacra Liturgia agant.

Neque iam consentaneum, praeterea etiam iactura temporis nimis

prolongans actiones liturgicas et aggravans sacerdotem celebrantem esse videtur ab eo postulare, ut ipse secum latine vel antea vel simul legat, quod a laicis pronuntiatur vel a populo cantatur sive recitatur (e. gr. Hymnus Angelicus, Symbolum etc.);

c) Christifideles in diaspora viventes actuose participando cultui liturgico vitam interiorem et quasi familiarem inveniant oportet;

d) Maiore perspicuitate cultus liturgici et usu sermonis patrii reconciliatio christianorum adhuc dissidentium valde exoptanda levabitur;

e) Cultus liturgicus, qui ut intellegi possit, longiore interpretatione indiget, et in patria et foris fidem fovendam vel propagandam magis impediet quam levabit;

f) In iis terris, quae a communistica tyrannide occupatae sunt, cultus liturgicus praecipue receptor et conciliator religionis et fidei factus est;

g) Aequales longe lateque arte radiophonica, televisifica, cinematographica maximae perspicuitati assueti firmissimis pulsibus externis cotidie afficiuntur. Quibus si cultus liturgicus adeo intellegentia sensuque suo disiunctus et abalienatus videtur, ut aegerrime sensum actionum liturgicarum comprehendere possint, Ecclesia ipsa hoc aevo, quo fidei christianae omnibus ex partibus summum periculum imminet, facultate adulescentes et adultos expresse imbuendi mysteriis Christi se privabit;

h) Unitas Ecclesiae magis eadem fide et gubernatione, iisdem sacramentis nititur quam obscuris signis et verbis, quae comprehensioni Evangelii impedimento esse videntur.

De re pastorali

1. Redarguenda est opinio eorum, qui censent christifideli sufficere, ut suae ipse saluti aeternae consulat, et expresse affirmandum est unumquemque christifidelium ad generalem, si condicio necessitasque postulet, etiam ad specialem apostolatum obligari.

Hoc sequitur ex doctrina, quam tenet Ecclesia de Corpore Christi mystico, et ex eis periculis, quae imminent Ecclesiae a potestatibus quae dicuntur collectivae.

2. Ea quoque haeresis liberalismi qui dicitur, quae tenet religionem omnino rem esse privatam vel individuae animae, digna est, quae denuo refellatur.

Christus exaltatus ad dexteram Patris Dominus factus est cum universitatis mundi, tum rerum publicarum humanarum.

3. Curam animarum a sacerdotibus communi concordique inter se cumque laicis activis conciliatione exercendam esse enixe commendetur. Cura enim pastorali non modo singuli tuendi sunt, verum etiam oportet respici, quibus quisque condicionibus vitae domi forisque fruatur, praesertim quibus condicionibus externis plerique hodie obsequentissimi sint. Quae res postulat ab Episcopis, qui secundum can. 334 § 1 « ordinarii et immediati pastores in dioecesibus sibi commissis » sunt, ut in consiliis pastoralibus capiendis, e. gr. in missionibus instituendis, sociologia et strategia pastorali usi, cum subsidio suorum sacerdotum et laicorum activorum magna spatia sive regiones intueantur.

Cf. verba Pii Papae XII, die 30 martii 1956 emissa.

4. In funeribus exsequendis omnes dignitatis sive taxarum gradus tollendi sunt.

5. Character apostolicus sive missionarius Ecclesiae promovendus et theologia apostolatus solidis argumentis firmanda est, unde appareat, quatenus hominibus necesse sit per conciliationem Ecclesiae ad salutem pervenire, quatenus Ecclesiae Apostolicae facultas detur expediendae salutis universorum, quid boni verique in religionibus non christianis inveniri et inde recipi possit, quem ad modum forma apostolatus sive rituum accomodanda sit ad cultum humanum civilemque eorum populorum extra Europam sitorum, quibus Evangelium praedicatur.

Acatholici et infideles, ut sunt hae condiciones vitae, praesertim in diaspora sive in terris mixtae religionis confessionisque, non tam fugitivi universalis ordinis christiani et integritatis fidei habendi sunt, quam perpendi debet, quibus condicionibus externis vel etiam quanta cum culpa ministrorum Ecclesiae in errores inciderint. Proinde magna cum discretione prudentiae et caritatis utendum est norma can. 1350 § 1.

6. Quod attinet ad eas artes, quibus opinio multitudinis praecipue conciliatur — dico publicationes typis excriptas, artem cinematographicam, radiophonicam, televisificam — et ad usum vacationis sive recreationis, christifideles instituantur, ut religioni sibi sit et abusum vitare et usum rectum ac moderatum capessere. Episcopis et Actioni Catholicae mandetur, ut instituantur, qui periti fiant harum artium exercendarum rite iudicandarum.

Haec provincia cum attribuat participationem magisterii Christi, maximi momenti est, ut animi multitudinis spiritu Christiano imbuantur. Ecclesia ut approbat vacationem auctam, ita reprobat vitam dissolutam atque intemperantiam libidinum et profanationem diei Dominicae et dierum festorum ecclesiasticorum.

7. Desideramus a Concilio caput, quo tractetur de excitanda et fovenda indole eorum, qui ad sacerdotium vel ad statum religiosum vo-

cati esse videntur, et ut normae edantur de transferendis sacerdotibus e regionibus frequentiorum vocationum in fines vacuos.

I. Deliberandum erit, num praesens studiorum ratio sufficiat ad ea implenda, quae tempus postulat.

Accurate distingui debebit inter rationem eorum studiorum, quibus operam dent, qui destinentur ad ipsa officia pastoralia, et in quae incumbant, qui capessituri sint gradus academicos. Neque tamen admittendum est, ut studium disciplinarum sacrae theologiae ad nihil aliud referatur nisi ad subeunda pericula sive ad exilis utilitatis curam, ne in harum disciplinarum occupatione vera cultura animi universas facultates futuri sacerdotis complectens neglegatur:

a) Imprimis respiciendum erit, quibus temporis rerumque condicionibus studiosi sive alumni theologici fruantur. Ab hac parte ea permutatione ingeniorum, quae cognosci potest, efficietur, ut etiam ratio studiorum permutari debeat; ab illa parte magis quam adhuc temptari debet, ut magnum discrimen, quod esse apparet inter philosophiam scholasticam et modernam, aliquo modo tollatur. In summa enitendum erit, ut sacra theologia intrinsecus vividior fiat. Ut id contingamus, haec praecipue subsidio esse possunt;

b) Diversae disciplinae arctius conectendae sunt, praesertim theologia dogmatica, moralis, exegeseos;

c) Item copia rerum ediscendarum diminuenda erit, quae abundantia obstat, quominus studiosi veram culturam animi, quam supra commemoravimus, contingant.

II. Opus erit rationem studiorum arctius cum postulationibus vitae conecti.

Evitandum est, ne aut diversae disciplinae theologicae a se invicem seiungantur aut eruditio alumnorum a variis vitae rationibus discrepet:

a) Magisterium disciplinarum practicarum committatur viris pariter gnaris profundae theologiae ac peritis usus rerum pastoralium, qui, non devergentes in superflua et inutilia, doceant alumnos scientias vere necessarias sociologiae, paedagogiae, psychologiae etc.;

b) Theologia cum nequaquam carere debeat spiritu pietatis, tamen necesse est disciplinam asceticam veram esse theologiam cum ceteris disciplinis theologicis quam arctissime connexam;

c) Alumnis ut discant studia sua ad usum vitae conferre, ut multis locis iam institutum est, varia genera exercitationum practicarum praecipiantur. Cursus anni pastoralis religiosis iam praescriptus extendatur oportebit etiam ad clerum saecularem. Etiam sacerdotes curati certis temporibus vocentur ad cursus repetitionis. Ut clerici modo suae

conditioni convenienti cultus humani civilisque partem capiant, optari debet.

III. Et candidati sacerdotium appetentes et sacerdotes ut studeant cultui vitae modestae ac apostolicae paupertatis, enixe commendetur, quae forma vitae, ne labatur in exilem agitandi trepidationem, ex ascesi, meditatione, studio theologico repetat robur.

Spiritus apostolatus praeponi necesse est officio. Paupertate evangelica sacerdos profiteri debebit ministros Ecclesiae differre a classibus privilegiatis sive capitalisticis et semetipsum recusare incrementum absolutum cultus delicatioris:

a) Admoneatur munus sacerdotis esse verum ministerium, cui conveniat « magis prodesse quam praeesse »;

Auctoritatis opinionem clerus hisce temporibus immitandis formis dominationis saecularis non iam consequetur. De munere pastorali, quod sit spirituale, non saeculare cf. quae Exc. I. B. Montini nomine Pii Papae XII, die 18 iulii 1953 pronuntiaverit;

b) Multi sacerdotes ritus Latini desiderant, ut obligatio recitandi horas canonicas similiter definiatur atque in Ecclesia Orientali, ubi non pensum quotidianum sub onere peccati mortalis obligans praecipitur, sed commendatur tantum, ut spatium unius horae obiter computandae officio divino celebrando impendatur. Ut clerici Occidentales talem disciplinam liberaliorem recte intellegant et abusus inusitatae libertatis, quam maxime possit, evitetur, opus erit praecepta ad tempus peculiaria proponi.

Quoque modo nonnullas lectiones e Scriptura Sacra et ex Patribus depromptas cum aliis permutari oportebit. Lectiones de vita Sanctorum nocturnae ad historiae fidem et ad maiorem brevitatem redigantur.

Binae festivitates eiusdem Sancti, veluti Sancti Michaëlis Archangeli, S. Ioannis Baptistae, in unam componantur.

Haud scio an numerus dierum festorum minuendus sit. Loco eorum vetustatis Sanctorum, quorum vita certa historiae fide caret, festivitates recentiorum Sanctorum ponantur, praesertim quorum vita christifidelibus huius aetatis magis exemplo esse possit.

8. *De matrimonio et familia.*

Quod attinet ad familiarum conubiorumque disciplinam pastoralem, devotionem, doctrinam moralem, a Concilio praecepta dogmatica, pastoralia, ascetica, canonica exspectari debent.

Sacramento matrimonii, cuius in dispensatione et receptione sponsus et sponsa sibi invicem instrumento gratiae divinae fiunt, conubium

et familiae unitas sive communio redditur, quae etiam a cura pastorali respiciatur. In familia princeps campus apostolatus laicorum situs est.

a) Familiae omnia munera reddenda sunt, quae e ratione subsidiaritatis quae dicitur ipsa complere potest. Praecipuum ius parentum est, quod ipsi liberos suo tempore ad primam communionem Eucharisticam praeparare et adducere possunt;

b) Cum rerum permutatio facta sit a nuptiis more patriarcharum sive sub auctoritate patria conciliatis, quibus in conciliandis plurimi pensi habebatur prosapiae commodis ad conubia, quibus nulla auctoritas liberrimae optioni sponsorum modum ponit, a vi genitali quodam naturali sensu utenda ad rationem et conscientiam prolis procreandae habendam, haec vicissitudo ita ab Ecclesia comprobetur, ut pericula et scandala efficaciter defendantur. Fide christiana indagatrice et magistra auctoritas parentium christifidelium et dignitas humana personarum casti conubii et familiae christianae ligamine coadunatorum incremento et progressu societatis christianae ad perfectiorem statum adduci posse videntur;

c) Expresse doceri debebit matrimonii mysterium magnum scilicet « in Christo et in Ecclesia » (cf. *Eph.* 5, 32) pure sancteque comprehendi non posse, nisi etiam mysterium virginitatis Dei sacrae permagni perpensum et praedicatione propagatum sit;

d) Praecepta dentur de sponsis ad futurum matrimonium aliqua forma catechumenatus (sive seminario qui dicitur sive exercitiis spiritualibus sive doctrina parochiali) instituendis;

e) Patres conscripti rationem habentes difficultatibus et sollicitudinibus multorum virorum et uxorum, qui insufficientia sustentandae prolis vel praesertim habitationis laborant, et opinioni eorum, qui dicunt toti orbi terrarum imminere nimis magnam frequentiam hominum, cum expresse reprobent abusum matrimonii et omnem prohibitionem prolis legi naturali et praeceptis divinis adversam, tamen ostendere debebunt, quanta cura et prudentia boni pastoris adhibenda sit coniugibus quantumque opus solvendarum difficultatum sociologicarum toti corpori societatis humanae eiusque ordinibus propositum sit.

Mater illegitimae prolis, cum, quae hae res condicionesque vitae sint, in gestanda, parienda, educanda prole permagnam virtutem praestare debeat, neve ipsa neve per progeniem quicquam detrimentum aut iuris aut honoris ecclesiastici capiat.

De iure ecclesiastico
sive de Codice repetitae praelectionis

1. Exoptandum est, ut singuli iuris termini gravioris momenti redigantur ad strictiorem et arctiorem usum quam qui invenitur in Codice Iuris Canonici, ubi, exempli gratia, verba « matrimonium legitimum » et « publicum » promiscuo sensu adhibentur.

2. In repetendum Codicem recipiantur omnes leges, quae adhuc vigent. Maiore claritate et perspicuitate rerum affectanda leges ad maiorem efficaciam adduci posse videntur.

3. Omnes leges, quae in usu vitaque communi idcirco clero curam animarum gerenti curiisque dioecesanis inutili oneri sunt, quod ab eis etiam sine aliqua causa gravioris momenti dispensari solet, redigantur in formam merae admonitionis sive consilii. Quod ad huiusmodi casus attinet, ea non ad superiores potestates deferenda esse oportebit, quae sive a Confessario sive a Parocho sive ab Ordinario loci melius provideri possunt;

4. Ratio stabilis firmaque haec esto, ut potestas Ordinariorum loci vi legis augeatur maiorque pars Facultatum quinquennalium quae dicuntur potestati Ordinariae Episcoporum Ordinariorum lege adscribatur. Qua re auctoritas conscientiaque inferiorum potestatum confirmabitur, id quod convenit et naturae muneris episcopalis et ei doctrinae, quae propagatur ab Ecclesia de societatibus humanis temperandis et moderandis deque ratione ac regula subsidiaritatis quae dicitur.

5. Quod attinet ad officia ecclesiastica, necesse erit recedere ab ea consuetudine opinioneque tradita, qua constare videtur praecipuis officiis ecclesiasticis annexa esse beneficia.

In diem enim paroeciae constituuntur, quarum parochi obtinent merum officium, cum beneficium desit. Quae officia, cum non more beneficiorum irrevocabilia sint, conferri subtrahique possunt ad Ordinarii loci beneplacitum.

6. Quod ad beneficia attinet, lege definiri oportebit, id, quod in Germania quidem iam iuris est, sed iterum atque iterum impugnatur, neminem beneficiarium sibi vindicare posse illos reditus ex beneficio factos, qui excedunt summam pretii singulis officiis ab Ordinario loci definitam.

7. Quod spectat ad sacras Missiones, Canones *C.I.C.* conformandi et adaptandi sunt ad normas a Sacra Congregatione de Propaganda Fide datas. Etiam Facultates adhuc decennales Vicariorum et Praefectorum Apostolicorum in Codice repetitae praelectionis definiantur ordinariae.

8. Ius iurandum contra modernistas adhuc praeceptum abrogetur.

9. Quod attinet ad Partem *C.I.C.* De Religiosis agentem addi expediet Codici repetendo Caput, quo dirigatur Religiosorum apostolatus curaque animarum exterior ad concordem arctioremque cum Episcopis Ordinariis cooperationem.

Religiones laicales Iuris Pontificii in administratione bonorum temporalium rationeque de eorum statu reddenda arctius subdantur curae et vigilantiae Ordinariorum loci.

Abrogetur praeceptum, non vero consilium, quo religiosi, praesertim religiosae impelluntur ad Confessionem sacramentalem singulis hebdomadis faciendam.

10. Normae quae pertinent ad parochos vicariosve religiosos et ad paroecias religiosis concreditas, in unum conspectum componantur. Imprimis accuratius definiatur a lege, quae ab Episcopis Ordinariis et exigi et concedi debeant, si paroecia religiosis quibusdam simpliciter committatur, non vero incorporetur.

11. Ius sepeliendi magna ex parte id respicit, cuius sint taxae, si quis christifidelis extra paroeciam moritur funeraque eius peraguntur extra ecclesiam paroecialem.

Normae definiantur de sepultura christifidelium perpaucae, sed summae perspicuitatis, non respicientes taxas.

Canones quoque qui sunt in *C.I.C.* de sepultura ecclesiastica neganda repetantur idque imprimis contendatur, ut revisae normae constanter peragantur.

12. Praeter ea, quae definiuntur in cann. 682 et 683 *C.I.C.*, nihil agitur de ipsis laicis. Illum defectum sublevandum esse apparet.

Supplendae esse videntur hae normae:

De iure et officio, quod est laicis ad participationem sacrae liturgiae activam, de apostolatu omnes christifideles obligante.

De munere quod pertinet ad omnes christifideles circa profana apostolico.

De apostolatu confoederationum mere laicarum, quarum ab apostolatu distinguatur Actio Catholica quae dicitur propriore sensu, quae est cooperatio laicorum cum apostolatu hierarchico quaeque constat e. gr. in collegiis parochialibus dioecesanisve.

De laicorum munere adiuvandi consilio Hierarchiam (etiam in Conciliis), praesertim in omnibus quaestionibus, quae pertinent ad usum vitamque communem, quibusque quaestionibus prospiciendum est rationi inclinationique huius saeculi.

De iure et officiis parentium.

De apostolatu in familiis et per familias exercendo.

De potestate benedicendi etiam laicis propria etc.

De fidelium associationibus videtur in *C.I.C.* effusius quam par est agi. Sufficiat diversa genera associationum breviter commemorare; cetera Constitutionibus specialibus committantur.

13. Ea quoque pars *C. I.C.* quae inscribitur « De poenis » ad formam magis perspicuam adducatur et repetatur oportet.

Imprimis poenarum latae sententiae numerus valde minuatur.

Causae poenarum dilucidius definiendae erunt. Velut quaeri potest, qua censura notetur eius apostatae delictum, qui societate ecclesiae solummodo cedit, ne tributa ecclesiastica solvere cogatur.

Accuratius aestimandum erit, cuius gravitatis sit aliquod delictum commissum.

Neque omnimodo aequum esse videtur eos, qui delictum committant contra bona iurave Ecclesiae Romanae graviori (h. e. difficilius absolvendae) censurae subiacere quam illos, qui procurant abortum (cann. 2345, 2350), violatorem clausurae papalis eadem censura notari quam sacerdotem matrimonium contrahere peraesumentem (cann. 2342, 2388).

Haecce lex regulaque ferenda erit perpaucas latae sententiae censuras constituendas esse illis graviter commissis, quae neque christifidelis laicus patrare potest nisi mente male sibi conscia: dico apostasiam, sacrilegium, procurationem abortus, homicidium, gravem vulnerationem corporis. Clericis et religiosis complures huiusmodi censuras simul adhiberi posse apparet, quippe qui satis instituti sint in regulis canonicis.

Haud scio an illi propriis censuris poenisque afficiendi sint, qui calumniando maligneque denuntiando apud Sedem Apostolicam illius auctoritati et paci concordiaeque christianae magnum damnum inferunt.

14. Legislatio et vigilantia librorum aliorum praeli opusculorum iudicandorum, commendandorum vetandorumque ut adaptetur viae rationique ab Ecclesia praescriptae huicque aetati congruae, qua methodo utuntur officia respectionis atque consultationis rei cinematographicae, radiophonicae, televisificae curam gerentia, committendum est.

Ius permittendi usum librorum prohibitorum deferatur ad auctoritatem Ordinariorum.

15. Etiam Ius liturgicum clarius, non interrupte instituatur. Episcopis Ordinariis eorumque singulis collegiis conferentiisve singularum regionum plus iuris moderandi concedatur.

16. Sacerdotibus ritus Latini fas esto celebrare sacram eucharistiam super antimensiis quae dicuntur.

Ceterum quaerendum est, nonne leges quae pertinent ad Altare, Cultum SS. Eucharistiae et cetera melius conferantur in Codice Iuris Liturgici creando.

17. Praecepto can. 803 *C.I.C.* abolito etiam sacerdotibus ritus Latini

fas esto concelebrando sacram Eucharistiam peragere. Imprimis capitulis cathedralibus aliove clero cum Episcopo Missarum sollemnia concelebrante, familiisque monasticis et capitulis ut officium divinum, ita Sacram Eucharistiam in vera communione celebrantibus, imprimis clero in Congressibus conventibusve frequenter congregatis non solum sacra Eucharistica Liturgia persaepe dignius peragi poterit, verum etiam talia Eucharistiae sollemnia a presbyterio cum populo Dei celebrata esse videbuntur « verum signum unionis » et « vinculum pacis » secundum illud Augustini vel secundum illud Paulinum: « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus » (*1 Cor.,* 10, 17).

Haud scio an tali concelebratione expressius fortiusque mors Domini annuntiari possit.

18. Liceat exoptari, ut omnis Christifidelis inter praecipua saltem sollemnia, veluti in celebratione sollemni primae communionis, in professione perpetua votorum religiosorum emittenda, in Missa pro sponso et sponsa communicare possit sub utraque specie.

Forsitan hac ratione facilius pervinci possit, ut pueri puellaeque ad sacram communionem secundum normas a S. Pio Papa X, emissas maturius adducantur, si postea tempore convenienti peragatur talis sollemnis celebratio communionis puerorum.

19. Quod attinet ad ieiunium eucharisticum amplioribus allevamentis opus est hac ratione, ut omnes christiani ferventioris pietatis eucharisticae sine detrimento bonae valetudinis saepius, immo cotidie accedere possint ad coenam Dominicam. Praesertim hi, qui alicuius officii operisque munere funguntur vel qui scholam frequentant, etiam regulis temperatis, quae adhuc vigent, arcentur a frequentatione sacrae communionis.

20. Etiam in conferenda ad confessiones audiendas iurisdictione huius aetatis ratio curae animarum gerendae et commeatus commerciique inter regiones terrasque frequentia novas amplioresque regulas postulare videntur. Haec norma esto: cui sacerdoti Ordinarius loci domicilii hanc iurisdictionem contulit, is utatur ea ubique terrarum eadem circumscriptione eodemque tempore atque a suo Ordinario loci accepit.

Cui vero adimitur iurisdictio fori sacramentalis, ei ab ipso iure detrahatur oportet ubique terrarum.

Qui sacerdos iure utitur audiendi confessiones mulierem, ei etiam liceat audire confessiones religiosarum; et si opus est, vice Confessarii ordinarii extraordinariive fungi sive audiendo confessionem singularum religiosarum sive totius Conventus.

21. Omnibus sacerdotibus haec potestas conferatur (quibus adhuc perpauci vi specialis privilegii sodalitatisque utuntur), ut unico signo

sanctae Crucis rebus ad devotionem pertinentibus crebro usitatis, e. gr. rosariis, benedictionem et Apostolicas Indulgentias impertiant.

22. Deliberandum erit, num sufficiat ita solummodo discerni Plenares atque Partiales Indulgentias, ut in publicandis Orationibus piisve operibus Indulgentia partiali exornatis posthac non iam indicetur numerus dierum sive temporum indulgentiarum, quippe qua indicatione in errorem adducantur non modo acatholici, verum etiam catholici.

23. *De matrimonio et familia.*

a) Leges quae adhuc vigent de Matrimoniis mixtis, quae erant iusta et aequa, dum ponebantur terrae regionesque mere catholicae, adaptari necesse erit condicionibus huius vitae christifidelium catholicorum in diaspora viventium earumque terrarum, ubi solum maior minorve pars incolarum adhaeret Confessioni Catholicae Romanae. Licet matrimonium mixtum ut adhuc, ita etiam in futurum iudicetur magnum periculum perversionis; tamen puto christifideli catholicae parti etiam dari potestatem apostolatus gerendi (cf. *1 Cor.,* 7, 8-16). Itaque Christifideli catholico cum acatholico christiano matrimonium ineunti nequaquam omnino Missa pro sponso et sponsa cum sollemni benedictione Nuptiarum denegetur. Non solum matrimoniis mixtis abdicendis, verum etiam sponsis catholicis talia conubia ineuntibus reprehendendis id magna ex parte in Germania effectum est, ut tertia parte plus conubiorum mixtae Confessionis coram ministro protestantico inita sint quam in facie Ecclesiae Catholicae.

b) Permulta matrimonia mixta coram ministro acatholico inita convalidari poterunt, si id facultatis datum erit, ut sanatio in radice amplius minoribusque cum difficultatibus adhibeatur.

c) Disparitatis Impedimentum dirimito, ut ante annum 1918, matrimonia quae ineuntur cum personis non baptizatis non modo a personis in Ecclesia Catholica baptizatis, sed etiam extra eam.

Abrogetur Impedimentum Criminis, de quo agitur in can. 1075 n. 1; item abrogentur impedimenta publicae honestatis et spiritualis ac legalis cognationis, de quibus agitur in cann. 1059, 1078, 1079, 1080.

Non tantum in casibus, de quibus agitur in can. 1083, matrimonium invalidum esto, sed etiam in aliquibus aliis casibus gravissimi momenti accuratissime definiendis, velut femina celat sponsum operationem chirurgicam, qua sterilis facta est.

Sicut in Iure Canonico Ecclesiae Orientalis, abolito can. 1092 n. 3 et 4, interdicatur ne matrimonium conditione apposita ineatur.

✠ IOANNES NEUHÄUSLER
Episcopus Aux. Monacensis

29

Exc.mi P. D. IOANNIS LENHARDT

Episcopi tit. Carystensis, Auxiliaris Bambergensis

Bamberg, Domplatz 4, 10 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Per litteras Eminentiae Vestrae de die 18 iunii 1959 (Prot. Num. I C/59-2386) invitatus sum, ut Pontificiae Commissioni Antipraeparatoriae pro Concilio Oecumenico consilia et vota communicarem, quae in futuro Concilio tractari poterunt. Quamquam vota mea, praesertim circa materiam Iuris Canonici, in votis Excellentissimi et Reverentissimi Archiepiscopi Bambergensis Iosephi Schneider, qui consilio meo in conficiendis votis suis usus est, iam continentur, honorem mihi duco huic Pontificiae Commissioni in adiecto ulterius nonnullas animadversiones ex Iure Canonico desumptas proponere.

Sacram Purpuram deosculans omni qua par est reverentia

✠ Ioannes Lenhardt
Episcopus tit. Carystensis

Vota

1. Optandum est, ut terminologia *C.I.C.* omnibus in locis una eademque sit e. gr. in iure matrimoniali « licentia assistendi », quae vox in can. 1095 § 2 et in can. 1096 aliter sonat ac in can. 1097 (vide Klaus Mörsdorf, Die Rechtssprache des *C.I.C.,* München).

2. Optandum est, ut paucae normae *C.I.C.,* quae « ius interrituale » spectant, augeantur et quaedam canones Codicis Iuris Orientalis in Codicem Iur. Can. adserantur praesertim ex iure matrimoniali desumptae. Nam permulti profugi cuiusvis ritus orientalis in regiones occidentales venerunt et inter se matrimonium inire cupiunt. Desunt autem sacerdotes et hierarchae ritus orientalis.

3. Optandum est, ut ius poenale *C.I.C.* noviter redigatur, nam in praxi confessariis etiam bene instructis magnas difficultates praebet.

✠ Ioannes Lenhardt
Episcopus tit. Carystensis

30

Exc.mi P. D. IOSEPHI ZIMMERMANN
Episcopi tit. Ceryniensis

Prot. N. I C/59-2339 Augsburg, 1-9-59

Eminentissime Domine,

Nonnisi litteris, mense augusto acceptis, monitus, pauca ad rem proponere audeo.

I. *De regimine Ecclesiae*

Cum numerus fidelium ubique, maxime in civitatibus, in dies augeatur, ad salutem animarum, ad bonum cleri, ad gloriam Ecclesiae valde conferre videtur, si magnae dioeceses dividerentur in plures ita ut saltem civitates celebriores proprium episcopum haberent et episcopus ordinarius nonnisi in casibus extraordinariis episcopo quodam auxiliari indigeret.

II. *De sacrosancto Missae sacrificio*

a) Ad can. 819 *C.I.C.* Magis magisque a fidelibus petitur, ut orationes et lectiones ante Offertorium Missae recitandae, a sacerdote celebrante lingua vernacula alta voce proferantur. Hoc saltem pro certis occasionibus, ab Ordinario determinandis, magno cum emolumento permitti posse videtur.

b) Ad can. 821. Cum Missa toties iam hora vespertina celebrari possit, cui fideles libentissime assistunt, nonne de omnimoda can. 821 § 1 abrogatione deliberandum est, ita ut qualibet diei hora missam celebrare liceat, si fidelium concursus hoc suadet?

III. *De Sacramento matrimonii*

a) Ad can. 1083. Dolendum maxime, consensum ad matrimonium ineundum hisce temporibus detestandis saepe mendaciis et fraudibus ab altera parte adduci eo effectu, ut post nuptias fraude detecta conviventia maxime perturbetur immo et impossibilis prorsus reddatur. Optandum igitur esset, ut vis erroris invalidantis pro imbecillitate et malignitate hominum magis extenderetur.

b) Non sine trepidatione hoc quoque proponere audeo: Cum ministri Sacramenti ipsi contrahentes sint et sacerdos tantummodo assistat, (ut plurimi theologi docent), nonne a Patribus in Concilium coadunatis

decerni posset, ut haec sacerdotis assistentia sub gravi quidem praescribatur (can. 1094), attamen non ad validitatem matrimonii postuletur, ita ut v. gr. matrimonium coram ministro acatholico quidem sed christiano religiose contractum, aliis impedimentis non obstantibus, perillicitum sed validum tamen esset. Ita in patria nostra multae et graves difficultates inter confessiones exsistentes removerentur et permulta matrimonia invalida componerentur, ceteris cautelis servatis.

IV. *De disciplina cleri*

a) Ad can. 135. Numero sacerdotum in dies decrescente, imprimis parochi nimio labore onerati sunt, ita ut Breviarium Romanum festinanter et quasi formaliter tantum recitent aut cum conscientia perturbata partim omittant. Suadendum est, ut Ordinario facultas concedatur, ut sacerdotibus petentibus mediam tantum partem Breviarii (Matutinum cum Laudibus aut Horas Minores ad libitum) sub gravi persolvendam imponat, altera parte solummodo commendata.

b) Ad devotionem augendam semel vel bis in hebdomada sacerdotibus saltem iunioribus Breviarium lingua vernacula (in translatione approbata) recitare liceat.

V. *De disciplina laicorum*

a) Ad can. 1250 sqq. Lex abstinentiae et ieiunii, de cetero iam valde mitigata, est vix observata, non sub gravi obliget laicos, sed solummodo tamquam traditio optima commendetur.

b) Ad can. 1384 sqq. et 2318. Index librorum prohibitorum reformetur et sine comminatione excommunicationis edatur.

VI. *Quoad actuositatem multiplicis generis*

a) Officiales tribunalium nostrorum conqueruntur, ordinem processus canonisationis et processus matrimonialis tot praescriptis complicari, ut prae penuria sacerdotum et laicorum idoneorum vix aut omnino non rite persolvi possint.

b) Translatio actorum, a quibusdam Sacris Congregationibus praescripta, nimio temporis et pecuniae sumptibus gravatur. Nonne in centro Ecclesiae universalis praeter linguam Latinam, Italicam et Gallicam etiam linguae Germanica et Anglica officialiter admitti possent?

Sacram Purpuram reverenter deosculans

Eminentiae Vestrae devotisismus servus

✠ IOSEPHUS ZIMMERMANN
Episcopus tit. Ceryniensis

31

EXC.MI P. D. FRIDERICI RINTELEN

Episcopi tit. Chusirensis, Auxiliaris Paderbornensis

Pertinet ad N. I C/59-2384 Magdeburgi, die 5 septembris 1959

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Eminentia Vestra petivit consilia et vota mea spectantia futurum Concilium Oecumenicum.

Magdeburgi, in finibus Zonae residens, fere totaliter separatus sum a Germania occidentali, quare mihi impossibile est et communicare cum theologis nominatis et prosequi litteras novas theologicas, ut vix habilis sim ad proponenda vota, quae pertinent ad Capita doctrinae. Tantummodo quaestiones duas ad deliberandum proponam.

I. *Ad Capita doctrinae*

1. An Concilium Oecumenicum denuo explicet actum offerendi, a sacerdote sanctam Eucharistiam celebrante peractum in consecratione, *essentialiter* esse diversum ab actu oblationis, quo circumstantes (una cum sacerdote celebrante) in cetera parte canonis offerunt. In Encyclica « Mediator Dei » haec doctrina quidem explicata est. Et tamen allocutio Suae Sanctitatis Pii Papae XII in fine Congressus Liturgici anno 1956 erat necessaria, et — pro dolor! — etiam adhuc sententiae nebulosae, sanae doctrinae contradicentes, de hac re apud nonnullos sacerdotes consistunt.

In hac re ponderi actus oblationis exercendi in missa a circumstantibus prorsus maius momentum dari possit. Profecto deliberandum esset an pondus participationis laicorum in missa cantata possit confirmari aliquo praescripto statuente, ne sacerdos celebrans obligatione teneatur ea recitare, quae in missa cantata schola laicorum rite cantat (Introitus, Graduale etc.).

In Germania talis praescriptio emolumento esset quatenus fieri posset, ut iuxta missam cantatam cum cantibus in lingua Germanica denuo crebro missae cum cantibus Gregorianis celebrentur, quibus prae aliis missis specialis maiestas obvenit (*Mediator Dei*).

2. Cum Eminentia Vestra rogaverit, ut cum libertate et sinceritate vota facerem, nolo omittere causam praestare ad considerandum, quae forsan solummodo est intelligibilis ex conditione diasporae, in qua ec-

clesia his in regionibus versatur. Nihil hic sacerdotes et laici magis desiderant, quam ut Deus horam afferat, in qua grandior multitudo christianorum protestanticorum, qui hodie — Deo sint gratiae! — longe non iam, quemadmodum ante decennia, Ecclesiam Catholicam aspernantur, convertatur ad matrem Ecclesiam. Satis sobrius sum, ut videam in Germania seria indicia in hac re non exstare. Hactenus numerus haereticorum, qui quotannis ad Ecclesiam Catholicam convertuntur, minimi momenti est. Nihilominus ad considerandum proponam, ut Concilium Oecumenicum desiderium declaret, ne in futuro quaestiones mariologicas agitantes utantur terminis, qui sunt apti ad praebendam haereticis ansam falsae intelligentiae. Cogito prae ceteris de terminis « Mediatrix » et « Corredemptrix ». Ne falso intellegar! Reipsa necessarium est, ut disceptationes theologicae pertinentes ad ea, quae sunt summae horum terminorum continuentur! Sed nonne erit possibile invenire terminos pro causa memorata, qui sunt idonei ut etiam christianus acatholicus sine longioribus explicationibus, id quod est intentum, intelligere possit? Si christianus protestanticus terminum « Maria-Mediatrix » audit, statim declarat hoc esse contra sensum scripturae sacrae, quae *unum* esse mediatorem doceat. Deinde semper instructio diutina est necessaria, ut unicum opus mediatoris Christi nullo modo offendatur per ea quae terminus « Maria-Mediatrix » obtineat. Similia valent de termino « Corredemptrix ».

Scio extraordinarium esse, rogare, ut in futuro termini evitentur, quibus iam utuntur Papae — quique in multis Dioecesibus peculiare festum designant (festum Mariae Mediatricis omnium gratiarum) et qui sunt usuales linguae theologorum. Tale desiderium a Concilio Oecumenico etiam tantummodo proferri poterit cum ratione expresse declarata, ne detur christianis acatholicis ansa falsae intelligentiae.

Spero fore, ne id quod supra dictum est, mihi tribuatur qua spiritus non ecclesiasticus! Expresse declaro, me posse intellegere, si supra dictum quasi totaliter indiscutibile ponatur ad acta, praesertim quod ecclesia non tantummodo in regionibus cum plebe haeretica moratur et quia forsan amplectendum est non sine effectu Spiritus Sancti terminos « Mediatrix » et « Corredemptrix » tanquam Titulos honoris pro matre Dei amata in usum linguae venisse.

II. *Ad quaestiones liturgicas*

Linguam vernaculam in celebratione *s. Eucharistiae* adhibere non commendo, saltem non pro regionibus culturae occidentalis. Timeo ne ecclesia in hac re desideriis multorum sacerdotum morem gerens tem-

pore discriminis exponat valores, quos temporibus futuris conservare opus est. Considerandum sit de usu linguae vernaculae pro parte in aliis sollemnitatibus liturgicis, e. g. in allocutione populi in initio consecrationis presbyterorum aut in allocutionibus in consecratione ecclesiae novae.

Quod pertinet ad consecrationem novae ecclesiae, deliberandum esset an Concilium mandatum deferat ad S. Congregationem Rituum quoad ritum consecrationis simplificandum et abbreviandum. Optabile esset propter fideles praesentes, quibus necesse est toti festivitati stando adesse.

III. *Ad quaestiones iurisdictionis*

Optabile mihi esset, ut ecclesia usum concedendi indulgentias paululum modificet. Modesti fideles ita generatim intellegunt designationem « Concessio quadraginta dierum (aut unius anni etc.) de vera indulgentia », ut iis indulgeantur quadraginta dies (aut unus annus etc.) purgatorii. Christiani acatholici autem legentes librum catholicum orationum offendiculum accipiunt legentes tam multas orationes quibus tempora indulgentiarum lucrandarum subscripta sunt. Usum veterem poenitentiae longe praeteriti temporis nescientes indicationem diversorum temporum comprehendere non possunt.

Nonne sufficiat, si ecclesia plenarias et partiales indulgentias concedat, quin supra dicta singularia tempora positiva indulgentiarum designet?

Sufficiatne, si ecclesia intendat concedere indulgentiam partialem, quae congruat circiter uni anno poenitentiae usus veteris poenitentialis sine ulteriore discretione?

IV. *Ad quaestiones disciplinae*

Quandoque sacerdotes — etiam assidui et ceteroquin boni — opinantur sine inoboedientia praesertim adversus nonnullas praescriptiones liturgicas in ecclesia sanos progressus esse impossibiles. Itaque talem inoboedientiam non esse malam, sed a Deo desideratam! Etiam si in hac inoboedientia generatim non agitur de rebus gravibus, tamen sententia supra dicta nullo modo consentanea est spiritui ecclesiastico et apta est ad magnam inordinationem paulatim adducendam. Si forsan in Concilio Oecumenico nonnullae refectiones Liturgiae constituantur, hac occasione data alte annuntietur omnes sacerdotes conscientia teneri ad praescriptiones liturgicas ecclesiae observandas et forsan supradicta sententia expresse reicienda est.

Haec sunt nonnullae deliberationes a me paulo propere expositae. Litterae Eminentiae Vestrae demum ante duas hebdomadas allatae sunt et responsum ultra diem fixum differre nolui.

Eminentiae Vestrae addictissimus
✠ FRIDERICUS MARIA RINTELEN
Episcopus tit. Chusirensis

32

EXC.MI P. D. BERNARDI STEIN
Episcopi tit. Dagnensis, Auxiliaris Trevirensis

Treviris, die 28 m. augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteris diei 18 m. iunii a. c., Eminentia Vestra Reverendissima infrascripto Episcopo titulari Dagnensi significavit Summum Pontificem Ioannem XXIII fel. regn. instituisse Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico et Eminentiam Vestram isti Commissioni praefecisse. Rogavit Eminentia Vestra, ut, voluntati Augusti Pontificis obsecundans, isti Pontificiae Commisisoni communicarem animadversiones, consilia et vota circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari posse existimem.[1]

Re cum quibusdam viris ecclesiasticis peritis deliberata, quae tractari posse censui, una cum Exc.mo ac Rev.mo Episcopo Trevirensi elaboravi, foliis adnexis mandavi atque Eminentiae Vestrae hisce communico.

Interim Sacram Purpuram reverenter deosculor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
servus humillimus
✠ BERNARDUS STEIN
Episcopus tit. Dagnensis
et Auxiliaris Episcopi Trevirensis

---

[1] Cf. animadversiones, consilia et vota Episcopi Trevirensis, pp. 602-611.

33

EXC.MI P. D. PAULI TKOTSCH

Episcopi tit. Eleuthernensis

Berlin, den 28 august 1959

Eminentissime Domine!

Gratias magnas ago pro transmissione scripti Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico.

Non habeo communicare propositiones, quae in Concilio futuro tractari possunt.

Eminentiae tuae Reverendissimae
humillimus et addictissimus

✠ PAULUS TKOTSCH
Episcopus tit. Eleuthernensis

34

EXC.MI P. D. IULII ANGERHAUSEN

Episcopi tit. Eminentianensis, Auxiliaris Essendiensis

Essendiae, die 31 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

In foliis adnexis Eminentiae Vestrae porrigo vota quaedam atque Consilia, expetita quidem per epistolam Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico sub Prot. N. I C/59-2716 emissam.

Eminentiae Vestrae
in Christo addictissimus

✠ IULIUS ANGERHAUSEN
Episcopus titularis Eminentianensis

Consilia et vota Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico proponenda

I. *Consilia et vota ad doctrinam tractandam pertinentia*

1. Suadetur ut *compleatur doctrina Concilii Vaticani de potestate apostolica hierarchica* ita ut imprimis definiatur potestas episcopalis.

2. Discutiatur utrum simul definiendae sint quaedam veritates fundamentales *de vero sacerdotio universali omnium fidelium necnon de vocatione laicorum ad cooperationem cum apostolatu hierarchico* in universali regno Christi verificando.

3. Praeparetur ad instar Catechismi Romani aliqua *summa capitum principalium doctrinae socialis* ecclesiae, praesertim de familia, de societate, de re publica. Quae summa inserviat instructioni universali adultorum in ecclesia.

II. *Capita pastoralia*

1. Elaboretur a Concilio *instructio pastoralis*: ad sacerdotes de vita clericali, et de cura animarum hodiernis circumstantiis adaptata.

2. Suadetur, ut conficiatur aliqua *epistola pastoralis universi Concilii ad fideles omnes* de iis punctis, quae in vita christiana hodie praesertim attendenda sunt.

3. Suadetur ut componatur aliqua epistola Concilii ad *gubernatores* rerum publicarum de rebus maioribus pro ordine internationali et pace imprimisque pro adiuvandis nationibus nondum evolutis.

4. Suadetur denique ut conficiatur a concilio aliqua *epistola apostolica ad christianos ab ecclesia separatos* de unitate Christifidelium promovenda.

III. *Capita liturgica*

1. Elaborentur a Concilio *normae quaedam universales de reformandis libris liturgicis,* Missali Pontificalique Romano, Breviario, Rituali; in specie reformentur ritus collationis sacramentorum, consecrationis ecclesiae et altaris.

2. Statuantur *normae pro adhibenda lingua vernacula* in partibus missae et in collatione sacramentorum ita ut melior participatio actuosa fidelium fieri possit; saltem licentia pro hebdomada sancta anni 1959 data extendatur, ita ut in omnibus missis lectiones lingua vernacula dici aut cantari possint.

3. Discutiatur *elaboratio alicuius ritus concelebrationis* Latini, qui in casu confluxus sacerdotum adhiberi possit.

4. Deliberetur, si episcopis dari possit facultas permittendi ut sacerdotes id petentes in horis canonicis persolvendis lingua vernacula utantur.

IV. *Capita disciplinaria*

1. (can. 1 *C.I.C.*) Discutiatur utrum *praedominantiam ritus latini* in missionibus exteris ecclesiae diutius retinere opportunum sit an maior vis tribuenda sit ritibus orientalibus, etiamsi consequenter multi missionarii ritum suum mutare vel debeant vel possint.

2. Suadetur ut missiones externae non solum religiosis sed etiam sacerdotibus saecularibus commendentur eo modo, ut S. Congregatio de Propaganda Fide singulis dioecesibus definita missionum territoria concredat cum obligatione praestandi aut clericos aut pecunias pro isto territorio necessarias.

3. (ad can. 128) Cum hodiernis temporibus multi fideles saepe quaestus causa domicilium suum mutent, sive spontanee sive coacte, vel e patria sua expulsi ut fugitivi in castris degant, expostulat necessitas Ecclesiae, ut episcopus clericis dioecesis suae officium extra territorium proprium committere queat. Quam ob rem suadetur, ut can. 128 addatur... munus, quod ipsis fuerit aut ab episcopo proprio aut consentiente episcopo proprio ab alio episcopo commissum.

4. (ad can. 136) Quoad *vestem clericalem* clare distinguatur vestis liturgica a veste communi, quae clericum a laicis, pro iudicio ordinariorum, apte distinguat.

5. (ad can. 247) Reformatione indigere videntur, quae in iure respiciunt *munus Supremae Sacrae Congregationis S. Officii* circa separatos.

6. (ad can. 214) Discutiatur an statuenda sit aliqua norma secundum quam clericus maior liberari possit a *vinculo coelibatus* etiam in illis casibus in quibus alia adiuncta quam defectus libertatis (v. gr. defectus substantiales ex parte intellectus vel bonum publicum ecclesiae) hoc suadeant.

7. (ad cann. 271-280) Discutiatur an *distinctae concentrationes maiorum regionum* in Ecclesia appetendae sint (Europa, America septentrionalis, Meridionalis, Africa, Asia duplex) sive per modum distinctarum assistentiarum in curia Romana, sive per modum conventuum Episcoporum et associationum fidelium.

8. (ad can. 454) Necessitatibus temporum adaptentur *normae de remotione parochorum inamovibilium,* ita ut facilior reddatur remotio. Tollatur omnis distictio inter parochos inamovibiles et amovibiles.

9. (ad cann. 682-725) Suadetur ut fundamentaliter revideatur *pars*

« *de laicis* »; imprimis respiciantur *piae associationes fidelium et ius eorum laicorum qui in servitio ecclesiastico occupantur.*

10. Vetetur omnis distinctio in ecclesia discriminans ratione stirpis.

11. (ad cann. 897-1083 § 2 n. 2) Abrogentur omnes commemorationes *servitutis* proprie dictae.

12. (ad can. 782) Communicetur ordinariis loci a iure facultas adhibendi *in administratione sacramenti confirmationis* presbyteros digniores, si utilitas dioeceseos hoc postulat; *facultas confirmandi in periculo mortis* extendatur ad omnes qui in cura pastorali versantur, cum onere nuntiationis ad parochum inscriptionis causa.

13. (ad can. 881) *Iurisidictio ad audiendas confessiones* ita ordinetur ut quivis sacerdos, cui iurisdictio competit sive ordinaria sive delegata ab homine, absolvere possit valide ubique terrarum; limitationes omnes quoad iurisdictionem sint de liceitate tantum; provideatur praesertim necessitatibus omnium itinerantium.

14. (ad can. 1363 § 3) *Abrogetur decretum sacrarum Congregationum de studiis et religiosis a die 25 iulii 1941* (*A.A.S.*, 1941, 371) de dispensatione imperata.

15. (ad can. 1042 § 2) Abroganda videntur matrimonii *impedimenta dirimentia gradus minoris.*

16. (ad can. 1058) Discutiatur an abrogari possint *impedimenta impedientia* tantum, cum condicioni voti sufficienter provisum sit generalibus normis de voto; condicioni mixtae religionis sufficienter normis de forma.

17. (ad can. 1061 § 1) *Matrimonium omne mixtum* inire solum concedatur, si 1° praeierit instructio sufficiens utriusque nupturientis circa matrimonium christianum, 2° Ordinarius vel parochus competens habeat spem fundatam de impletione cautionum.

18. (ad can. 1085) Suadetur ut statuatur *impedimentum dirimens erroris qualificati* dolo causati circa circumstantias quae momenti substantialis sunt pro vita coniugali, ita ut matrimonium valide contrahere nequeat, qui propter delictum contra vitam, libertatem aut castitatem ante matrimonium commissum a iudice ecclesiastico aut civili punitus sit nec de hac re alteram partem certiorem fecerit.

19. (an can. 1203) Abrogandum videtur praescriptum de crematione corporum, cum in combustione corporis non iam signum infidelitatis videatur.

20. (ad can. 1250 s.) *Tempora et modi ieiunii et abstinentiae* ita reformentur ut pro adiunctis hodiernorum temporum spes sit ea a maiore

parte observatum iri. Episcopi pro suo arbitrio destinent ieiunii formam necessitatibus territorii sui adaptatam.

21. (ad can. 1395 ss.) *Normae de censura et prohibitione librorum* adaptentur necessitatibus temporum; vitentur prohibitiones iuris positivi tantum in « indice »; relinquatur episcopis, statuere media apta pro regionibus suis quibus invigilantia exerceatur circa omnia media moderna publicationis.

22. (ad cann. 1049-1488) Adaptetur *ius beneficiale* codicis necessitatibus et condicionibus nostrorum temporum.

23. (ad can. 1435 § 1 n. 1) Deleantur in textu *verba « etiam honoris tantum »*; quaestioni de taxis aliter provideatur.

24. (ad cann. 1767-2037) Supprimantur *iuramenta* non necessaria. Sufficit hic iuramentum de veritate dicenda. Cf. etiam iusiurandum antimodernisticum (*A.A.S.,* 1910, 655 ss.), quod semel emittere sufficit.

25. (ad cann. 2217, 2314-2411) Abrogetur poena latae sententiae, ita ut omnes poenae sint infligendae a iudice vel a superiore. Reservationes adhuc necessariae ita ordinari possunt, ut peccata ratione sui reserventur (vide can. 893).

Reservationes peccatorum solum distinguantur « Romano Pontifici » et « Ordinario loci ». Supprimantur omnes reservationes non necessariae.

V. *Consilia et vota ad methodum tractandi pertinentia*

1. Pro quaestionibus tractandis in capite primo numero tertio praevideatur a Concilio etiam *congrua cooperatio laicorum* peritorum.

2. Theologorum in Concilio adhibeatur sufficiens numerus, qui et ratione materiae proponendae et ratione modi dicendi *periti sunt in doctrina et moribus christianorum ab ecclesia separatorum.*

3. Totus *modus dicendi* in decretis et instructionibus Concilii ita respiciat dictionem Sacrae Scripturae et Patrum ut facilius moveat etiam fratres separatos et in ecclesiis orientalibus et protestantes.

35

EXC.MI P. D. BERTHOLDI BUHL
Episcopi tit. Methonensis

Respondetur I C/59-2230 Landshut, Baviera, 9-VIII-59

Eminentia,

Commissionis Antepraeparatoriae invitatio proponendi res tractandas in Concilio Oecumenico ad manus meas pervenit.

Res maiores in mentem mihi non venerunt nisi forte necessitas urgens introducendi in toto orbe catholico organizationem Actionis Catholicae a Papa Pio XI f. m. statutam. Sed ne ea sterilis evadat, multa cura impendenda est formationi interiori sociorum Actionis Catholicae.

Ii omnes vocati sunt ad apostolatum sive verbis sive scriptis, sive orationibus sive sacrificiis peragendum. Sed non omnes apti sunt pro apostolatu ab homine ad hominem exercendo.

Huis operi difficillimo et nobilissimo destinandi sunt homines, quorum animi formandi et stabiliendi sunt exercitiis et instructionibus specialibus.

Ut haec formatio interior det fructus copiosos, fundentur in unaquaque parochia seminaria, quae dirigantur a sacerdotibus in vita religiosa et practica expertis. Actio Catholica non produxit fructus speratos quia vita interior sociorum carebat profunditate.

Quae omnia subicio iudicio Commissionis Antepraeparatoriae et maneo

Eminentiae Vestrae humillimus filius

✠ BERTHOLDUS BUHL, O.F.M.
Episcopus tit. Methonensis

36

EXC.MI P. D. FRIDERICI HÜNERMANN
Episcopi tit. Ostracinensis, Auxiliaris Aquisgranensis

Beatissime Pater!

Infrascriptus Episcopus auxiliaris Aquisgranensis et titularis Ostracinensis ad Pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus ad Litteras Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico,

d. d. 18 m. iunii a. 1959 (Prot. N. I C/59-2261) vota sua devotissime communicare audet et quidem sequentia:

I. *In Rebus Dogmaticis*

1. Definienda sit constitutio Ecclesiae, ut clare cognoscatur relatio inter Ecclesiam a D. N. I. Chr. tamquam monarcho-hierarchicam et visibilem fundatam et Corpus Christi mysticum.

2. Declaranda sit prioritas et historica et logica fontis traditionis ante fontem Sacrae Scripturae, et id hoc sensu, ut traditio contineat revelationes divinas, quae in Sacra Scriptura non inveniuntur.

3. Declaranda sit revelatio divina cum morte ultimi Apostoli completa et non per tempora elongata.

4. Aliquid dicatur de Episcopis titularibus et eorum pertinentia ad collegium successorum Apostolorum.

5. Denuo damnetur superstities, praeprimis formae modernae fetichisticae et horologicae.

II. *In Rebus Moralibus*

1. Denuo sublineatur finis primarius matrimonii.

2. Errores ethicae situationis damnandi sint.

III. *In Rebus Canonisticis*

1. Simplificetur instructio processus matrimonialis.

2. Terminalogia *C.I.C.* etiam simplificanda est.

3. Laici et eorum functiones organicae in Ecclesia describantur.

4. Concedatur unicuique sacerdoti facultas in periculo mortis conferendi sacramentum sacrae confirmationis.

5. Extendatur iurisdictio sacerdotum audiendi confessiones etiam ultra Dioeceses propriae patriae.

6. Pro terris missionum concedatur Diaconatus sine obligatione caelibatus, sed hac cum circumscriptione, ut tales diaconi nunquam presbyteri fieri possint.

7. Error qualitatis comprehendat quoque dolum vel dolosam deceptionem et etiam tales defectus, qui hominem sanum a matrimonio deterrent.

8. Subleventur impedimenta matrimonialia minoris gradus (sed non crimen cum attentatione matrimonii).

9. Inducenda forsitan sit quoque species metus ab intrinseco, et id uti caput nullitatis.

10. Diminuenda sint iuramenta in omnibus processibus.

11. Inveniatur modus, ut processus in II et in altioribus instantiis respectu salutis animarum celerius tractentur.

12. Renovetur tota procedura Indicis, extendatur quoque ad televisiones, transfusiones Radii et ephemerides illustratas.

IV. *De Rebus Liturgicis*

1. Simplificetur forma consecrandi ecclesias.
2. Item simplificetur forma consecrandi altaria.
3. Quoad tempus et intervalla sacrae ordinationis quoque novae normae adhibendae sint.

His omnibus bene perpensis occasione fruor me profitendi

Sanctitatis Vestrae
humillimum et oboedientissimum

✠ Fridericum Hünermann
Episcopum titularem Ostracinensem

37

Exc.mi P. D. IOSEPHI M. REUSS
Episcopi tit. Sinopeni, Auxiliaris Moguntini

Ad Prot. N. I C/59-2413 Moguntiae, ante x Cal. maias 1960

Eminentissime Princeps!

Primum quidem veniam E. V. peto, quod tot et tantis negotiis laboribusque distentus, sicut in epistola mea anno elapso (20-IX-59) expedita iam satis explicui, hucusque has litteras nunc exaratas, quae ad res Concilii pertinent, distuli.

Nunc autem mentem aperiens animadversiones, consilia votaque quae sequuntur isti Commissioni Pontificiae Antepraeparatoriae intimare velim, ut Concilio simul cum aliis argumento esse queant.

A) Rationes generales

1. Summus Pontifex ipse aperuit, quantopere sibi cordi esset Ecclesiam Romanam et Catholicam Concilio ita elucere et splendescere, ut fratres separati eam domum paternam suam tam cognoscant quam agnoscant.

2. Cura « Unionis » Christianorum hac aetate tantopere res gravissima Concilii convocandi consideranda est, ut, quibuscumque modis fieri poterit, appetenda sit. Neque enim doctrina falsa adeo periculum huius aetatis est quam potius impietas, quam pedetentim plurimi imbibunt. Nunc temporis ea quae ab illis docentur atque propagantur, qui Deum esse omnino negant, prosperius evenire solent quam studia missionaria Christianorum. Quod facile intellegendum videtur, quia successus plenus operae missionariae Unionem omnium Christianorum supponit, eamque scilicet non quidem *solam,* at certo quoque. Qui verbis Iesu Christi secundum Ioannem 17, 20-23 illud momentum et pondus attribuit, quod unicuique verbo Domini plane attribuendum est, eum minime effugere quit, ne Unio Christianorum summopere perpetranda sit, ut omnes intellegant et credant Iesum Christum a Patre in hunc mundum missum esse, ut eum in sinum Ecclesiae tamquam in unam patriam reducat.

3. Quibus rebus sic stantibus Concilii Patribus officium incumbit aliqua corrigere et emendare, etiamsi fortasse quodam dolore afficimur, quia altera nobis sane pergrata abdicanda erunt, altera autem etsi minus nobis optata introducenda, dummodo « Unio » sic dicta ea requirat. Cum rationem reddituri Iesu Christo et Capiti et Sponso et Domino Ecclesiae Suae, tum participes curae diligentiaeque Christi ad mundum in commune ovile revocandum Patres Concilii sollicitudine flagranti et studio ardenti operam navare oportet, ut quaslibet vias et tramites explorent, quibus in dies clarius cognoscatur Ecclesiam esse « signum levatum in nationes » (*Is.* 11, 12).

B) Specialia

I. *Quae suadeo ac propono ad Unionem praeparandam*

1. Concilium manifeste et evidenter exponat, quanta — secundum effata ipsius Iesu Christi — sit vis Unionis Christianorum in mundo ad christianismum convertendo (cf. *Io* 17, 20-23). Propterea hoc poscendum est, quia necessitas quidem religionis Christianae ubique terrarum propagandae hodie potius fortasse quam prius cognoscitur et comprobatur; sed parum perspicitur, quanto discrimine « Unio » sit, si velis operam missionariam optime cedere. Profecto, spes nimia ponitur in numero sufficienti missionariorum eorumque adiutorum et adiutricum, in rationibus viisque idoneis, in pecuniis opibusque quam plurimis. Quae suppetiae neutiquam sunt repudiandae, nullatenus tamen suppetunt. Nam conversio mundi aliis modis perficienda est quam quibus fines mundani

perpetrantur. Qua in re causa cuiusque successus agnosci debet Unio Christianorum a Salvatore nostro praeprimis postulata.

2. Concilium exponat nonnullas consuetudines inveteratas opinionesque mutandas esse:

a) In mente et cogitatione catholicorum saepenumero opinio pervulgata est Christianos separatos solos fere esse discidii reos, culpae propriae nullum vel minimum spatium relinquitur. Omnibus quaestionibus et disputationibus de origine schismatis prorsus sublatis — uti Augustus Pontifex ipse enuntiavit — a Patribus Concilii expressis verbis declarari oportet se culpam quidem pro schismate illo pernicioso oborto disserere neque posse neque velle; sed causis schismatis non solum Christianos separatos, etiam vero catholicos obnoxios esse. Nam si id quod nemo hodie infitiatur, inquantum manifeste verum est, palam conceditur, animi omnium tranquillabuntur et pacabuntur atque Unio fovebitur.

b) Quantopere certe constat ecclesiam catholicam solam omnes veritates a Deo revelatas habere, tantopere vel ex eo ad caritatem summam obligata est christianos a corpore Iesu Christi mystico segregatos investigare et Unionem simul cum eis instituendam omni modo et quovis pretio contendere. Talis conditio in mentibus catholicorum plurimorum non extat, at e contrario postulatur, ut ei qui a fide defecerunt in ecclesiam revertantur, plus minusve omni condicione remota, omnibus institutionibus se subicientes eisque quoque, quae veritatem fidei a Deo revelatam et ab Ecclesia definitam — haec sine ullo dubio ad amussim accipienda est — superant et intra Ecclesiam celebrantur (ut sunt varii ritus, caeremoniae et eiusmodi). Patres Concilii eadem liberalitate et comitate qua Apostoli in primo concilio (cf. *Act.* 15, 1-34) moveantur, ut cunctis mediis consiliis concordiam concilient, sicut in concilio Apostolorum factum est et aequaliter sive iudaeis sive paganis tunc Ecclesiam formantibus profuit. Si Patres Concilii constantia inflexibili in omnibus, quae ad fidem ipsam attinent, ducuntur, nec minus autem simplicitate ac sinceritate, ut desideria Christianorum seiunctorum respiciant, quibus hi peculiaria sua a doctrina catholica non aliena conservare intendunt, Concilium veritatem cum caritate conserens et coniungens Iesum Christum ipsum re vera imitaturum esse quis neget?

c) Insuper Patres Concilii parati promptique inveniantur, qui a Christianis disiunctis discant eaque ab illis suscipiant, quae apud eos opportunius utiliusque quam in Ecclesia catholica evolverunt.

Exempli causa: interdum apud aliquot societates haereticas maior reverentia s. Scripturarum saltem in specie externa atque maior aestimatio sermonis verbi Dei invenitur quam penes nos!

3. Patres Concilii unum aut complura gremia episcoporum insti-

tuant, qui una cum viris rerum theologarum peritissimis ex omnibus regionibus mundi delectis diligentissime laboribus studeant, qui, quamvis diuturni, tamen ad Unionem omnium Christianorum adipiscendam necessarii sunt. Eorum autem, qui in haec gremia vocati erunt, imprimis intererit initium colloquii cum Christianis seiuncits facere. Qua ex opera et studio condiciones apparebunt, unde Unio exspectari et sperari possit.

II. *Quae suadenda videntur ad emendationes et correctiones in sinu ipsius Ecclesiae conficiendas.*

1. Doctrina, quae ad Ecclesiam ut Corpus Christi mysticum spectat, exactius explicanda et enodanda erit, postquam status iuridicus eiusdem Ecclesiae iam dudum satis definitus est. Quin novum dogma condere opus sit, Ecclesia a Concilio « Corpus et Sponsa Iesu Christi » enucleetur et elaboretur simulque manifestetur, quo pacto Ecclesia sub specie « Corporis et Sponsae » visa cum Ecclesia hierarchice et iuridice aestimata cohaereat, imo conserta et connexa sit. Hoc modo Iesus Christus clarius ac distinctius « Caput et Sponsus et Dominus » Ecclesiae Suae enitet et eminet.

2. Structura episcopalis Ecclesiae in S. Scriptura et in Traditione fundata demonstranda et hoc modo condicio episcopi intra Ecclesiam theologicis argumentis confirmanda erit. Ita insuper ostendetur relationem Papae ad episcopos et viceversa cum relatione s. Petri ad Apostolos et viceversa congruere et consonare. Talis explicatio in praxim deducta pariter centralismum necessarium ideoque bonum fovebit ac centralismum modum excedentem ideoque nocivum impediet. Nostra aetate haec enucleatio theologica et consequentiae inde nascentes specialis momenti sunt. Ecclesia missionem a Iesu Christo demandatam in mundo variis difficultatibus cuiusque generis refertis adimplere debet. Propterea ob veram et sinceram animarum curam eadem cura animarum in toto orbe terrarum non exercenda est secundum regulas et normas, quae omnia singula usque ad hilum praecipiunt. Coetus episcoporum cuiusdam civitatis (=rei publicae), quin imo vel singuli episcopi ipsi sollicite exquirere debent, quas rationes et viae in suo quisque territorio sequendae sint, ut finem universae Ecclesiae communem adipiscantur. Haec quoque quaestio disserenda erit, quo pacto societates religiosae exemptae, quae interdum curae animarum communi difficultates magnas exhibent, cum structura episcopali conciliari queunt.

3. In concilio episcopi magis sibi conscii fieri debent non solum dioecesi propriae providendum esse, sed se utpote membra hierarchiae

una cum Papa Ecclesiae per totum orbem diffusae consulturos esse, sicut etiam ceteri Apostoli simul cum s. Petro Ecclesiae tunc ex Iudaeis et paganis compositae prospexerint. Itaque magis quam temporibus anteactis episcopi gubernationem universae Ecclesiae participent; et episcopi paratos se praestent ad sacerdotes optimos suos Summo Pontifici permittendos, ut in Curia Romana, quippe quae Curia totius Ecclesiae est, operam dent. Ita praxis curialis fovebitur, quae necessitates Ecclesiae totius mundi magis quam antea adiuvabit.

4. In Ecclesia pro universo mundo constituta liturgia eo modo formanda erit, ut hominibus omnium cultuum symbola exhibeat, quae ab eis intelliguntur eisque dicat, quae ab eis comprehenduntur. Quod nanciscendum non erit, quamdiu praeceptum viget, ut ritus latinus ubique terrarum observandus sit. Qua in re non solum agitur, ut lex linguam latinam in sollemnibus praescribens aliquatenus mitigetur — in promptu manifestumque est usum linguae latinae in regionibus non romanis cooperationem fidelium in sacris difficilem reddere —, sed etiam id spectandum est, ut tales formulae liturgicae concedantur, quibus natura eorum quae enuntient, intellegibilia pro eis quoque christianis exprimitur, qui longissime a cultu et moribus plagae occidentalis absunt. Id quoque in Ecclesiae totius mundi fieri posse oportet, ut una veritas aeterna terminis variis temporibus et rerum adiunctis adaptatis edicatur, quin termini scholastici suo iure priventur.

5. Duo desideria liturgica non parvi ponderis commemoranda sunt: et quidem pro sacerdotibus emendatio vel ut melius dicam mutatio breviarii deinde pro populo sacra synaxis sub utraque specie:

a) Breviarium, ut hodie est extensum et compositum, sacerdotes tot tantisque negotiis plus aequo onustos ac gravatos potius ab orando abducit quam ut eos ad orandum adducat, pro dolor! Breviarium potius monachis inservit, quorum officium primarium oratio communis choralis est ad laudem et gloriam Dei. Sed breviarium, ut nunc temporis est constitutum, pro sacerdotibus curam animarum administrantibus minime idoneum invenitur; vix et aegre labiis persaepe materialiter tantum officium sanctum persolvere possunt, quin proprie precatio nominari mereatur. Ut sacerdotes vitam suam in cura animarum degentes devote et meditanter, ut opus est, orare possint, emendatio et correctio et mutatio breviarii patranda est, quibus aliis desideriis (cf. correctio lectionum) non omissis officium diurnum praecidatur et contrahatur et lingua vernacula usurpanda permittatur.

b) Patribus Concilii plurimae gratiae erunt referendae, si facultas videretur et daretur, ut fidelibus qui id desiderant sacrificio missae astantibus carnem et sanguinem Iesu Christi sub utraque specie sumere

liceret. Quod desiderium eam ob causam urget, quia Iesus Christus non solum ipse in coena Domini omnibus praesentibus binam speciem obtulit, sed etiam quia hucusque in quacumque litatione per sacerdotem litantem, qui ritum sanctissimum perficit, ad sanctam coenam sub utraque specie sumendam provocatur dicendo: « Accipite et manducate ex hoc omnes...; accipite et bibite ex eo omnes! ».

6. Ordines sive minores sive maiores, quae consecrationem sacerdotum antecedunt, nostra aetate iam nihil sunt nisi gradus, quibus ad ordinem sacerdotalem ascenditur. Qui rationem certe rectam conservat, Christianum unoquoque ordine ad munus quoddam Iesu Christo et Ecclesiae praestandum aptum et autorizatum fieri, mutatio praxis hodiernae desiderabit, in qua omnes ordines consecrationem sacerdotalem praecedentes tamquam « transeunter » dantur et solis eis, qui sacerdotium aspirant. Considerandum est, quibus Christianis ad sacerdotium non vocatis, sed ad nonnulla servitia ecclesiastica praestanda paratis unus alterve ordo minor vel subdiaconatus ad munera implenda conferri potest. Praecipue autem diligenter examinari opus est, quomodo diaconatus denuo tanti aestimari possit, quantum ei debetur, cum sit re vera gradus sacramentalis praeter presbyteratum et Episcopatum. Porro quaerendum erit, quomodo — similiter ac temporibus pristinis Ecclesiae — perseveratio diaconi in suo ordine, ascensione ad presbyteratum omissa, in favorem praxis cedere posset. Ordo diaconatus ab initio non gradus quo ascenditur ad sacerdotium fuit sicut etiam presbyteratus non solum gradus est, quo ad episcopatum transitur. Ut certe aliquis ad presbyteratum vocatus esse potest quin ad episcopatum, ita quoque certum est aliquem vocatione ad presbyteratum carentem ad diaconatum vocatum esse. Etsi *unum* ordinis sacramentum tribus gradibus succedentibus distribuitur, duo gradus priores i. e. diaconatus et presbyteratus sine dubio tamquam transeuntes ad tertium gradum, nempe ad episcopatum ducere possunt, dummodo Iesus Christus quemlibet ad dignitatem episcopalem vocaverit; at essentialiter nequaquam sunt gradus solum, quibus ad dignitatem altiorem ascenditur, sed gradus consecrationis, qui vocationi certae respondent. Quam ob rem disputandum erit, quae et qualia officia cum munere diaconi utpote adiutoris sacramentaliter consecrati episcoporum et sacerdotum congruant. Quamquam profecto diaconatus nunc temporis, ut it dicam « transeunter » recipi solet, etiam nunc diaconi est baptizare, verbum Dei annuntiare, s. Eucharistiam distribuere. Patres Concilii decernere poterunt, ut diacono complures novae potestates et mandata committantur exempli gratia: matrimoniis contrahendis assistere, mortuos sepelire, fidelibus benedicere cum Sanc-

tissimo Sacramento. Diaconus talibus potestatibus et mandatis praeditus adiutor, ut hac voce utar, « qualificatus » sacerdotis evadet, etsi pro tempore totius vitae suae in diaconatu permaneret, eodem modo, quo etiam plurimi sacerdotes semper gradum presbyteratus obtinent et conservant, remoto episcopatu. Ii vero, qui sacerdotium anhelant, per complures annos munere diaconi fungantur, priusquam ad sacerdotium admittantur. Officiis, ut supra, nominatis ad diaconos delatis et nonnullis mutationibus administratoriis facile patratis penuria sacerdotum qua laboramus multo diminuetur. Argumentum vix afferri potest numerum sacerdotum hoc modo minui. Nam « procedura » supra proposita et commendata recta esse videtur, quia non est de natura diaconatus « gradus ascensionis » esse. Ordinationi huius materiae ut hucusque explanatae sine dubitatione Patres assentiri poterunt, cum numerus consecratorum, qui in futurum constabunt ex episcopis, sacerdotibus, diaconis, omnino non diminuatur. Diaconis coniugium permittatur, ita, ut in posterum ad legem caelibatus, quae non iuris divini, sed ecclesiastici est ideoque iurisdictioni Ecclesiae subest, demum ad presbyteratum promovendi obligentur neve caelibatus cum ordine subdiaconatus coniungatur. Quod in favorem sacerdotii et caelibatus cedet. Nam diaconus liberius et expeditius caelibatum eliget, si compluribus annis in cura animarum peractis se illam obligationem suscipere liceat et si munera hucusque administrata et diacono convenientia in posterum obtinere possit, quin matrimonium contractum eum impediat. Experientia docet non paucos sacerdotes, quamvis scienter et libere et optima fide in subdiaconatu caelibatum susceperint, postea tamen hanc obligationem aliquatenus « capere » nequeunt neque sciunt, quo pacto caelibatum cum sua natura, indole, ingenio et etiam pietate conciliare possint. Obligatio caelibatus aetate maturiore post aliquot annos in sacro servitio animarum elapsos suscepta pie, salubriter, laete perferretur, si propositum ut supra approbaretur. Non dubium est, quin caelibatus ipse fructus multo uberiores produceret atque vita et operatio sacerdotalis non mediocriter ditaretur. Quae mutatio, quae diaconos in statu maritali existentes agnoscit, etiam in matrimonii favorem eveniet. Etenim si recte attenditur et censetur, magno emolumento erit, si laici plerumque in coniugio viventes comperiunt unum e tribus gradibus consecratorum, qui charactere indelebili signati sunt, una cum ipsis ratione coniugum ad caelum ambulare, onera coniugalia portare, eisque iter matrimonii ad Deum ducens non solum verbis, sed etiam factis praedicare. Non nisi obscure indicetur novitatem huius rei Unioni Christianorum multum favere.

7. Laicis certis verbis dicatur sibi qua laicis munera et labores in

« regno caelorum » terrestri commissos et demandatos esse, quia unusquisque, qui Ecclesiae nomen dedit, saluti mundi inservire debet.

8. Ne excommunicatio neve aliae poenae ecclesiasticae porro quasi causae parvulae recenseantur, poenae latae sententiae non iam constituantur vel decernantur. Excommunicatio ipsa res plane gravissimi momenti est, quae numquam ipso facto occurrat, sed sententia episcopi processu speciali praecedente contingat.

9. Ut monitum Iesu Christi servetur (cf. *Mt* 5, 33-37) et vis et pondus iuris iurandi non minuatur, numerus iuramentorum quam maxime restringatur. Coacervatio iuramentorum quavis ex causa praescriptorum praeiudicio acatholicorum favet mendacium esse « peccatum » peculiare catholicorum.

10. Ratione aetatis nostrae habita « Index librorum prohibitorum » sic dictus re vera necessitatibus hodiernis neutiquam satisfacit. Haud raro interdictio ecclesiastica cuiusdam libri medium optimum pervulgandi evadit. Deliberandum erit, quomodo finis indicis librorum prohibitorum alio melioreque modo impleri poterit.

Quae dum renuntio, sensus meae erga E. V. observantiae intimos obtestans atque fausta quaeque a Domino adprecans me, profiteor

Eminentiae Vestrae
in Christo addictissimum

✠ IOSEPHUS M. REUSS
Episcopus titularis Sinopenus
et Auxiliaris Episcopi Moguntini

38

EXC.MI P. D. HENRICI TENHUMBERG

Episcopi tit. Tuburnicensis, Auxiliaris Monasteriensis

Plaudente orbe terrarum nuntius percrebruit de concilio oecumenico a Sanctitate Sua Ioanne XXIII Summo Pontifice feliciter regnante pronuntiatio necnon de Rev.ma Pontificia Commissione antepraeparatoria pro Concilio oecumenico die Pentecostes huius anni instituta. Exinde omnes sane veri nominis catholici fervidas preces effundere non desistunt, ut Deus pro sua benignitate gratiae suae plenitudine opera praeparatoria et ipsum Concilium prosequatur, quo uberiores fructus inde proveniant. Tali desiderio animato liceat mihi nonnulla

vota exhibere circa res, quae ut ego putaverim, in Concilio tractari poterunt.

1. Uti ex iis, quae in variis scriptis circa Concilium futurum exposita sunt, elucet, multi catholici et sacerdotes et laici continuationem elucubrationis dogmaticae expectant, quam Concilium Vaticanum propter temporum iniquitatem ad finem perducere non potuit. Tum imprimis de interna firmitate adversus omnes temporis errores tractandum erat magisteriumque ecclesiae dogmate de infallibilitate Summi Pontificis defendendum. Hodie pro progressu, quem doctrina dogmatica in hac materia duce supremo Papae magisterio fecit, maximi momenti mihi esse videtur elucidatio internae naturae ecclesiae relate ad doctrinam de mystico Corpore Christi necnon et ad « oecumenica » studia sectarum acatholicarum. Si Omnipotenti placuerit, doctrina quoque de munere Episcoporum, de natura Episcopatus eiusque effectibus, de relatione inter Summum Pontificem et Episcopos tractetur quaeso, ut difficultates quaedam quae ultimis decenniis in hac materia exortae sunt, amoveantur et dubia circa hanc rem solvantur, quo magis promptitudo sectarum acatholicarum in sinum ecclesiae redeundi promoveatur. Sperare quoque licet, tales elucubrationes effecturas esse, ut sacerdotes eo arctius cum episcopis suis coniuncti sint. Optaverim quoque, ut statuatur, quatenus religiosi in cura animarum operantes ab episcopis dioecesanis dependant eorumque mandatis stare debeant.

2. Hanc materiam tractans Concilium — ut ita dicam — eo ipso perveniet ad tractandum quoque officia, iura et munera cooperatorum Episcoporum, imprimis qui actioni catholicae operam dant. Actio catholica, quae sub auspicio ultimorum Summorum Pontificum per maiora in dies incrementa latius latiusque propagata est, indigere mihi videtur directivis et decisionibus, quas sacerdotes et laici certe summa cum promptitudine accipient.

3. Summa cum gratitudine orbis terrarum temporibus post Concilium Vaticanum elapsis doctrinam ab ecclesia de re sociali promulgatam accepit. Ut ea doctrina plenius elucidetur summi momenti mihi esse videtur in praesentibus et futuris disceptationibus cum materialismo et bolsevismo. Agitur hic — re probe perspecta — de natura et dignitate hominis de eiusque relatione ad societatem humanam. Huius doctrinae elucubratio et relationem inter ecclesiam et rem publicam, inter catholicos et rem publicam acatholicam elucidabit eorumque statum et operationem faciliorem reddet.

4. Ultimis decenniis saepe spes pronuntiata est fore, ut nova decreta in re disciplinari ferenda efficiant, ne de sacerdote e. gr. theologiae professore apud S. Sedem de doctrina accusato cognoscatur, quin

de re audiatur, ne damnatus esse videatur, quin se defendendi potestatem habuerit; similia etiam circa libros damnandos optaverim.

Eminentiae Vestrae manum devotissime exosculans omni qua par est reverentia permaneo

Eminentiae Vestrae
humillimus famulus

✠ Henricus Tenhumberg
Episcopus tit. Tuburnicensis
et Auxiliaris Monasteriensis

Monasterii, die 26 augusti 1959.

39

Exc.mi P. D. FRANCISCI W. DEMONT
Episcopi tit. Usinazensis

Ad Prot. N. I C/59-2482 Aachen, 11 novembris 1959

Eminentissime Domine,

Gratias ago Eminentiae Tuae pro rescripto circa Concilium Oecumenicum accepto. Spiritus Sanctus dirigat illud peramanter et benedicat labores Tuos.

Cum iam vetustior sim ut multa consilia darem omnia haec reliquo sapientiae et circumspectioni Patrum Concilii. Unam tantum observationem utilem duco, nempe: Ut adesse invitentur, via qua Tibi apta esse videtur, acatholici pastores et laici quidam, praesertim anglicanorum, atque eis occasio et opportunitas praebeatur libere loquendi de suis difficultatibus et desideriis. Nam per longam communitatem cum eis, tam clericis, etiam in episcopali dignitate constitutis, quam laicis in excelsis positionibus versantibus, ego cognovi eorum desiderium intimum reconciliationis in sinum matris Ecclesiae, quam deinde viribus unitis agendi erga hostem communem christianorum.

Eminentiae Tuae Rev.mae
ad.mus

✠ Franciscus Wolfgangus Demont, S.C.I.
Episcopus tit. Usinazensis

40

CONFERENTIA EPISCOPALIS FULDENSIS

Eminentissime Princeps!

Episcopi Germaniae in Fuldensi Conferentia congregati tribus episcopis mandatum a Beatissimo Patre nostro Ioanne XXIII laudatum dederunt, ut communia vota et consilia Commissioni Antepraeparatoriae proponenda elaborarent, duobus episcopis zonae orientalis illis adiunctis, qui specificas illius regionis actuositates exponerent.

Hisce praesentibus respondentes nobis die 18 mensis iunii 1959 datis quaestionibus Commissionis Antepraeparatoriae nostrum commune expositum Tuae Eminentiae reverenter transmittimus, quo singula episcoporum vota quantum ad plurima in unum collecta proponantur.

Eminentia Tua videbit, nos magna cum sollicitudine lineamenta traditionis Conciliorum Oecumenicorum et praesertim Tridentini et Vaticani sequentes illorum saluberrima decreta et praescripta a Concilio futuro complenda et perficienda proponere, ut tali modo errores hodierni temporis superentur et quaestionibus urgentibus respondeatur.

Rogamus ergo Eminentiam Tuam, ut velis nostris necessitatibus consulere et haec proposita Sanctitati Beatissimo Patri Nostro Ioanni Papae XXIII examinanda et probanda commendare.

Sperantes nos labores Commissionis Antepraeparatoriae facilitaturos, si aspectum generalem votorum necessitatibus et actuositatibus plurimarum dioecesium correspondentium praebeamus, non ignoramus, hoc commune votum nullatenus omnibus quaestionibus respondere, quae universalem respiciunt Ecclesiam. Attamen duo problemata speciali modo per experientiam sentimus, quae toti intersunt Ecclesiae: primum problema ex philosophia materialismi exoritur, quae partem patriae nostrae orientalem in plurima pericula ducit; praeterea magis quam alibi ultimas evolutiones protestantismi ex vicino videmus, qui aliquos protulit motiones Ecclesiae catholicae approximantes et quaestiones novas nobis solvendas proponit.

Quare animadversiones nostras communiter deliberatas et probatas Tuae Eminentiae summa cum reverentia proponimus.

Quibus animadversionibus singula singulorum Episcoporum Germaniae vota minime aboleta habeantur.

Consilia de disciplina et de Codice adaptando communia liceat mihi brevi transmittere.

Sacram Purpuram reverenter osculans me profiteor

Coloniae, die 27 aprilis 1960.

Eminentiae Tuae servum addictissimum

✠ Ios. Card. Frings
Archiepiscopus Coloniensis
Praeses conferentiarum Fuldensium

CONSILIA ET VOTA COMMUNIA EPISCOPORUM GERMANIAE IN CONFERENTIA FULDENSI CONGREGATORUM PONTIFICIAE COMMISSIONI ANTEPRAEPARATORIAE PRO CONCILIO OECUMENICO UNA CUM ANIMADVERSIONIBUS DESTINATA

Prooemium

Beatissimus Pater noster Ioannes Papa XXIII die 24 ianuarii 1960 inaugurans Synodum Romanam Dioecesanam mirabilem seriem Conciliorum Oecumenicorum exaltavit, quae « inde a quarto saeculo... usque ad alteram partem saeculi decimi noni quo hodierni errores sanae philosophiae ac religioni graviter offensi prolati sunt... Omnium tamen fructibus copiosissimum Concilium exstitit Tridentinum, cuius beneficiis nostra quoque tempora perfruuntur, quodque Vaticanum denique elapso saeculo subsecutum est ». Verosimiliter Concilio Vaticano II futuro opus duorum illorum Conciliorum prosequendum et perficiendum incumbit. Ita secundum normas omnium Conciliorum a Ioanne Papa XXIII in praefata oratione lucide expositas pro temporum nostrorum ratione animadversiones, consilia et vota reverenter proponimus eo proposito,

1. ut veritatem catholicae fidei a magisterio ecclesiae edoctam et investigatione studiosa theologorum fideique sensu magis explicite cultam ita in tutas formulas redigendas adiuvent, ut « crescat... et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium... intelligentia, scientia, sapientia... in eodem scilicet dogmate » (Denz. 1800);

2. ut dubitationibus, quaestionibus et erroribus christiani nominis fratrum separatorum ex plenitudine fontium revelationis respondeatur. Pius Papa XII docuit, etiam « in falsis ipsis commentis aliquid veritatis

latere » et ideo postulat, ut theologi catholici falsas illas opiniones perspectas habeant, quia « animum provocant ad quasdam veritates sive philosophicas sive theologicas sollertius perscrutandas ac perpendendas » (Denz. 2308). Sic ex tali perscrutatione clarior apparet veritas catholica ita, ut fratres separati revera suave illud sentiant invitamentum « ad illam unitatem quaerendam assequendamque, quam Iesus Christus a coelesti Patre flagrantibus rogavit precibus » (Litt. Enc. *Ad Petri Cathedram*);

3. ut christiani apostolatus rationes ad temporum necessitates atque adiuncta opportune accommodentur.

Tali modo iuvamen praestaretur ad praeparandum Concilium, quo — ut verbis Ioannis Papae XXIII utamur — instar Hierosolymitani Concilii Petri successor praeest ac moderatur, seniores autem cum eo quaestiones excutiendo atque diiudicando adiutricem praestant operam.[1]

A

De materiis in Concilio tractandis et de modo doctrinali adhibendo

I. *Conciliorum traditio de capitibus doctrinae sequenda proponitur*

Beatissimus Pater noster Ioannes Papa XXIII in praefata oratione munus Conciliorum oecumenicorum tuendi catholicae fidei doctrinam eamque in tutas formulas redigendi lucide declaravit. Tua Eminentia similiter omnino sapienter per Litteras de 18 iunii 1959 a nobis quaesivit vota et consilia et animadversiones primo loco circa capita doctrinae in futuro Concilio tractanda. Etenim nullum unquam fuit Oecumenicum Concilium, in quo non aliquod doctrinae caput contra errores impugnandos confirmatum fuerit et defensum. Cum Carolus V Romani Imperii Imperator suo munere protectoris Ecclesiae fungens unitati Christianorum volens providere vehementer a Romano Pontifice Paulo III erogaverit, Concilium Tridentinum convocatum saltem primo tempore nonnisi de reformatione morum et de disciplina cleri et populi et de legibus canonicis adaptandis agere debere, Paulus Papa III e contra insistebat, Concilium debere etiam de rebus dogmaticis agere et quidem primo et primario loco. Carolus Imperator sperabat, Concilium per solam reformationem catholicam protestantes ad ecclesiae unitatem reducturum, dum e contrario Paulus felicis recordationis Papa III una cum suis consiliariis Car-

[1] Oratio in inauguranda Synodo Dioecesana Romana, *L'Osservatore Romano,* d. 25-26 ianuarii 1960, p. 1.

dinalibus melius et profundius causas separationis agnoscens recte insistebat, reditum ad unitatem fieri non posse sine praevia explicatione fidei catholicae in hisce praesertim doctrinae capitibus, quae a novatoribus impugnabantur vel male intelligebantur. Ideo felici eventu Paulus Papa III una cum Concilio congregato statuit, ut in unaquaque Concilii sessione capita tam doctrinae quam reformationis tractarentur. Hic modus coniungendi doctrinam cum reformatione non solummodo traditionem omnium Conciliorum antiquorum sequebatur, sed et a Concilio Vaticano I est reassumptus et quasi confirmatus.

Considerantes autem, quae et qualia capita doctrinae a Conciliis Oecumenicis proponebantur, invenimus illas doctrinas declaratas et definitas, quae vel a traditionis catholicae progressu indicatae vel ab erroribus illorum temporum in discrimen vocatae sunt. Spectantes ergo nostrorum temporum circumstantias videmus duo capita doctrinae imprimis in discrimen vocata et vel vehementer impugnata vel verbis et scriptis per totum orbem terrarum discussa.

II. *Refutatio errorum materialismi necessaria videtur*

Materialismus praesertim in forma sic dicti materialismi dialectici magnis opibus suffultus et potentissimis organisationibus socialibus atque politicis adiutus fidem in Deum Creatorem eiusque gubernationem mundi et anthropologiam christianam vehementissime impugnat.

Ecclesia ut custos legis naturae et praeco revelationis intuitu quaestionum et difficultatum supra descriptarum, dignitatem hominis sollemniter proclamet. Talis proclamatio fideles catholicos corroboraret; insuper longe ultra fines Ecclesiae homines diversimodo aberrantes solidaret, christianos vero seiunctos ab Apostolica Sede et saepe interna securitate destitutos redderet securos. Sic revera fieret, ut seiuncti ab Apostolica Sede, audientes talem proclamationem, suave invitamentum acciperent; proclamaretur etenim illud quod omnibus cordi est qui christiano nomine decorantur, eo vel magis quo acrius adversarius adoritur.

Anthropologicum « Symbolum » haec continere deberet:

1. Homo est creatura. Sic enuntiatur et dignitas et limitatio hominis. Peritorum theologorum erit diiudicare, num hoc loco theoria descendentiae respicienda sit vel commentarium pressum in prima capita libri Genesis detur, simili forsan modo, quo Commissio de re Biblica rescripsit anno 1948 Card. Suhard. Putamus talem declarationem a permultis grato animo acceptum iri.

2. Homo est persona, quia praeditus anima spirituali. Ideo est naturalis imago Dei; inde profluit momentum prorsus singulare quod obtinet

homo in universo. Ut persona homo praeditus est libertate et destinatus est ad exercitium libertatis.

3. Homo ut creatura et persona ens est religiosum, cuius existentia a Deo venit et ad Deum ducit.

Natura sua homo quoque est ens morale, ad bonum faciendum ordinatum et legibus conscientiae obstrictum.

4. Non obstante dignitate personae, vel potius propter eam homo ordinatus est ad societatem. Medium locum habet haec veritas inter exaggeratum individualismum et collectivismum, pari modo destruentia dignitatem humanam.

III. *Quaestiones de Ecclesia*

Tam traditionis catholicae lineae in Concilio Tridentino indictae et in Vaticano inchoatae, sed nondum perfectae quam necessitates fratrum christiani nominis separatorum postulare videntur quandam expositionem de Ecclesia Christi. Sicut caput doctrinale de domino Dei in totam creaturam et de dignitate hominis respondet impugnationibus materialismi, ita et altiori modo caput de Ecclesia Christi responderet non solummodo erroribus, sed et quaestionibus summo studio agitatis et desideriis bona fide edictis fratrum christianorum separatorum. Nulla enim alia doctrina tam multis discussionibus et libris et conferentiis apud protestantes agitatur quam quaestiones de Ecclesia eiusque a Domino nostro Iesu Christo volita unitate, de muneribus Ecclesiae, de successione apostolica episcoporum et de primatu Romani Pontificis.

Ioannes Papa XXIII feliciter regnans in Encyclicis Litteris *Ad Petri Cathedram* iam crescentem non paucorum separatorum aestimationem erga Ecclesiam et Sanctam Sedem laudavit, quibus Concilium suave invitamentum ad unitatem quaerendam praebere debet. Ideo quas illi quaestiones de Ecclesia Christi nobis proferunt Concilium praeterire non posse videtur, ne illorum aspirationes bonae frustrentur.

Cum Apostolica Successio sit quasi centrum totius controversiae agitatae in doctrina de Ecclesia etiam episcoporum munus illustrandum videtur. Solummodo tradita doctrina, quam Concilia Tridentinum et Vaticanum I iam exposuerunt, doctrinae de Ecclesia inserenda videtur. Haec doctrina non est coniungenda cum quaestionibus iuris canonici vel administrationis vel consuetudinis ecclesiasticae. Ideo hoc contextu non erit quaestio, utrum episcopis aliqua iura tribuantur, quibus hodie non fruuntur. Si quae sint de hac materia rationabilia desiderata, illa deberent in votis de canonum adaptatione exponi et Sanctae Sedis iudicio unitati Ecclesiae invigilanti relinqui.

IV. *Qua forma et quo modo doctrina Concilii Vaticani II apte proponatur*

1. Revelationis fontes, Sacram Scripturam et Traditionem Pius Papa XII in suis Encyclicis Litteris *Humani generis* vehementer commendavit adiiciens, Deum una cum hisce fontibus vivum dedisse ecclesiae magisterium ad ea quoque illustranda et enucleanda, quae in fidei deposito nonnisi obscure ac velut implicite continentur (Denz. 2314). Quapropter Concilium Oecumenicum ex fontibus Scripturae et Traditionis doctrinam proponendam haurire oportet.

2. Doctrina Concilii clare et intelligibiliter secundum exemplum Concilii Tridentini decretorum v. g. de iustificatione (Denz. 792a-810) et de SS. Eucharistia (873a-882) et Concilii Vaticani I constitutionum dogmaticarum exaretur. Patres Tridentini expressis verbis consentierunt, documenta docentis Ecclesiae ita esse formulanda, ut docti et indocti, sapientes et insipientes ea intellegerent (Conc. Trid. V, 414 26-28). Ideo modus loquendi sacrorum fontium studio iuvenescens ab omni sterilitate amotus adhibeatur (Denz. 2314). Theologia scholastica in Concilio praeparando Sancto Thoma Aquinate duce plurium adiuvabit; terminologia tamen proprie scholastica, quae fratribus separatis difficultatem praeberet, perspicuo modo declaretur et, in quantum fieri potest, modus loquendi Sacrae Scripturae et Patrum adhibeatur, sicut Concilium Tridentinum praesertim in Decreto de iustificatione (sessionis VI) fecit.

3. Argumenta controversa et commenta doctrinalia fratrum separatorum profunde considerentur et in praeparatione schematum tractentur. Attamen in ipsis schematibus opiniones praeiudicatae protestantium vel orientalium separatorum non directe nominentur, ne decreta Concilii controversiarum aspectum accipiant. Opus controversiale a theologis perfici debet, qui decreta Concilii vel praeparant vel postea explanant atque defendunt. Sicut et Concilium Tridentinum nec Lutherum nec Zwinglium nec Calvinum nomine recensuit eorumque errores in capitulis decretorum paucis solummodo locis directe tetigit et errores sine auctorum nominibus in canonibus refutavit; simili modo etiam Concilium Vaticanum I in constitutionibus dogmaticis processit, nam Concilii Oecumenici est definire catholicam veritatem et non controversiarum modo cum adversariis disputare.

4. Tali modo procedentes nullo modo sic dicto irenismo a Pio Papa XII damnato (2308 Denz.) aliquam facimus concessionem, sed doctrinam traditam ex fontibus exponimus eo ipso sensu, quem tenet Sancta Mater Ecclesia. Argumentis separatorum bene consideratis et quaestionibus eorum ex fontibus revelationis responsionem plene catholicam dantes, catholicitas ecclesiae tali lumine repraesentabitur, ut fratres separati

revera illud sentiant invitamentum, de quo Beatissimus Pater Ioannes Papa XXIII pluries loquebatur, dum separati vident « se ad Ecclesiam redeuntes nihil esse perdituros eius boni, quod gratia Dei in ipsis hucusque est natum, sed per reditum id potius completum atque absolutum iri » (Instructio de motione oecumenica d. d. 20 decembris 1949, *A.A.S.*, XLII [1950] p. 144).

B

Consilia et animadversiones circa doctrinam de dominio Dei et de dignitate hominis contra hodiernos materialismi errores a Concilio proclamandam

Gravibus ex causis Episcopi Germaniae censent, Concilii esse, dignitatem hominis ut creaturae Dei, forma brevi ac nervosa profiteri ac proclamare, non solum ad refutandum errores, sed potius ad roborandum fidem saepe impugnatam, immo ad auxilium praestandum hominibus non catholicis et non christianis totius mundi.

I. *Rationum expositio*

1. *Difficultates provenientes ex progressu scientiarum naturalium et artis technicae.*

a) Quamvis vera cognitio naturae rerum et revelatio non sibi invicem contradicere possint, tamen homo huius temporis permagnis et multiplicibus cognitionibus in campo scientiarum naturalium intime percussus est. Sat multae opiniones populares de natura creata, quae hucusque vigebant et in praedicatione fidei quoque simpliciter praesupponebantur, evanescunt. Infideles e contra, et in specie communistae, theorias et cognitiones quae scientia naturali proferuntur tamquam argumenta peremptoria vanitatem fidei demonstrantia usurpant.

b) Homo hodiernus degit in mundo, quem ipse modo hucusque prorsus ignoto instituit, formavit, mutavit. Difficulter inde et aegre tantum hunc mundum sibi subditum, immo seipsum tamquam Dei creaturam et in Deum finem ultimum ordinatum, agnoscit.

c) Non singulis factis quae scientia naturalis moderna offert, sed intellectu et experientia huius mundi hominis dominio obnoxii, securitas ac hilaritas fidei minuuntur vel dubiis debilitantur.

2. *Errores de natura hominis.*

a) Problemata supra delineata aggravantur, quia evolutione ultimorum saeculorum theoretice et practice conceptus materialisticus hominis formatus est vel saltem homo consideratur ut ens quoddam intrinsece et exclusive ad hunc mundum terrestrem pertinens.

b) In tali conceptione de homine variae distinguendae sunt tendentiae variusque respectus formalis, biologicus, psychologicus, sociologicus et alii, quibus hoc unum commune est: homo non est creatura Dei; finem non habet qui ordinem huius mundi transcendit. Homo sic intellectus non agnoscit veritatem absolutam, bonum absolutum, normam absolutam; homo fit denique elementum alicuius processus universalis in sensu monismi. Partim hae ideologiae characterem habent pseudo-religionis vel pseudo-eschatologiae; tunc consequenter actiones pseudo-liturgicae quoque oriuntur. Hoc maxime valet de materialismo dialectico, forma rigidissima saecularismi, quem insuper omni sua potentia res publica totalitaria sustentat.

c) Si homo sic intelligitur ut intrinsece et exclusive ad ordinem huius mundi pertinens, oritur consequenter vel optimismus, in quo homo seipsum etiam ut creatorem sentit; vel pessimismus aut desperatio fatalistica. Hinc quoque via possibilis est ad liberalismum absolutum, qui omnem obligationem respuit, vel ad individualismum, qui socialitatem hominis negligit, vel ad collectivismum qui etiam a Deo provenientes diversitates et differentias inter homines spernit.

d) Permulti homines non tam sunt fautores, quam victima harum ideologiarum, maxime in iis regionibus ubi hae vi politica vel ope mediorum publicitatis divulgantur.

e) In hoc mundo sub influxu et dominio talis saecularismi posito, christianus periculo expositus est quod errores sensim fidem deminuant et debilitent. Aeque possibilis est vel falsa approbatio mundi vel falsa fuga mundi. Aeterna veritas, quod ipse homo a Deo creatus est et finem habet qui hunc mundum omnino transcendit, expallescit et evanescit.

II. *De Forma Proclamationis*

1. *Intuitu conditionis expositae haec opportune praenotanda videntur.*

a) In quaestionibus scientiarum naturalium adhuc disputatis praematurae vel excessivae decisiones difficultates existentes augere possunt. In praeparatione Concilii in hac materia periti theologi una cum homini-

bus cultis in scientiis naturalibus ac simul vere cum catholica Ecclesia sentientibus caute examinent,

ubi libera discussio continuanda sit;
ubi limites determinandi sint;
ubi definitiva declaratio Ecclesiae

forte nunc iam possibilis sit. Exempli gratia haec forsitan tali examini subici possent: Categoriae aristotelicae substantiae et accidentis intuitu conceptus transsubstantiationis; Spatium temporis vel diuturnitas et extensio mundi, origo vitae et origo hominis quoad corpus.

Scientia naturalis et ars technica ne suspicaciter observentur, potius ad intimiorem conceptum Creatoris et operis Eius ducantur; sic etiam influxus et efficacitas causarum secundarum rectius coordinantur.

b) Quoad quaestiones anthropologicas ne primarie errores refutentur, id quod iam clarissime factum est documentis magisterii ordinarii Summorum Pontificum. Potius insistendum videtur in sollemni confessione Dei Creatoris et in dignitate creaturae eius; hoc porro fiat verbis vere religiosis inspiratis a S. Scriptura ita ut fideles aedificentur et solamen accipiant, ac simul ii, qui nondum ad Christi Ecclesiam pertinent, auxilium salutare inveniant.

2. *Convenienter haec fere puncta in proclamatione eluceant*:

a) Ecclesia, in salutem et vitam totius mundi condita, curam habet de homine, cuius dignitas ideologiis saecularibus in universo orbe sparsis tam vehementer periclitatur.

b) Ecclesia dolet de infinito numero hominum, qui sequelis huius ideologiae cruciantur, quia iuribus secundum divinam voluntatem inalienabilibus fraudantur et quia aditus ad veritatem motusque animae in Deum impediuntur.

c) Ecclesia, memor muneris sui, veritatem Dei praedicare — importune, opportune —, memor responsabilitatis suae erga eos quoque, qui nondum in unione cum Christo vivunt, declarat:

Homo omnis, independenter a stirpe vel rasse, a conditione sociali ac confessione religiosa, inamissibilem dignitatem ut creatura Dei Trini possidet.

Homo nunquam intelligendus est ut pars evolutionis intramundanae. Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret, factum hominem, et in Ipso eos quoque qui hoc ignorant, ad aeternam salutem vocaret.

Homo ut imago Dei proindeque ut persona iura possidet inviolabilia; at homo pariter normis immutabilibus ligatus est. Conscientia unius-

cuiusque hoc testatur, id quod divina revelatione comprobatur. Similiter unusquisque inexpugnabilem auctoritatem legis divinae experiri potest, si infinitas calamitates inspicit, quae contemptum et contumaciam illius legis inevitabiliter, sequuntur. Iniuria proinde est omnis ideologia vel modus agendi, quibus dignitas personae, libertas, sociabilitas, ius ad associationes liberas, ad liberum exercitium religionis, ius ad evolutionem individualem et ad proprietatem privatam negantur vel destruuntur.

Homo mandatum a Deo accepit ut terrae dominetur; non licet seipsum nec alios servum facere progressus terrestris, sed ultra hunc mundum caducum homo in vitam futuri saeculi spe et opere tendat.

d) Ecclesia sincere deplorat, quod et ipsa — stante puritate doctrinae et integritate magisterii —, facile indulgendo potestatibus terrenis defectu perspicientiae in singulis membris, negligentia pastoralis muneris et praedicationis, has veritates non satis distincte pronuntiaverit et secundum eas non debita firmitate egerit.

e) Ecclesia igitur monet Episcopos, sacerdotes, laicos, ut omni conatu id efficiant, ne imago Dei in homine adhuc et amplius contaminetur. Vera charitate christiana praeprimis unumquemque amplectentes vulnera sanent, quae gravibus erroribus illata sunt.

f) Ecclesia quotidie ad aram Dei sacrum Christi sacrificium litans fratres omnes ac sorores amplectitur, apprime iis suffragans, qui miseria falsi ordinis intramundani graviter afficiuntur.

C

Consilia et animadversiones circa doctrinam de Ecclesia a Concilio proponendam

I. *Quare doctrina de Ecclesia Christi praecipuum sit caput doctrinae in Concilio Oecumenico futuro proponendum.*

1. Omnes hodie norunt, ecclesiologiam principalem esse doctrinam controversam inter catholicos et protestantes. Considerandum est, omnes saeculi XVI Reformatores tentamen fecisse vindicandi sibi auctoritatem S. Augustini praesertim in doctrina de Ecclesia. Quare huius Ecclesiae Doctoris, de quo Pius Papa XI merito dicebat « noster est », doctrina de Ecclesia specialiter in elaborandis schematibus consideretur. Revera enim S. Augustinus duplicem praebet aspectum Ecclesiae, visibilem atque invisibilem, empiricum et spiritualem, attamen nullo modo intendebat, aliquam ecclesiam spiritualem seiungere atque separare ab ecclesia visi-

bili catholica.[2] Lutherus autem doctrinam Sancti Augustini nominalistico sensu interpretans disrupit externa et iuridica vincula unitati Ecclesiae eiusque structurae hierarchicae a Domino provisa. Lutherani insuper sacramenta ad minimum reducentes coetum sola fide iustificatorum ecclesiam proprie dictam invisibilem declarabant, dum Zwinglius et Calvinus ipsi etiam Augustinum sibi vindicare conantes coetum praedestinatorum ecclesiam invisibilem dicebant, quae secundum Calvinum in verbo Dei praedicato et in sacramentis administratis et in disciplina ecclesiastica fit visibilis. Haec dilaceratio et separatio Mystici Corporis Christi ab ecclesia visibili, cuius structura hierarchica et sacramentalis negatur, est quasi cardo totius controversiae inter catholicos et protestantes de Ecclesia.

2. Concilium Tridentinum praemature die 4 decembris 1563 debuit finire et ideo quasdam partes solummodo controversiarum illo tempore maxime agitatas potuit iudicare. Revera Concilium Tridentinum distincte et praecise illas fidei catholicae veritates a novatoribus in discrimen vocatas in tutas contra protestantium errores formulas redegit. Episcopus Hieronymus Ragasonus ideo omnino recte in ultima sessione patribus congregatis declaravit, tam definitionem doctrinae quam disciplinae restitutionem a Concilio mirando modo praestitas esse « pro temporum horum ratione ». Sed Patres Tridentini temporum iniuriis impediti opus suum doctrinale non potuerunt perficere et ideo doctrinam de Ecclesia non definiverunt, quamvis circa illam omnes errores protestantium vel incipiunt vel consummantur, ita ut merito dici possit: Tam tempore Concilii Tridentini quam nostris temporibus ecclesiologia est quasi centrum controversiae, in quod omnes aliae controversiae converguntur.

3. Reformatores ipsi hoc non clare viderunt et magna contentione affirmabant, doctrinam de iustificatione esse cardinem controversiae, quem Lutherus dicebat articulum esse stantis et cadentis ecclesiae. Patres Tridentini omnino recte videbant, Lutheri et Calvini iustificationis doctrinam ex falsa de peccato originali doctrina originem ducere et ex hisce praemissis sacramenta sensu catholico vel negari vel minui et erronee interpretari. Doctrinam etiam de Ecclesia Patres Tridentini in definienda doctrina de Traditione, de iustificatione et praesertim de sacramentis tetigerunt quidem, sed nondum plenam proposuerunt, cum primo loco traditam fidem contra impetum contentionis protestanticae de iustificationis doctrina defendere vellent. Opus Concilii defendens et quasi prosequens S. Robertus Bellarminus in suo opere admirando de Controversiis eccle-

---

[2] Cf. St. J. GRABOWSKI, *The Curch.* An Introdution to the Theology of St. Augustin, St. Louis and London, 1957, p. 269, pp. 209-229.

siologiam catholicam late exposuit, quia praesertim in hoc capite doctrina Concilii Tridentini adhuc erat perficienda. Catechismus Romanus, quem Ioannes Papa XXIII in Synodo Dioecesana Romana plurimum commendabat, declarat, in articulo de Ecclesia multo plures errare ac decipi quam in incarnationis mysterio et « deinde, si quis hanc veritatem (de ecclesia) firmo animo conceptam habuerit, facile horrendum haeresis periculum effugiet ».[3]

4. Concilium Vaticanum I schema de Ecclesia Christi magna cura praeparaverat, opus doctrinale theologorum Thomassin, Ioannis Adami Möhler, Pilgram et Scheeben et imprimis Passaglia et Schrader quasi colligens et proponens. Notandum videtur, theologum Clementem Schrader S.I. ecclesiologiam ex christologia et soteriologia quasi deduxisse et iam plurimas protestantium difficultates solvisse.[4] Haec structura christologica ecclesiologiae omnino servetur et ut principium totius novi schematis elaborandi sumatur.

5. Notum est, Concilium Vaticanum I solummodo partem de Primatu Romani Pontificis definire potuisse relictis propter temporum adversitates reliquis capitulis schematis de Ecclesia Christi. Attamen haec quasi divinitus provisa videntur duabus ex causis:

a) Tali modo Concilium Vaticanum I definiendo Primatum et Infallibilitatem Romani Pontificis feliciter viam aperuit ad elaborandam Constitutionem plenam de Ecclesia Christi, quae in Concilio Tridentino non solummodo per exteriores temporum circumstantias, sed etiam praecise propter primatum iam creditum sed nondum definitum impediebatur. Omnes periti sciunt, hac de causa ultimam Concilii periodum in quaestione de residentia episcoporum (utrum iuris sit divini vel mere ecclesiastici) multum laborasse et quasi immovibilem factam esse per plurimos menses. Nunc autem tali impedimento divina favente providentia remoto plena quaedam de Ecclesia doctrina expedite confici potest.

b) Tam studia biblica et patristica quam disquisitiones systematicae et speculativae post Concilium Vaticanum inita et ad nostra usque tempora protracta plenius et perfectius e fontibus sacrae scripturae et traditionis ecclesiologiam eiusque principia elaboraverunt. Quorum studiorum fructus nunc quasi in unum sunt redigendi.

c) Motiones liturgica et biblica sensu fidei exortae tam apud clericos quam apud pios laicos in ultimis decenniis foverunt et auxerunt

---

[3] Cat. Rom. ex decreto Conc. Trid., Part. I, cap. 10, n. 1.

[4] Cf. H. Schauf, *Die Ekklesiologie des Konzilstheologen Clemens Schrader S. J.*, Freiburg 1959, pp. 51-99, 128-151, 439-477: Protestantium difficultates solvuntur.

intellectum fidei et pietatem erga sanctam matrem Ecclesiam. Quae motiones Litteris Encyclicis Pii Papae XII *Divino afflante spiritu* et *Mediator Dei* summopere nutriebantur.

6. Quaestio de Ecclesia Christi primi ordinis est inter protestantes cuiuscumque denominationis. Melius quam saeculis elapsis etiam cognoscitur, hoc in capite quasi omnes radios controversiarum cum catholicis in unum centrum colligi et convergi, ita ut « episcopus evangelicus » Dr. Hanns Lilje in synodo lutherana Lübeckensi mense octobris 1959 habita aperte declarabat, quaestionem de ecclesia, eius unitate, principale hodie esse argumentum, de quo cum catholicis sit disputandum, quamvis aspectus lutheranus ab intellectu catholico omnino esset diversus. Revera dici oportere. Et haec tendentia ecclesiologiae variis apud separatos manifestatur modis:

a) Studia biblica plures praestantissimos protestantium theologos ad invenienda in sacra scriptura vestigia et « primitiva elementa » Ecclesiae catholicae (frühkatholische Elemente) perduxerunt. Sic. v. g. invenerunt apud Matthaeum et Lucam et in epistolis pastoralibus S. Pauli Apostoli structurae hierarchicae et etiam successionis apostolicae episcoporum elementa, apud S. Ioannem structuram christologicam et sacramentalem Ecclesiae. Immo etiam primatum S. Petri Apostoli quidam theologi et etiam unus aliusve moderator lutheranarum communitatum agnoverunt, insuper dicentes, successionem primatus in Romano Pontifice per se non esse impossibilem, sed a scriptura non probatam. Quidam ministri lutherani etiam hanc successionem accipientes a superioribus suis sunt ab officio suspensi, quia per confessionem Primatus Romani Pontificis aperte symbolis reformatis saeculo XVI compositis contradixerint. Illi ministri lutherani v. g. Richardus Baumann et Maximilianus Lackmann contra hanc suspensionem vehementer insurgunt affirmantes, se sola scriptura, quae sit suprema lutheranorum norma credendi, ad confessionem Primatus Romani Pontificis pervenisse, et cum scriptura sit unica norma normans, symbola autem illa solummodo normas a scriptura normatas, se opus Reformatorum tantummodo correxisse.

b) Communitates separatae per quandam interiorem logicam perducuntur ad accipienda saltem per imitationem imperfectam quaedam ecclesiastica instituta proprie catholica. Sic lutherani deficiente apostolica successione episcoporum, cuius loco Lutherus successionem fidelium vel fidei volebat statuere, quattuor post saecula quoddam episcopale munus de novo statuerunt et titulum « episcopi evangelici » moderatoribus ecclesiarum suarum regionalium dederunt. De successionis apostolicae sensu et quomodo illa cum principiis lutheranis Confessionis Augusta-

nae queat componi et iterum de quadam iurisdictione episcopali quaestiones plurimae moventur et disquisitiones variae elaborantur.

Eodem modo studiis biblicis et patristicis cognoscitur, traditionem cum successione apostolica intime esse coniunctam, ita ut v. g. Ioannes Rückert, professor theologiae protestanticae in Universitate Tübingensi, aperte declaravit, romano-catholicam ecclesiam omnino veraciter edicere, traditionem dogmaticam una cum scriptura fontem fuisse definitionum Conciliorum antiquorum. Hodierni lutherani loco traditionis catholicae accipiunt quasi traditionem symbola reformata, v. g. Confessionem Augustanam, affirmantes, illa symbola et summam scripturae in lucem edidisse et ideo sub eorum ductu et lumine scripturas sacras esse interpretandas. Walther von Loewenich, professor theologiae protestanticae in Universitate Bonnensi, in Instituto confessionali protestantico Bensheimensi Germaniae februario 1960 aperte declaravit, ecclesias lutheranas quodammodo solutionem « parvo-catholicam » accepisse. Quae omnia si bene considerantur, videndum erit, quomodo vera et completa ecclesiologia catholica temporum voci correspondeat.

c) Motio Oecumenica quaestiones de Ecclesia Christi de eiusque unitate in primum planum totius discussionis theologicae attulit. Quamvis Secretarius Generalis Consilii Oecumenici Ecclesiarum, Dr. Visser't Hooft, declaraverit, tale consilium nullo modo unicam ecclesiam vel quandam supra-ecclesiam velle constituere, sed solummodo nexum et foedus inter varias singulas ecclesias, nec illud consilium ullam sibi usurpari auctoritatem statuendi communem doctrinam vel leges imponendi, tamen quaestio quomodo unitas diversarum ecclesiarum perfici possit, numquam soluta, animos de novo semper excitat. Nam unitatem solummodo invisibilem esse atque in eo consistere, ut plurimae doctrina, cultu divino et vita ecclesiastica distinctae ecclesiae in Christum tamquam Deum et Salvatorem credant et singuli fideles Christo invisibiliter sint coniuncti, haec declaratio plurimis illo Consilio unitis ecclesiis omnino displicet. Tam Orthodoxi ab unitate Apostolicae Sedis separati quam sic dicti Anglo-catholici vehementer insistunt, episcopatum sacramento ordinis collatum et successionem apostolicam episcoporum necessario ad constituendam ecclesiam eiusque unitatem pertinere. Lutherani, qui ecclesiam per verbi Dei praedicationem et sacramentorum distributionem agnoscendam contendunt, ex una parte Orthodoxis et Anglocatholicis resistunt, ex altera parte unitatem ecclesiasticam super articulos symbolorum a Reformatoribus acceptos fundari debere nec solummodo invisibilem fieri posse affirmant. Quapropter dicunt, communionem in coena Domini communem de eucharistiae sacramento doctrinam postulare.

Quamvis Divinae Providentiae arcana consilia omnem humanam superant cognitionem, attamen non sine Spiritus Sancti movente afflatu generale separatorum desiderium videtur exortum quaerendi Ecclesiae Christi unitatem, cuius a Domino posita fundamenta, nondum vel inchoative tantum agnoscunt. Ex his temporum circumstantiis exoritur quaedam urgens necessitas, separatis fratribus veram et plenam de Ecclesia Christi eiusque tam unitate quam catholicitate doctrinam tali modo ante oculos ponendi, ut secundum Ioannis Papae XXIII feliciter regnantis effatum « suave sentiant invitamentum quaerendi et inveniendi illam a Domino volitam unitatem ».

II. *Doctrina de Ecclesia Christi ita a Concilio Oecumenico definiatur, ut e fontibus revelationis respondeat quaestionibus separatorum illisque fiat invitamentum ad quaerendam unitatem catholicam.*

In ultima sessione Concilii Tridentini episcopus Hieronymus Ragasonus pro patribus congregatis sollemniter declaravit, Concilium protestantes pluries invitavisse, ut cum delegatis a Concilio deputatis causas controversas secundum sacram scripturam et traditionem discuterent. Deinde adiecit: « Optandum summopere fuisset, ut una cum illis haec agerentur, quorum potissimum causa tractata sunt: absentium tamen incolumitati atque saluti ita provisum est, ut alia ratione provideri, si adfuissent, non potuisse videatur ».

Haec verba aliquo modo etiam ad munus Concilii futuri Vaticani II videntur applicanda. Etenim, ut capita doctrinae de Ecclesia Christi revera fratribus separatis praebeant invitamentum, tali modo debent proponi, ut quaestionibus separatorum e fontibus revelationis respondeant. Omne ergo quod latet veritatis in commentis protestantium a falsis eorum adiectis est liberandum et in recta cohaesione cum tota veritate catholica illustrandum. Quaestiones protestantium ad sollertiorem perscrutationem theologicam provocare nos debent, ut iam factum est pro temporum illorum ratione a Patribus Tridentinis.

Talis perscrutationis splendidum exemplum Caietanus Cardinalis praebet in suo opere « De fide et operibus adversus lutheranos » anno 1532 Romae edito. Caietanus ibi mirando modo veritatem in commentis lutheranis a falsis liberat et deinde illam veritatem declarat per alias fidei veritates, praesertim per doctrinam de Corpore Mystico.

Schema « De Ecclesia Christi » a Concilio Vaticano praeparatum, in quantum doctrinam de Corpore Mystico posuit fundamentum ecclesiologiae, praeludium est novi schematis futuri Concilii. Tota haec enim doctrina super fundamentum doctrinae S. Pauli Apostoli, S. Augustini,

Patrum Orientalium et S. Thomae Aquinatis de Christo tamquam capite Mystici Corporis exponatur, ut iam Pius Papa XII in suis Encyclicis Litteris *Mystici Corporis* exemplariter proposuit. Hae Litterae demonstrant, doctrinam de Ecclesia Christi structuram habere christologicam et — quod magni est momenti — tantam habere amplitudinem, ut etiam doctrinam de praesenti statu naturae hominis eiusque ultimo fine, de peccato originali, de iustificatione et de sacramentis quasi amplectatur. Tali modo omnes quaestiones inter catholicos et protestantes controversae connectuntur cum illo centro, in quo revera ultima ratio omnium controversiarum consistit. Et ita plurimae controversiae in luce Ecclesiae Christi melius solvuntur, quam si singulis erroribus singulis catholicis doctrinis respondeatur. Notandum quod iam Encyclicae Litterae *Mystici Corporis* et *Mediator Dei* apud non paucos protestantes admirationem excitaverunt, immo etiam consensum saltem partialem quorundam eorum.

Quaedam nunc principalia desiderata proponantur:

1. Doctrina de Corpore Mystico est locus theologicus totius doctrinae de Ecclesia Christi, ut ex Litteris Encyclicis Pii Papae XII patet. Tali modo structura christologica Ecclesiae solide declaratur,[5] et regale dominium Christi, cui populus Dei, id est Ecclesia, oboedienter est subiectus, clarius venit in lucem. Qua expositione praeiudicatae quaedam protestantium opiniones contra structuram hierarchicam Ecclesiae superantur. Ioannes Papa XXIII feliciter regnans Ecclesiam « ancillam » Domini nominavit. Hac in re, quia apud protestantes plurimum valet auctoritas S. Augustini, doctrina illius Doctoris adhibeatur, quam auctores recentiores exposuerunt.[6]

2. Contra protestantium modernorum conceptum mere existentialisticum et « dramaticum » relationis religiosae hominis ad Deum excludentem permanentes institutiones ecclesiasticas catholica doctrina argumentis biblicis et patristicis defendatur.

Potestates hierarchicae in Ecclesia a Domino constitutae revera etiam ministeria sunt, quibus Christi Regis voluntas oboedientia fideli exercetur. Quidam protestantes magna contentione Christi verba usurpari conantur, quibus suos apostolos ut ministros et non ut modo gentilium dominantes declarat (*Lc.* 22, 24-30; *Mt.* 20, 25 ss.; *Mc.* 10, 42 ss.), non intelligentes, secundum ipsa Christi verba adesse veram potestatem tam

---

[5] *S. Th.,* III, q. 19, a. 4; q. 8, a. 1, a. 5, a. 6.

[6] V. g. STANISLAUS J. GRABOWSKI, *The Church. An Introduction to the Theology of St. Augustin,* St. Louis (Herder-Book) 1957; FRIDERICUS HOFMANN, *Der Kirchenbegriff des hl. Augustinus,* München 1932.

primatus quam episcopatus, sed ut ministrorum Christi. S. Thomas hoc pulchre illustrat dicens: « Christi Vicarius suo primatu et providentia universam Ecclesiam tamquam fidelis minister Christo subiectam conservat ».[7] Hic aspectus catholicae unitatis plurimum valet qui dissidentium corda ad unum ovile Christi attrahere possit; ideo secundum traditionem tam Orientis quam Occidentis sit exponendus. Formula illa « extra Ecclesiam nulla salus » declaretur contra obiectiones protestantium.[8] Relationes christianorum separatorum, qui valide baptismi sacramentum susceperunt, ad Ecclesiam catholicam secundum normas Enc. Litt. *Mystici Corporis* et Litterarum S. Officii d. d. 8 augusti 1949 archiepiscopo Bostoniensi U.S.A. transmissarum exponatur.[9] Illustretur insuper, quo sensu communitates separatae vestigia ecclesiae retinuisse dicantur.

3. Ad normam doctrinae Concilii Vaticani I (Denz. 1821-1840) et Litterarum Encyclicarum Leonis Papae XIII *Satis cognitum* (*A.A.S.*, XXVIII [1896] p. 732) et *Mystici Corporis* Pii Papae XII (Denz. 2287) elaboretur doctrina de episcopatus institutione, quae sacrae scripturae testimoniis confirmetur et verbis Sanctorum Ignatii Antiocheni et Irenaei Lugdunensis explicetur. Etenim cum Successio Apostolica episcoporum et Romani Pontificis praecipua sit doctrina, qua a Lutheranis et Calvinistis seiungimur, haec doctrina perlucide videtur exhibenda. Et cum protestantes Apostolicae Successioni successionem fidei opponere conentur et praedicationem evangelii apostolicam, non autem apostolicam successionem episcoporum a Christo institutam esse affirment, magnae est utilitatis, si secundum Irenaei Lugdunensis doctrinam nexus intimus inter legitimam apostolicam episcoporum successionem et puram Evangelii praedicationem rectamque sacramentorum administrationem declaretur. Quae declaratio forsan multorum bona fide errantium corda ad veritatem catholicam attrahere posset.

Ut autem fratres Orientales separati, qui nobiscum successionem apostolicam confitentur, validum sentiant invitamentum ad quaerendam unitatem, demonstretur, quomodo doctrina de Primatu Romani Pontificis a Concilio Vaticano definita nihil innovaverit in traditionali de Ecclesiae constitutione hierarchica doctrina, ut iam Leo Papa XIII in suis Litteris Encyclicis *Satis cognitum* valide declaravit.[10] Illa definitio

---

[7] Contra errores Graecorum, cap. 32.

[8] Cf. JEAN HERVÉ NICOLAS, O. P., *L'œuvre doctrinale de S. S. Pie XII*, in *Freiburger Zeitschrift f. Phil. u. Theol.*, Nr. 6 (1959), pp. 401-409.

[9] *American Ecclesiastical Review*, 1952, pp. 307-311.

[10] Ch. P. UMBERTO BETTI, *Natura e portata del Primato del Romano Pontefice secondo il Concilio Vaticano*, in *Antonianum*, tom. XXXIV (1959), pp. 402-

Vaticana revera obstacula removit et viam aperuit ad definiendum episcoporum munus erroribus Conciliarismi, Gallicanismi et Febronianismi definitive superatis et reiectis. Nunc sine periculo et sine ulla offensione doctrina de episcopatus muneribus evolvi et ecclesiologiae inseri potest, cum « unitatis principium ac visibile fundamentum » in Primatu Romani Pontificis feliciter sit definitum (Denz. 1822).

Ex parte fratrum Orientalium separatorum theologus notissimus Florowsky insinuat viam, qua difficultates Orientalium possint superari declarans, Concilium Vaticanum I post definitionem Primatus et Infallibilitatis Romani Pontificis interruptum et suspensum reliquisse illam definitionem quasi isolatam et separatam a completa quadam ecclesiologia et hac de causa minus acceptabilem ab orthodoxis separatis. Si autem Concilium Vaticanum, ut suggerit Florowsky, munera aliorum membrorum Corporis Christi et praesertim episcoporum secundum perennem traditionem Ecclesiae definiret, tunc Primatus et Infallibilitas melius in suis relationibus ad totam Ecclesiam apparerent, et hoc assensum Orientalium facilitaret.[11] Hic notandum videtur, iam Concilium Vaticanum I illas relationes breviter memorasse, v. g. in Constitutionis Dogmaticae de Ecclesia Christi prooemio (Denz. 1821), in capite 3 (Denz. 1828) et etiam in capite 4, cum de conciliis oecumenicis et « explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia » (Denz. 1836) agitur. Quae relationes clarius in lucem ponantur, ut praeiudicatae opiniones fratrum separatorum veritate antiquitus tradita superentur.

4. Visibilitas Ecclesiae ex principio christologico declaretur: Sicut in Christo invisibilis natura divina et visibilis natura humana in persona Verbi Divini sunt unita, ita et Ecclesia ex una parte est mysterium, fide solummodo cognoscendum,[12] ex alia parte « propter eam rem quod corpus est, oculis cernitur Ecclesia ».[13] Haec doctrina ad normam Encyclicarum Litterarum Mystici Corporis proponatur, cuius ductu etiam constitutio hierarchica ecclesiae eiusque habitudo ad charismaticos declaretur.[14]

---

408. Conferenda etiam esset Declaratio collectiva Episcoporum Germaniae ineunte anno 1875 de relatione inter primatum Romani Pontificis et episcopatum publicata et a Pio IX Summo Pontifice die 2 martii 1875 in forma sollemni per Litteras Apostolicas confirmata. Vide textum in J. NEUNER-ROOS, *Der Glaube der Kirche,* Regensburg 1959, Nr. 388 a.

[11] Cf. CARLO BOYER, S. I., *In attesa del Concilio Ecumenico,* in *L'Osservatore Romano,* d. 30 ianuarii 1960, p. 4.

[12] Cat. Rom., Pars I, cap. 10, nr. 20.

[13] LEO XIII, *Satis cognitum, A.A.S.,* XXVIII, p. 710; similiter PIUS XII, *Mystici Corporis,* ed. Friburgi Brisgoviae 1947, p. 18.

[14] *L. c.,* pp. 18-22.

Hoc loco, sicut iam insinuant Litterae *Mystici Corporis,*[15] quaedam « theologia laicatus » est inserenda, quae iam in Catechismo Romano tractante de regali sacerdotio christianorum et de characteribus sacramentalibus [16] adumbratur. Doctrina Summorum Pontificum Pii XI, Pii XII et Ioannis XXIII feliciter regnantis in Encyclicis Litteris *Princeps Pastorum* hoc caput ita explanavit, ut hodie conspectus totius huius doctrinae facile inveniatur.[17]

Notandum munus laicorum in Ecclesia nullo modo per quendam minimalismum in doctrina de hierarchica structura Ecclesiae provehi posse. Doctrina tradita de effectu sacramentorum baptismatis et confirmationis et de Spiritu Sancto in anima iustorum inhabitante, quam Pius Papa XII in Litteris Encyclicis *Mystici Corporis* explanavit, nullo modo magisterio Summi Pontificis et Episcoporum obviat, ut in iisdem Litteris apparet. Haec doctrina catholica hodie etiam a separatis melius intelligitur. Immo non raro ipsi auctores protestantici de hac quaestione tractantes profitentur, se a catholicis auctoribus valida argumenta de laicorum munere christiano suscepisse.[18]

Provideri insuper possit, quomodo laici instructi in rebus sociologicis et in quaestionibus ethicis quodam permanenti modo sua consilia auctoritatibus ecclesiasticis possint praebere. Memorandum est, peritos laicos catholicos in elaborandis schematibus Synodi Dioecesanae Romanae mense ianuarii 1960 celebratae adhibitos esse. Idcirco etiam in praeparatione Concilii Oecumenici in quibusdam quaestionibus validum afferre possent iuvamen.

5. Relatio auctoritatis magisterii ecclesiae ut custodis et interpretis verbi Dei scripti vel traditi ad auctoritatem verbi Dei revelati declaretur: Ecclesiae fides per verbum Dei revelatum dirigitur, nec dicimus Ecclesiam dominare verbo Dei, sed illud verbum in oboedientia erga Deum revelantem fideliter custodire et interpretari.[19]

Etenim protestantibus est quaestio, quomodo se habeat auctoritas Ecclesiae ad auctoritatem Dei quasi cardo omnium hodiernarum controversiarum. In Litteris communibus « episcoporum evangelicorum »

---

[15] *L. c.,* p. 20.

[16] Cat. Rom., Pars II, cap. 7, nn. 23 et 31.

[17] Cf. bonum conspectum apud G. PHILIPS, *L'état actuel de la pensée théologique au sujet de l'apostolat des laics,* in *Ephemerides Theol. Lovanienses,* annus 35 (1959), pp. 877-903.

[18] Exemplar apud G. PHILIPS, *l. c.,* pp. 901-902; H. KRAEMER, *A Theology of Laity,* London 1958 (auctor anglicanus).

[19] Cf. FRANZELIN, *De divina traditione,* Romae 1882, thes. 18, corollar. 4.

Germaniae anno 1950 circa definitionem B.M.V. in coelum assumptae publicatis et ubique in ecclesiis lutheranis praelectis affirmabatur, catholicam Ecclesiam non solummodo sacrae scripturae sed et traditionis sensu Vincentii Lirinensis intellectae auctoritatem reliquisse et dolendo modo nova obstacula inter christianos separatos erexisse. Walther von Loewenich in quodam opere pluries redito et passim pervulgato [20] contendit, scripturam sacram in Concilio Tridentino per stabilitam traditionem enervatam et arbitrario iudicio magisterii ecclesiastici subiectam esse, deinde autem et ipsam traditionem in Concilio Vaticano I Ecclesiae magisterio regendam subiectam esse. Sic catholicam Ecclesiam veritatem revelatam parvipendisse et suae « humanae » licentiae subiecisse.

Alius auctor protestantium, nomine Carolus Steck, scribens « De veritate christiana et de controversia Confessionum » dicit, antithesim lutheranam contra magisterium catholicae Ecclesiae nunc de novo acriter erupisse circa quaestionem, quomodo se habeat auctoritas Ecclesiae ad auctoritatem Verbi Dei.[21] Quam habitudinem omnino false intelligit, sicut et W. von Loewenich et supra citati moderatores lutherani. Ut praeiudicatae opiniones protestantium etiam bona fide errantium facilius superentur, quaedam declaratio desideranda esset. De cetero iam W. von Loewenich concedit, lineam quandam doctrinalem logice protractam ducendam esse a S. Irenaeo Lugdunensi, S. Cypriano, S. Augustino et S. Thoma usque ad Concilia Tridentinum et Vaticanum.

Revolutio enim lutherana principaliter non tam in nova eius doctrina de iustificatione, quam potius in eius doctrina de sola scriptura consistit, qua verbum Dei revelatum ab interpretatione magisterii Ecclesiae solvebatur et solummodo per seipsum interpretandum intellegebatur.

Dum Calvinus doctrinam de inspiratione catholicae fidei valde proximam retinebat, Lutherus ulterius progrediens verum verbum Dei in ipsa sacra scriptura quaerendum esse affirmabat. Quomodo autem hoc verbum Dei in scriptura sit inveniendum? Lutherus et Melanchton suffulti principio, illud tantum esse verbum Dei « quod Christum movet (was Christum treibe) » sacras paginas aprioristico hoc hermeneutico ad normam suae iustificationis doctrinam eclectico modo interpretabantur. Primo loco verbum Dei a magisterio Ecclesiae, postea autem

---

[20] W. VON LOEWENICH, *Der moderne Katholizismus,* Witten 1955, opus deinde pluries de novo editum.

[21] *Der Protestantismus heute,* Berlin 1959, p. 132; cf. etiam KARL VON HASE, *Handbuch der protestantischen Polemik gegen die katholische Kirche,* 7 Aufl., Leipzig 1900. K. von Hase quodammodo iam obiectiones auctorum modernorum contra catholicum traditionis conceptum antecepit.

etiam ab ipsis symbolis Reformatorum separabatur et hac via ingens chaos hodiernum et innumerabiles variationes theologicae in protestantismo moderno oriebantur. Mirandum tamen videtur, quam multa dona ab Ecclesiae catholicae fidei deposito derivata apud simplices protestantes adhuc vigere et pietatis fomentum praebere. Quibus donis ultimis temporibus magnum desiderium Ecclesiae eiusque unitatis excitatur.

Lucide ergo doctrina catholica de relatione inter magisterium Ecclesiae et verbum Dei scriptum vel traditum proponatur.[22] Cuius doctrinae elementa iam in Conciliis Tridentino et Vaticano magna ex parte sunt invenienda.

6. Dignitas sacrae scripturae ut verbi Dei inspirati exhibeatur una cum quadam expositione efficaciae salutaris verbi Dei praedicati et crediti.[23] Dum protestantes praesertim reformatae confessionis omne opus salvificum in verbo quasi includere conantur sacramenta solummodo ut « verba visibilia » intelligentes, debemus ex scriptura et traditione declarare verbum Dei ut doctrinam salutis et insuper ut virtutem Dei in Spiritu Sancto, qua Christus corda fidelium tangit, mentes illuminare et per virtutem suam aliquo modo praesens esse. Intima connexio verbi Dei crediti cum sacramentis, cum Ecclesia et cum Christo capite demonstretur, sicut et nexus inter fidem et sacramentorum receptionem.[24] Cum Concilia Tridentinum et Vaticanum aspectum cognitivum et intellectualem iam contra thesim fidei solummodo fiducialis clare demonstraverint (Denz. 789 et 1795), desiderandum relinquitur, ut etiam aspectus personalis et christologicus fidei apertius exponatur.[25]

7. Nexus inter Christum caput, Ecclesiam et sacramenta declaretur ad normas traditionis v. g. a S. Augustino et S. Thoma Aquinate expositae. « Negligentia principiorum dirigentium synthesim augustinianam explicat stagnationem et decadentiam theologiae sacramentorum in saeculis XV et XVI » et « oblivio dimensionis ecclesiologicae directe perducit ad theologiam individualisticam Reformatorum ».[26] Patres Tridentini aperte declaraverunt, se doctrinam traditam de sacramentis con-

---

[22] Cf. AUGUSTINUS BEA, S. I., « *Religionswissenschaftliche* » *oder* « *theologische* » *Exgese? Zur Geschichte der neueren biblischen Hermeneutik,* in *Biblica,* Jg. XXXX (1959), pp. 322-341.

[23] Cf. optimam illam doctrinam de dignitate et efficacia verbi Dei inspirati, quam Eminentissimus Augustinus Cardinalis Bea in Congressu Liturgico Assisiensi proposuit.

[24] *S. Th.,* III, q. 62, a. 5, ad 2. Cf. etiam LOUIS VILLETTE, *Foi et sacrament, du Nouveau Testament à Augustin. Pour un dialogue entre les églises,* Paris 1959.

[25] *S. Th.,* II-II, q. 11, a. 1, c. a.

[26] L. VILLETTE, *l. c.,* p. 326.

tra errores protestantium tueri et defendere velle (Denz. 843a). Ideo sapienter pro illorum temporum ratione errores solummodo canonibus refutaverunt, tali modo catholicam doctrinam hisce erroribus oppositam affirmantes plenam sacramentorum expositionem posteris Conciliis relinquentes, quae illam in ecclesiologiam insererent. Clarissimus auctor Hubertus Jedin recte demonstrat, quomodo « canones de sacramentis revera clamant, ut sacramentorum relatio ad intimam essentiam structuramque hierarchicam Ecclesiae declaretur. Hisce relationibus et habitudinibus tam numerus septenarius quam res sacramentorum multo melius comprehenderentur atque amplitudo et profunditas universitatis sacramentorum intelligibiliores efficerentur ».[27]

Notandum autem iam Decretum pro Armenis (Denz. 695-702) aliquo modo relationes ecclesiologicas sacramentorum declaravisse, quas S. Thomas Aquinas exposuerat.[28] Concilium ergo Vaticanum II complens munus Concilii Tridentini sacramentorum doctrinam plene cum christologia, soteriologia et ecclesiologia coniungat.

8. Encyclicae Litterae *Mystici Corporis* clarissimum praebent exemplum, quomodo doctrina de gratia et iustificatione cum ecclesiologia sit intime coniuncta. In novo schemate « De Ecclesia Christi » elaborando haec doctrina, quam protestantes dicunt articulum stantis et cadentis Ecclesiae, tali modo inseratur, ut praeiudicatas protestantium opiniones fortiter superet.

a) Loquendo de statu humanae naturae lapsae et per redemptionem Christi reparandae differentia exponatur inter conceptum mere philosophicum liberi arbitrii et christianam illam libertatem, qua Christus nos donavit et de qua loquitur S. Paulus Apostolus.

Hoc loco etiam breviter dignitas hominis ad imaginem Dei creati exponatur, ut tali modo errores materialismi hodierni reiciantur et superentur, nam hi errores nostris temporibus maximum constituunt periculum.

Hodierna condicione Ecclesia indicitur, ut praeter principia legis naturae proclamet dignitatem hominis specifice christianam i. e. anthropologiam catholicam.

Non sufficere videtur simplex refutatio theseum adversarii, quod sint contra legem naturae. Contra diabolicam depravationem ponatur omni suggestu ac vi dynamica, animam intrinsecus movente, quod dignitas hominis quaerenda sit in eius elevatione ac redemptione.

Homo elevatus manet creatura, sed creatura in gratia constituta. No-

---

[27] H. JEDIN, *Geschichte des Konzils von Trient*, Bd. II, pp. 332-333.

[28] Cf. S. THOMAS, *De articulis fidei et Ecclesiae sacramentis*, quo opuscolo Decretum pro Armenis utitur.

vit seipsum a Deo aeterna caritate amatum; habet aditum ad Patrem et gaudet auxilio, quod in sacramentis praesto est.

Membrum est populi regalis-sacerdotalis. Est membrum liberum Ecclesiae, sed pro Ecclesia responsabile.

Talis declaratio prae oculis habeat imaginem Ecclesiae ut populi sancti Dei. Inde laicus in Ecclesia non ex defectu relate ad clericum declarabitur, sed potius ex conditione et missione christiani baptizati ac confirmati.

Omnia quae in revelatione deposita sunt de novissimis eo vel magis exponenda sunt, cum dominium mundi in technica, oeconomia, scientia simulque perversio in eschatologiam terrestrem tam manifeste appareat; solum ab Ecclesia homo docetur, quomodo se mundo devoveat simulque se a mundo abstineat. Neque obliviscendum est praedicationem de novissimis hodie nimis negligi.

b) Concilium Tridentinum iam lucide hominis iustificationem cum opere redemptionis Christi coniunxit (Denz. 794). Desiderandum esset, mortem et resurrectionem Christi specialiter cum remissione peccatorum et cum sanctificatione iustorum coniungi, ut S. Thomas interpretans illud *Rom.* 4, 25 optime demonstravit.[29]

c) Coniunctio iustificationis cum Ecclesia iam in Enc. Litt. *Mystici Corporis* apparuit. In hac materia valde est desideranda quaedam explanatio, quomodo nostra gratia sanctificans inhaerens nobis misericorditer a plenitudine capitis Christi donatur et semper ab eius gratiae influxu dependet, sicut Concilium Tridentinum iam breviter innuit (Denz. 809).

Clarissimo modo Caietanus Cardinalis hoc intimum vinculum gratiae iustificantis cum plenitudine gratiae Christi catholice exposuit in suo opere « De fide et operibus adversus lutheranos » (Romae 1532). Caietanus mirando modo quod verum est in reiecta doctrina de duplici iustitia a falsis liberat et ex doctrina Corporis Mystici illustrat, tali modo nexum inter iustificationem et Ecclesiam demonstrans.

d) Eodem in opere Caietanus etiam praeiudicia protestantium contra doctrinam de merito bonorum operum superat et quae Concilium Tridentinum de merito bonorum operum sub influxu gratiae Christi capitis adumbravit (sess. VI, cap. 16) amplius et distinctius exposuit et in doctrinam de Corpore Mystico inseruit.

e) Eodem modo et praeiudicatae opiniones protestantium solvantur quae oriebantur, quando Concilium Tridentinum illas bene notas « sola » affirmationes merito reiciebat. Quod protestantes male intellegebant non videntes, Concilium pluries solummodo illam exclusivitatem refutare.[30]

---

[29] *S. Th.,* III, q. 56, a. 1, ad 4; a. 2, ad 4; q. 22, a. 2 et alibi in eodem opere.

[30] V. g. cf. *Denz.* 821 cum *Denz.* 799: *non modo* reputamur, sed vere iusti

III. *Observatores christiani nominis communitatum separatarum utiliter invitandi.*

Notum est, Concilium Tridentinum ad omnes sessionum periodos protestantes « praesertim Confessionis Augustanae » invitasse, ut ad Concilium venirent liberam iis tribuens facultatem tam scriptis quam verbis cum ipso Concilio tractandi et « si opus fuerit etiam ad obiecta concilii generalis respondendi et cum iis, qui a Concilio delecti fuerint, disputandi christiane ».[31] Etiam Pius Papa IX tam speciali modo Orientales quam communiter Protestantes invitavit, ut ad Concilium Vaticanum I venirent.

Eminentissimus Cardinalis Tardini die 30 octobris 1959 declaravit, non esse excludendum repraesentantes ecclesiarum separatarum in qualitate observatorum Concilio Vaticano II interfuturos esse. Quamvis enim hoc Concilium non Unionis Concilium erit, tamen tales observatores perutiles fieri possint, si cum theologis catholicis a Concilio destinatis colloquerentur et sic eorum opiniones etiam praeiudicatae patefierent, quibus tunc melius responsio catholica dari eorumque argumenta profundius e fontibus revelationis superari possint.

1. Quaestio hinc difficilis evadit, quibus et quomodo invitationes essent mittendae. Historia Conciliorum Tridentini et Vaticani docet, effectum talis invitationis quasi totaliter a modo dependere, quo invitationes illae formulentur et transmittantur. Quare Eminentissimus Cardinalis Tardini sapienter adiecit, illam quaestionem adhuc studiis subiacere. Rebus mature deliberatis respectu Protestantium et Anglicanorum talis videtur via commendanda:

Per delegatos cuiusdam Commissionis Praeparatoriae Concilii a praecipuis moderatoribus communitatum illarum expetitur, ut animum suum patefaciant, si velint ut observatores ad Concilium celebrandum invitari, hoc insuper addito, ut per tale invitamentum acceptum nullam sibi imponerent obligationem.

Hoc modo visitandi essent:

a) Secretarius generalis « Consilii Oecumenici Ecclesiarum » (World Churches Council) Dr. Visser't Hooft, Genevae in Helvetia;

---

nominamur et sumus; BELLARMINUS, *De iustific.*, II, 3; S. THOMAS, *In ep. ad Rom.*, cap. II, lect. 3, v. 13; *De veritate*, q. 27, a. 1; aliud exemplum *Denz.* 821: gratiam iustificantem esse *tantum favorem Dei*, cf. cum *S. Th.*, I-II, q. 110, a. 1, ad 1.

[31] Sessio XV d. 25 ianuarii 1552: Salvus conductus protestantibus datus; cf. HUBERT JEDIN, *Historische Randbemerkungen zum Thema: Tridentinum und Wiedervereinigung*, in ROESLE-CULLMANN, *Begegnung der Christen*, Frankfurt a. M., 1959, p. 450.

b) Secretarius generalis Foederationis Lutheranae Mundanae (Lutherischer Weltbund), Dr. S. Lund-Quist, Genevae in Helvetia;

c) Secretarius Foederationis Mundanae Reformatae, Pastor ten Doornkaat in Zürich, Helvetia; pro Gallia: Pastor Marc Boegner;

d) Ecclesia Evangelica in Germania (EKD), cuius Consilii praeses est Landesbischof Dr. Dibelius, Berolini;

e) Unita Ecclesia Evangelica-Lutherana Germaniae (VELKD), cuius moderator est Landesbischof Dr. Hanns Lilje, Hannover, et in qua magna viget auctoritate Landesbischof Dr. Hermann Dietzfelbiger;

f) Ecclesia Anglicana.

2. Quantum ad visitationem et quaestionem peragendas commendentur pro sub *a-c* nominatis communitatibus professor Dr. Willebrands, Warmond, Hollandiae, vel etiam P. Dumont de centro « Istina », Parisiis (quantum ad Pastorem Marc Boegner).

Quantum ad communitates sub litteris *d.-e* notatis Archiepiscopus Paderbornensis per idoneos viros hoc munere praeparatorio perfungi posset.

3. Cum iam Anglicanorum invitatio speciali indigeat studio, praecipue tamen Ecclesiarum Orientalium et imprimis Patriarchae Constantinopolitani invitatio, qui delegatos observatores nominare possit, magna cura et cautione est praeparanda, cum specialiter de modo, quo fit, omnis salutaris effectus invitationis dependeat.

4. Omnes illae visitationes debent in forma omnino confidentiali perfici nec a parte catholica ulla notitia praemature in publicam eveniat manifestationem.

5. Deinde illis, qui affirmative responderunt, in forma antea cum eis iam deliberata invitamentum officiale a Sancta Sede mittatur. Invitamentum tanta caritate christiana, qualem Beatissimus Pater noster Ioannes Papa XXIII iam pluries manifestavit, formulandum erit, ut separati revera « suave invitamentum » sentiant, cui ut bene respondeant, valide commoveantur.

IV. *Commissio Pontificia de rebus oecumenicis instituatur.*

Ad normas Instructionis de motione oecumenica d. d. 20 decembris 1949 a Sacro Officio datae in pluribus iam dioecesibus et regionibus instituta vel conferentiae exsistunt, quibus opus unitatis christianae promovetur. Colloquia etiam inter theologos et protestantes ad praefatam normam directa plurimos iam attulerunt illos fructus, de quibus loquitur Ioannes Papa XXIII feliciter regnans in suis Encyclicis Litteris *Ad Petri Cathedram* dicens « apud non paucas communitates, quae a Beati Petri

Cathedra seiunctae sunt, quandam commotam esse inclinationem erga fidem et instituta catholica, atque non parvam erga Apostolicam hanc Sedem exortam esse atque in dies increbuisse, praeiudicatas opiniones delente studio veritatis ».

Insuper illa motio oecumenica generalis, quae iam fere omnes communitates a Reformatoribus saeculi XVI exortas et magnam partem ecclesiarum Orientalium separatarum coniunxit, speciali eget studio et observatione ex parte catholica.

Ideo valde desideranda esset institutio cuiusdam Commissionis Pontificiae ad unitatem christianorum promovendam, quae omnia illa nunc separata catholicorum studia dirigendo et consulendo colligat ad normas Sanctae Sedis temporum necessitatibus semper mutabilibus adaptanda.

D

CONSILIA QUAEDAM ET ANIMADVERSIONES CIRCA RES LITURGICAS

« Sacra Liturgia integrum constituit publicum cultum Mystici Iesu Christi Corporis, Capitis nempe membrorumque eius » (*Mediator Dei, A.A.S.,* 39 [1947] 528-529). Nemo nescit faustissimum eloquium a Sancto Pio Papa X proditum de actuosa sacri cultus participatione ab ipsis fidelibus peragenda magis magisque factum esse principium reformationis librorum liturgicorum a Summo Pontifice Pio Papa XII feliciter inchoatae. Quamquam natura sua impossibile est a S. Synodo discuti omnia singula vel particularia quae in hac restauratione liturgica etiam pro futuro providenda esse videntur, tamen eiusdem restaurationis principia S. Synodus recognoscat.

1. *a*) Agatur ergo de Kalendario universali: exaretur restaurationis norma, ut ipse anni Dominici circulus (Proprium de tempore) clarius eluceat festaque illorum tantum sanctorum remaneant universalia quae universalem Ecclesiam revera maxime respiciunt, reliquis cultui locali vel regionali commissis.

b) Revisioni subiiciatur series dierum festorum can. 1247 § 1 in universa Ecclesia sub praecepto obligantium.

c) Exquiratur sententia s. Synodi, quid sit cogitandum in quaestione multimodo disputata de Kalendario generatim ita reformando ut nova partitio anni et mensium fiat et festa mobilia — praesertim Dominica Resurrectionis — in festa fixa mutentur.

2. Agatur de quibusdam in Missali Romano et in Missae celebratione reformandis:

a) De propriis partibus missae a solis sacris ministris, vel a choro, vel a populo exsequendis nec a celebrante recitando duplicandis (celebrans in missis « dialogatis » vel « in cantu » ea solummodo recitet — vel cantet — quae suo officio sunt propria).

b) De numero pericoparum dominicalium e S. Scriptura desumptarum augendo et novo ordine statuendo, ita ut cyclo e. g. quattuor annorum S. Scripturae fidelibus magis magisque aperiatur.

c) De « oratione » sic dicta « fidelium » in missis publicis restauranda, ita ut pro magnis intentionibus Ecclesiae iterum iterumque expressis verbis, sc. lingua vernacula (de qua infra), preces fiant.

d) De novis praefationibus introducendis (e. g. pro tempore Adventus, dominicis, pro festis martyrum).

e) De formula abbrevianda, quae in S. Communionis distributione adhibetur.

f) De simplificatione ritus Missae Pontificalis.

g) De concelebratione Missae stricte dicta praeter Missam ordinationis presbyterorum atque Missam consecrationis Episcoporum (cf. can. 803) etiam pro aliis casibus in Ecclesia Latina restauranda atque speciali ritu instruenda, necnon de admissione sacerdotum vere concelebrantium etiam ad s. calicem.

h) De s. calice in aliquibus casibus (valde restrictis) etiam in Ritu Latino fidelibus porrigendo (e. g. in professionibus religiosis vel in Missis pro sponso et sponsa).

i) Missa pro sponso et sponsa necnon missa votiva de Spiritu Sancto occasione collationis Sacramenti confirmationis ab episcopo celebrata tamquam missae votivae sollemnes habeantur.

k) Canon 1268 § 2 *C.I.C.* de altari, in quo Sanctissima Eucharistia regulariter servanda sit, collegiatae, conventuales vel maiora sanctuaria (cf. can. 1268 § 3 et decr. *S.R.C.* d. d. 1 iunii 1957, art. 2), plenius adaptetur hoc vel simili modo: « Custodiatur (Sanctissima Eucharistia) in ecclesia loco valde nobili, proinde aut in altari maiore, aut in alio altari vere praecellente, si id venerationi et cultui tanti sacramenti commodius videatur ».

l) Liceat Sacrificium missae celebrare versus populum in altari apto, etiam si in eius medio existat tabernaculum parvum (pretiosum, et omnino dignum) ad asservandam Sacram Eucharistiam (non obstante decreto *S.R.C.*, art. 4, d. d. 1 iunii 1957).

m) Examinandum est, num Celebrans in missa in cantu vel lecta praesente populo celebrata usque ad Credo inclusive locum habeat non

ad altare, quod potius actioni ipsi Eucharisticae reservandum videtur, sed (similiter ac pro quibusdam partibus hebdomadae sanctae restauratae provisum est) ad scamnum, ubi Sacerdos Orationes etc. proferat. Missae autem lectiones proferantur ad ambonem seu legile, ita ut a fidelibus facilius intelligantur.

n) Matrimonium, si cum missa pro sponsis coniungitur, celebretur intra missarum sollemnia (sicut iam antiquitus pro quibusdam dioecesibus, e. g. Metensi, Sacra Sede approbante, est provisum), et quidem post Evangelium et homiliam, utpote, Introitus etc. vera et aptissima praeparatio pro matrimonii celebratione sint. Benedictio sponsae ad finem Canonis ante doxologiam locum habeat, et eiusdem textus revisioni subiciatur.

o) Episcopus habeat facultatem ordinariam permittendi secundum iudicium suum prudens, ut in missis, quas celebrare licet vel debet extra Ecclesias consecratas vel benedictas, necnon extra oratoria perpetuo ad Dei cultum erecta, sive publica sive semipublica, adhiberi valeat loco petrae seu altaris portatilis antimensium seu linteum benedictum, quod in Rituali Romano (Tit. IX, Cap. IX, n. 21) pro « regionibus Missionum » provisum est.

3. Agatur de Breviario Romano ita reformando, ut conditionibus cleri cura animarum occupati aptetur (conferantur litterae nomine episcoporum provinciae ecclesiasticae Coloniensis die 9 m. nov. 1956 ab Em. Card. Frings ad S. Rit. Congr. missae).

4. Agatur de quibusdam ritibus Pontificalis Romani reformandis praesertim de ritibus ordinationis, de ritu consecrationis ss. oleorum, de dedicatione Ecclesiae vel Altaris.

5. Agatur de Rituali Romano, imprimis de ritibus baptismi adultorum necnon parvulorum reformandis.

6. Agatur generatim de lingua vernacula, cuius usurpatio « in non paucis... ritibus valde utilis apud populum existere potest » (*Mediator Dei*).

a) Respiciantur experientiae longaevae atque probatae, quas quaedam regiones vi consuetudinum legitimarum vel privilegiorum a S. Sede concessorum collegerunt.

b) Propagentur ad universam ecclesiam latinam privilegia, secundum quae fidelibus adstantibus licet in missis quae dicuntur « in cantu » Kyrie, Gloria, Credo et cetera quae ad populum pertinent necnon sic dictum « proprium » in lingua sua cantare excluso tamen cantu Gregoriano cum traductione textus latini in linguam vernaculam, dum celebrans in eis partibus quae revera ad eum spectant exclusive utatur lingua latina.

c) Lectiones Missae (epistola, evangelium) immediate et exclusive ab ipsis ministris (vel a sacerdote celebrante) in lingua populi adstantis praeferre liceat.

d) « Oratio » sic dicta « fidelium » in missam reintroducenda lingua vernacula proferatur.

Prot. N. 272/1-0 Bad Godesberg, 13 luglio 1960

Eminenza Reverendissima,

Su richiesta dell'Em.mo Cardinale Frings, Arcivescovo di Colonia, ho l'onore di trasmettere all'Eminenza Vostra Reverendissima una serie di « Animadversiones, consilia et vota Ordinariorum Germaniae de rebus tractandis in futuro Concilio Oecumenico ». Come l'Eminenza Vostra potrà rilevare, i fogli qui uniti (Allegato I) costituiscono la terza parte delle proposte formulate a tale fine da questo Episcopato e riguardano la disciplina ecclesiastica.

Chinato al bacio della Sacra Porpora, con i sensi del più profondo e sincero ossequio, ho l'onore di confermarmi

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
umil.mo dev.mo obb.mo servitore

✠ Corrado Bafile
Nunzio Apostolico

Pars tertia

De disciplina

A) *De Personis*

I. *De obligationibus clericorum.*

1. Inculcetur lex caelibatus.

Deliberetur, an ministri acatholici Fidem Catholicam amplectentes, perdurante vita coniugali in matrimonio, admittantur ad suscipiendum s. Presbyteratus ordinem necnon ad curam animarum exercendam, dummodo Episcopus competens eos vere dignos et idoneos habeat.

Examinetur, num etiam in casibus praeter can. 214 *C.I.C.* obligationes caelibatus et horarum canonicarum auferri queant, si causae gravissimae et singulares id postulare videantur vel « vis et metus » ad tramitem iuris plene probari non potuerit.

2. Clericis enixe commendentur modestia vitae, paupertas evangelica necnon vera oboedientia.

3. Praeter obligationem servandi sigillum sacramentale, de qua in can. 889 *C.I.C.*, expresse inculcetur: clericis servandum esse secretum de rebus, quae ipsis in aliquo munere gerendo aut in cura animarum exercenda innotescunt vel committuntur, atque eiusdem obligationis limites, quantum fieri potest, accuratius describantur.

II. *De Curia Romana.*

Moveatur quaestio de negotiis diversorum Dicasteriorum Curiae Romanae ita disponendis, ut exigentiis Ecclesiae Universalis quam efficacissime prospicere valeant.

III. *De Episcopis.*

1. Corroboretur status iuridicus Episcoporum eorumque facultates ita amplificentur, ut ea omnia, quae — attentis hodiernis condicionibus et exigentiis — ad regimen Dioecesium necessaria sunt, vi potestatis ordinariae ordinare et perficere valeant. Imprimis quaedam facultates sic dictae quinquennales aliaeque hucusque ad tempus vel ad determinatum numerum casuum tantum concessae in potestatem ordinariam recipiantur.

Episcopis tribuantur alia quoque iura, prout infra accuratius exponetur.

2. Relationes, quaestiones circulares et indagationes statisticae, quae relationem quinquennalem, de qua in can. 340 § 1 *C.I.C.*, excedunt, quantum fieri potest, reducantur.

Formula vero relationis quinquennalis aptius instruatur pro diversitate negotiorum et pro competentia singulorum Dicasteriorum.

IV. *De Religiosis.*

1. Agatur de limitanda exemptione Religiosorum, praesertim eorum, qui cooperantur sive in cura animarum sive in operibus caritatis vel educationis vel similibus.

Statuatur Episcopi ius et officium examinandi, num in domibus religiosis, non exclusis domibus matricibus et provincialibus, administratio bonorum temporalium concordet cum normis iustitiae, aequitatis, caritatis.

2. Augeantur facultates Episcopi quoad Religiones Laicales, et quidem circa earum erectionem necnon regimen internum et disciplinam (v. gr. dispensationem super lege clausurae, praesidentiam in Capitulis generalibus vel provincialibus).

3. Sacerdotes, iurisdictione pro mulierum confessionibus audiendis

gaudentes, ne indigeant pro confessionibus Religiosarum iurisdictione speciali, sed tantum licentia, ut validitati confessionis semper sit cautum (can. 531 ss. *C.I.C.*).

4. Normae de collocandis bonis temporalibus (can. 531 ss. *C.I.C.*) necnon de afferenda et collocanda dote in Religionibus mulierum, quae in cc. 547-551 *C.I.C.* continentur, adaptentur condicionibus oeconomicis hodiernis.

5. De inspectione litterarum religiosarum in can. 611 *C.I.C.* statuatur, ut etiam commercium litterarum cum sacerdote, cui Ordinarius loci curam religiosorum sibi subiectorum delegavit, necnon cum confessario et consanguinibus primi saltem gradus inspectioni Superiorum non sit obnoxium.

6. Reformentur dispositiones cc. 669-672 *C.I.C.* de sacerdotibus et Religione dimissis, ita ut obligatio curam eorum agendi necnon sustentationi providendi non transeat ad Ordinarium loci ubi commorantur, sed maneat penes Superiores Religionis, donec aliter provisum sit.

V. *De Laicis.*

1. Effuse agatur de statu laicorum in Ecclesia.

Praedicentur atque describantur eorum dignitas et condicio. Maxime desiderantur normae praesertim de laicorum iuribus et officiis in vita tum privata tum publica necnon de eorum responsabilitate pro bono Ecclesiae et pro salute animarum atque de eorum obligationibus circa apostolatum et circa societatem humanam.

2. Declaretur, quibus officiis in Ecclesia laici fungi possint, eorumque iura et obligationes describantur (e. g. catechistae, adiutores curionum, administratores bonorum, notarii).

3. Quaeritur, num opportunum sit quaedam munera per se ad Ordines minores pertinentia, adhibito pio aliquo ritu, laicis stabiliter demandare (cf. infra B IV 2).

B) *De Sacramentis*

I. *De Ss. Eucharistia.*

1. Amplificata facultate, canone 806 § 2 *C.I.C.* concessa, Ordinariis tribuatur potestas ordinaria ad impertiendam facultatem *a*) diebus ferialibus duas Missas et *b*) diebus dominicis et Festis tres Missas celebrandi.

2. Pro sacerdotibus celebrantibus quoad ieiunium eucharisticum ea norma valeat, quae pro fidelibus ad sacram synaxim accedentibus statuta

est, scil. ut ieiunium servare teneantur unam vel tres horas ante *s. communionis receptionem.*

3. Ordinariis locorum tribuatur facultas concedendi habitualiter sacerdotibus, senectute vel infirmitate laborantibus, indultum celebrandi domi et celebrandi sedendo. Ministrantes autem et familiares talis sacerdotis huic Missae adstantes satisfaciant legi audiendi Missam diebus dominicis et Festis de praecepto.

Item Ordinariis locorum tribuatur facultas concedendi, ut sacerdos, indulto celebrandi sedendo fruens, celebrare possit non solum domi, sed etiam in oratoriis publicis et semipublicis, dummodo vera necessitas adsit atque omnis scandali vel admirationis fidelium ratio excludatur.

4. Facultas, Ordinariis can. 822 § 4 *C.I.C.* tributa, de licentia celebrandi extra ecclesiam vel oratorium ita extendatur, ut ipsi hanc licentiam concedere valeant non solum per modum actus, sed etiam habitualiter seu per longius tempus, si iusta et gravis causa id postulat.

II. *De Paenitentia et de Indulgentiis.*

1. Abrogentur omnes reservationes peccatorum ratione peccati tantum (cc. 893-900).

2. Agatur de reformanda disciplina indulgentiarum et quidem numerus indulgentiarum minuatur necnon condiciones eas lucrandi aggraventur.

3. Ditentur omnes sacerdotes, iurisdictione ad audiendas confessiones muniti, facultate benedicendi Rosaria cum applicatione Indugentiarum consuetarum atque benedicendi Cruces et applicandi Indulgentiam plenariam in articulo mortis lucrandam et Indulgentias pio exercitio Viae S. Crucis ab infirmis lucrandas.

4. Ordinariis locorum tribuatur, cum iure delegationis, facultas erigendi intra fines sui territorii Stationes Viae S. Crucis et applicandi Indulgentias consuetas.

5. Modus recipiendi acatholicos in Ecclesiam et formula abiurationis haeresis abbrevientur et aetati nostrae accommodentur.

III. *De Ordine.*

1. Immutetur praescriptum Decreti Sacrarum Congregationum de Religiosis atque de Seminariis et Universitatibus Studiorum diei 25 m. iulii 1941 (*A.A.S.*, 33, 1941, 371), ita ut Ordinarius ad Apostolicam Sedem recurrere non debeat, nisi pro his, qui per primam saltem professionem ad familiam religiosam pertinuerunt.

2. De Ordinibus minoribus Sacrum Concilium Tridentinum (Sess. 23 cap. 17) statuit:

« Ut sanctorum Ordinum a Diaconatu ad ostiariatum functiones, ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptae et pluribus in locis aliquamdiu intermissae, in usum iuxta sacros canones revocentur, nec ab haereticis tamquam otiosae traducantur, illius pristini moris restituendi desiderio flagrans sancta Synodus decernit, ut in posterum huiuscemodi ministeria non nisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur, omnesque et singulos praelatos ecclesiarum in Domino hortatur et illis praecipit, ut quantum fieri commode poterit, in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et parochialibus suae dioecesis, si populus frequens et ecclesiae proventus id ferre queant, huiusmodi functiones curent restituenda... Quod si ministeriis quatuor minorum Ordinum exercendis clerici caelibes praesto non erunt, suffici possint etiam coniugati vitae probatae, dummodo non bigami, ad ea munera obeunda idonei, et qui tonsuram et habitum clericalem in ecclesia gestent ».

Unde quaeritur, utrum opportunum sit,

1) ut Ordines minores retineantur solummodo tamquam gradus, quibus ascenditur ad s. Presbyteratum, sive numerus eorum servetur sive minuatur;

2) an ut etiam ad Ordines minores promoti in suo gradu, absque ascensione ad altiores, permaneant ministerioque suo fungantur, sive sint caelibes sive uxorati, per primam Tonsuram in statum clericalem recepti;

3) an quod magis expedire videtur, ut, Ordinibus minoribus solis promovendis ad Presbyteratum reservatis, quaedam munera et functiones, per se Ordinibus minoribus adnexa, demandentur laicis, sive solis viris sive etiam mulieribus, adhibito pio aliquo ritu initiandis (cf. supra A V 3, pag. 4).

IV. *De Matrimonio.*

1. Ordinariis locorum competat potestas dispensandi super universis impedimentis matrimonialibus, super quibus Sedes Apostolica dispensare solet, nisi aliud expresse caveatur.

2. Mutato can. 1045 § 3 *C.I.C.*, « quoties impedimentum detegatur, cum iam omnia parata sint ad nuptias » atque nec Sancta Sedes nec Ordinarius loci adiri possit, parochis et sacerdotibus generaliter ad matrimoniis assistendum delegatis necnon sacerdoti matrimonio assistenti ad normam can. 1098 n. 2 *C.I.C.* tribuatur facultas dispensandi non solum pro casibus occultis, sed etiam publicis.

3. Abrogentur impedimenta:

affinitatis lineae collateralis (can. 1077 *C.I.C.*), publicae honestatis

in secundo gradu (can. 1078), cognationis spiritualis (can. 1079 cum can. 768).

4. Mutetur can. 1061 § 1 n. 3 *C.I.C.*:

a) Ecclesia super impedimento mixtae religionis non dispensat, nisi spes fundata habeatur de cautionum implemento.

b) Mutetur can. 1064 n. 2 *C.I.C.*:

Ordinarii aliique animarum pastores si eas (sc. nuptias mixtas) impedire non valeant, omni studio curent, ne contra Dei et Ecclesiae leges contrahentur, necnon ut utraque pars ante nuptias celebrandas sufficienter de matrimonio ipso eiusque proprietatibus atque de praecipuis Fidei catholicae doctrinis ac obligationibus instruatur.

5. Statuatur impedimentum dirimens erroris qualificati dolo causati circa circumstantias, taxative enumerandas, quae momenti substantialis sunt pro vita coniugali (e. g. impotentia generandi, graviditas ab alio viro).

6. Expresse statuatur, ut invalidum sit matrimonium initum cum persona amente.

7. Abrogetur commemoratio condicionis servilis tamquam impedimenti matrimonii (can. 1083 § 3 n. 2 *C.I.C.*) quod valeat etiam de ordine (cf. can. 987 n. 4 *C.I.C.*).

8. Ordinarii locorum gaudeant facultate, non solum vicarios cooperatores, sicuti in can. 1096 § 1 *C.I.C.*, sed etiam alios sacerdotes generaliter, pro territorio alicuius paroeciae, delegandi ad assistendum matrimoniis.

9. In regionibus, ubi pauci tantum fideles alicuius ritus orientalis inter fideles ritus latini dispersi commorantur, Ordinario loci Ritus latini, una cum Hierarcha Ritus orientalis forte constituto ita tribuatur potestas super fideles Ritus orientalis, ut eorum matrimoniis valide et licite assistat aliosque sacerdotes ad assistendum delegare queat, sive inter se sive cum fidelibus alterius ritus matrimonium contrahunt. De matrimonio autem inito Ordinarius proprius quam primum certior reddatur.

(Idem sane valeat, si de fidelibus Ritus latini agatur, inter fideles Ritus orientalis commorantibus).

Hoc enim modo maxime validitati matrimoniorum cautum esse videtur.

10. Error communis, in quo Ecclesia defectum potestatis matrimonio assistendi supplet, clarius definiatur.

11. Statuantur et Codici Iuris Canonici inserantur normae de dissolutione matrimonii in favorem fidei (can. 1120 ss. *C.I.C.*).

12. Ut processus instruatur super matrimonio rato et non consummato ne Episcopus indigeat speciali mandato Apostolicae Sedis neve officialibus partem in processu habentibus speciale iuramentum praestandum sit.

C) *De aliis Rebus*

I. *De temporibus sacris.*

Agatur de reformanda disciplina circa ieiunium et abstinentiam. Negari nequit legem ieiunii in nostris regionibus a paucis tantum fidelibus hodie servari et legem abstinentiae a multis non servari. Tot sunt concessa indulta, ut leges Ecclesiae de hac materia in vita practica fere abolitae appareant, et condiciones vitae hodie ita mutatae sunt, ut permulti christiani, secundum principia theologiae moralis vigentia, a lege ieiunii se excusatos habere possint.

Ideo magis inculcanda videtur lex evangelica de paenitentia agenda et operibus mortificationis faciendis, ita ut omnes christiani sciant se ad talia opera obligatos esse, etiamsi a ieiunio consueto eximantur.

Quibus praemissis proponere liceat, ut disciplina can. 1252 *C.I.C.* statuta hoc fere modo immutetur:

§ 1. Lex solius abstinentiae servanda est feria quarta Cinerum et singulis feriis sextis.

§ 2. Lex abstinentiae simul et ieuinii servanda est feria quarta Cinerum et feria sexta Hebdomadae Maioris.

§ 3. Diebus festis de praecepto lex abstinentiae cessat.

§ 4. Graviter admonentur fideles, ut pro sua quisque condicione opera paenitentiae et mortificationis suscipiant feriis Quadragesimae et Quatuor Temporum.

Adnotatio: Talia opera praecipue sunt:

1) ieiunium in forma tradita;

2) abstinentia, totalis vel saltem partialis, ab usu tabaci et potibus alcoholicis vel aliis huiusmodi incitamentis;

3) abstinentia a scaenis et choreis, sive privatim sive publice peragendis, a levibus ludis cinematographicis et televisificis vel emissionibus radiophonicis;

4) abstinentia a tabernis frequentandis, ab inanibus sermonibus et oblectamentis necnon a legendis levibus fabulis et periodicis illustratis;

5) abstinentia a nimio cultu vestium;

6) fideles pecuniam, quam voluptati subtraxerint, piis operibus, ab Ordinario forte commendandis, impendant, tempus vero, quod absti-

nendo ab oblectationibus et nugacibus sermonibus lucrati sint, orationi vel operibus caritatis tribuant;

7) Coniugatis prudenter commendetur, ut, ad tempus continentiae studeant.

II. *De cultu Divino.*

Agatur de reducendo numero iuramentorum praestandorum, praesertim in processibus.

Aboleatur obligatio praestandi iuramentum contra errores Modernismi.

III. *De magisterio ecclesiastico.*

1. Leges de censura praevia et de prohibitione librorum revisioni subiiciantur.

2. Inculcanda erit praesertim obligatio moralis vitandi pericula Fidei et morum, sive agatur de libris et periodicis sive de rebus cinematographicis, radiophonicis, televisificis.

3. Liber auctoris catholici ne proscribatur, quin prius causa proscriptionis ipsi auctori indicetur eique concedatur facultas sensum a se intentum coram Ordinario proprio declarandi seque defendendi.

IV. *De beneficiis ecclesiasticis.*

1. Agatur de reformanda disciplina circa beneficia ecclesiastica eaque adaptanda condicionibus nostri temporis.

2. Constituantur ubique institutiones, quae sustentationi sacerdotum emeritorum et infirmorum sufficienter provideant.

3. Normae de remotione parochorum inamovibilium adaptentur necessitatibus nostri temporis, ita ut facilior reddatur remotio.

4. Limitetur reservatio beneficiorum (cf. can. 1435 § 1 *C.I.C.*).

5. Can. 1427 § 2 *C.I.C.* hoc fere modo mutetur:

« Causa divisionis aut dismembrationis paroeciae gravis esse debet, quod evenit imprimis, si aut magna sit difficultas accedendi ad ecclesiam paroecialem aut nimis sit paroecianorum multitudo ».

6. Obligatio fructus superfluos impendendi pro pauperibus aut piis causis (cf. can. 1473 *C.I.C.*) extendatur ad omnes sacerdotes quodlibet ministerium ecclesiasticum exercentes.

V. *De bonis temporalibus.*

1. Agatur de amplificandis facultatibus Episcopi circa administrationem bonorum temporalium, praesertim circa alienationem et onerationem bonorum.

2. Episcopus habeat facultatem, praeter tributum ad sustentandum Seminarium, imponendi sive fidelibus sive clericis sive paroeciis sive aliis personis moralibus, tributa quae, auditis vicariis foraneis et consentiente Capitulo Cathedrali, necessaria habentur pro administratione Dioecesis vel pro cura animarum vel pro piis operibus.

3. Disciplina de bonis temporalibus collocandis (cf. cc. 1531, 531 ss. *C.I.C.*) condicionibus oeconomicis hodierni temporis adaptetur.

D) *De Processibus*

1. Acta causarum matrimonialium, sive ad Supremam Sacram Congregationem Sancti Officii sive ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum sive ad Sacram Romanam Rotam transmittenda, admittantur etiam in praecipuis linguis mundi (v. gr. hispanica, lusitanica, anglica, germanica) scripta.

2. Exemplaria processuum de Beatificatione Servorum Dei dactylographice transcripta admittantur (cf. can. 2054 *C.I.C.*).

3. Deleatur inhabilitas accusandi matrimonium secundum can. 1971 § 1 n. 1 *C.I.C.*

E) *De delictis et poenis*

1. Revisioni subiiciatur et simplificetur disciplina ecclesiastica de delictis et poenis.

2. Agatur de reducendo numero legum, quae poenas latae sententiae statuunt.

Censurae reservatae ad duas tantum species reducantur, ita ut habeantur nonnisi censurae aut Apostolicae Sedi aut Ordinario reservatae, demptis ulterioribus specificationibus.

3. Abrogetur poena interdicti, saltem interdicti personalis et ab ingressu ecclesiae (can. 2268 ss.).

4. Distincte caveatur, quae poenae in foro interno sacramentali quaeque in foro tantum externo remitti possint ea lege, ut, extra mortis periculum, poenae ex omnibus et solis delictis occultis provenientes remitti possint a confessario in foro sacramentali, omnia vero delicta sive

natura sua sive de facto publica ad forum externum remittantur: in periculo vero mortis retineatur disciplina vigens (cf. can. 882 *C.I.C.*).

Confessario a censura reservata absolventi imponatur obligatio recurrendi ad Superiorem, cui absolutio reservata est, pro obtinendis mandatis poenitenti dandis, firmo praescripto can. 2254 § 3 *C.I.C.*, et poenitenti imponatur obligatio implendi mandata.

Abrogetur praescriptum de poena reincidentiae.

5. Enumerentur in lege taxative delicta natura sua publica, uti vel sunt eorum, qui sectae acatholicae nomen dant, coram magistratu civili ab Ecclesia deficiunt, coram ministro acatholico matrimonium ineunt, liberos suos ministro acatholico baptizandos offerunt, eosdem acatholice educandos aut instituendos tradunt, vel qui, in ordine presbyteratus constituti, matrimonium, licet per civilem tantum actum, attentant, vel qui ad potestatem laicalem recurrunt ad inficiendam ecclesiasticam libertatem (cf. can. 2333 et 2334 *C.I.C.*).

INDEX

PAGG.

DOCUMENTA . . . . IX-XIV

ANGLIA

1. Exc.mi P. D. Francisci Walsh, Episcopi Aberdonensis 3-5
2. Exc.mi P. D. Michaëlis McGrath, Archiepiscopi Cardiffensis . . 5-8
3. Exc.mi P. D. Iosephi Rudderham, Episcopi Cliftoniensis 9-10
4. Exc.mi P. D. Gulielmi Hart, Episcopi Dunkeldensis 10-12
5. Exc.mi P. D. Iosephi McGee, Episcopi Gallovidiensis 12-13
6. Exc.mi P. D. Donaldi A. Campbell, Archiepiscopi Glasguensis . . 13-14
7. Exc.mi P. D. Iacobi Cunningham, Episcopi Hagulstadensis et Novocastrensis 14-15
8. Exc.mi P. D. Thomae E. Flynn, Episcopi Lancastrensis 16
9. Exc.mi P. D. Georgi P. Dwyer, Episcopi Loidensis 17-22
10. Exc.mi P. D. Ioannis C. Heenan, Archiepiscopi Liverpolitani . . 22-24
11. Exc.mi P. D. Ioannis E. Petit, Episcopi Menevensis 24-25
12. Exc.mi P. D. Georgii Brunner, Episcopi Medioburgensis . . . 25
13. Exc.mi P. D. Thomae L. Parker, Episcopi Northantoniensis . . 26-29
14. Exc.mi P. D. Cirilli Restieaux, Episcopi Plymuthensis 29-30
15. Exc.mi P. D. Gordon Iosephi Gray, Archiepiscopi S. Andreae et Ediburgensis 31-35
16. Exc.mi P. D. Ioannis Murphy, Episcopi Solopiensis 35-37
17. Exc.mi P. D. Cyrilli C. Cowderoy, Episcopi Southwarcensis . . 37-41
18. Em.mi P. D. Gulielmi Card. Godfrey. Archiepiscopi Vestmonasteriensis 41-47
19. Em.mi P. D. Gulielmi Card. Godfrey, Archiepiscopi Vestmonasteriensis 47-48
    Exc.mi P. D. Francisci Grimshaw, Episcopi Birminghamiensis
    Exc.mi P. D. Bernardi P. Wall, Episcopi Brentvoodensis
    Exc.mi P. D. Iacobi D. Scanlan, Episcopi Matrisfontis
    Exc.mi P. D. Eduardi Ellis, Episcopi Nottinghamensis
    Exc.mi P. D. Iacobi Black, Episcopi Pasletanae
    Exc.mi P. D. Ioannis H. King, Episcopi Portus Magni
    Exc.mi P. D. Geordii A. Geck, Episcopi Salfordensis
20. Exc.mi P. D. Gerardi P. O'Hara, Archiepiscopi tit. Pessinuntini Delegati Ap. in Anglia 48-53

PAGG.

21. Exc.mi P. D. Georgii Craven, Episcopi tit. Sebastolopitani in Armenia, Auxiliaris Vestmonasteriensis 53
22. Exc.mi P. D. Thomae Pearson, Episcopi tit. Sindensis, Auxiliaris Lancastrensis 54-56
23. Exc.mi P. D. Thomae Roberts, Archiepiscopi tit. Sugdaei . . . 56-58

AUSTRIA

1. Exc.mi P. D. Iosephi Köstner, Episcopi Gurcensis 61-62
2. Exc.mi P. D. Andreae Rohracher, Archiepiscopi Salisburgensis . . 63
3. Exc.mi P. D. Iosephi Schoiswohl, Episcopi Secoviensis 64-75
4. Em.mi P. D. Francisci Card. König. Archiepiscopi Viennensis . . 75-85
Exc.mi P. D. Francisci Zauner, Episcopi Linciensis
Exc.mi P. D. Michaëlis Memelauer, Episcopi S. Hippolyti
Exc.mi P. D. Iosephi Streidt, Episcopi tit. Macrensis in Mauretania, Auxiliaris Viennensis
Exc.mi P. D. Francisci Jachym, Episcopi tit. Maronei, Coadiutoris Viennensis
Exc.mi P. D. Stephani Làszlò, Episcopi tit. Metellopolitani, Administratoris Ap. Burgeland
5. Rev.mi P. D. Henrici Groner, Abbatis N. B. M. V. Maris Stellae 85-87
6. Exc.mi P. D. Stephani Làszlò, Episcopi tit. Metellopolitani . . . 87
7. Exc.mi P. D. Pauli Rusch, Episcopi tit. Meloensis in Isauria, Administratoris Ap. Oenipontani 87-89
8. Exc.mi P. D. Ioannis Dellepiane, Archiepiscopi tit. Stauropolitani, Nuntii Ap. in Austria 89-94
9. Exc.mi P. D. Francisci Zak, Episcopi tit. Apolloniensis, Coadiutoris S. Hippolyti 95-98
10 Exc.mi P. D. Brunonis Wechner, Episcopi tit. Cartennitani . . . 98-100
11. Exc.mi P. D. Leonis Pietsch, Episcopi tit. Naronensis 100

BELGIUM

1. Exc.mi P. D. Aemilii De Smedt, Episcopi Brugensis 103-105
2. Exc.mi P. D. Caroli Calewaert, Episcopi Gandavensis 105-106
3. Exc.mi P. D. Ludovici Kerkhofs, Episcopi Leodiensis 107-109
Exc.mi P. D. Gulielmi Van Zuylen, Episcopi tit. Druensis, Coadiutoris Leodiensis
4. Em.mi P. D. Iosephi Card. Van Roey, Archiepiscopi Mechliniensis 109-112
5. Exc.mi P. D. Andreae M. Charue, Episcopi Namurcensis . . . 112-117
6. Exc.mi P. D. Caroli M. Himmer, Episcopi Tornacensis 117-119
7. Exc.mi P. D. Ephrem Forni, Archiepiscopi tit. Darmitani, Nuntii Ap. in Belgio 120-126

PAGG.

8. Exc.mi P. D. Pauli C. Schoenmaeckers, Episcopi tit. Acarassensis, Auxiliaris Mechliniensis 126-130
9. Exc.mi P. D. Ioannis B. Musty, Episcopi tit. Botrianensis . . . 130-131
10. Exc.mi P. D. Camilli P. A. Stappers, Episcopi tit. Ceramensis . . 131-132
11. Exc.mi P. D. Ioannis Cuvelier, Episcopi tit. Circesiensis . . . 133-134
12. Exc.mi P. D. Ludovici Morel, Archiepiscopi tit. Aeniensis . . . 135-136
13. Exc.mi P. D. Pauli Meletijew, Episcopi tit. Heracleopolitani . . 137-138
14. Exc.mi P. D. Iosephi Guffens, Episcopi tit. Germanicianensis . . 139-140
15. Exc.mi P. D. Leonis I. Suenens, Episcopi tit. Isindensis, Auxiliaris Mechliniensis 140-148
16. Exc.mi P. D. Xaverii Geeraerts, Episcopi tit. Laganitani 148-152
17. Exc.mi P. D. Georgii De Jonghe D'Ardoye, Archiepiscopi tit. Misthiensis 152-153
18. Exc.mi P. D. Hectoris Catry, Episcopi tit. Semtensis 154
19. Exc.mi P. D. Friderici M. Blessing, Episcopi tit. Thoitani . . . 155
20. Exc.mi P. D. Roberti Lagae, Episcopi tit. Triccaei 156

DANIA

1. Exc.mi P. D. Ioannis T. Suhr, Episcopi Hafniae 159

FINNIA

1. Exc.mi P. D. Gulielmi Gobben, Episcopi Helsinkiensis 163

GALLIA

1. Exc.mi P. D. Rogerii Johan, Episcopi Aginnensis 167
2. Exc.mi P. D. Clementis Mathieu, Episcopi Aturensis 168-173
3. Exc.mi P. D. Caroli De Provenchères, Archiepiscopi Aquensis . 174-179
4. Exc.mi P. D. Ioannis Baptistae Llosa, Episcopi Adiacensis . . 180-181
5. Exc.mi P. D. Ioannis E. Marquès, Archiepiscopi Albiensis . . . 182-184
6. Exc.mi P. D. Renati Stourm, Episcopi Ambianensis 184-186
7. Exc.mi P. D. Petri Veuillot, Episcopi Andegavensis 187-189
8. Exc.mi P. D. Ioannis B. Megnin, Episcopi Engolismensis . . . 190-196
9. Exc.mi P. D. Augusti Cesbron, Episcopi Anneciensis 196-197
10. Exc.mi P. D. Victoris J. Perrin, Episcopi Atrebatensis 197-199
11. Exc.mi P. D. Henrici Audrain, Archiepiscopi Auxitani 200-204
12. Exc.mi P. D. Luciani Lebrun, Episcopi Augustodunensis . . . 204-205
13. Exc.mi P. D. Iosephi Urtasun, Archiepiscopi Avenionensis . . 205-207
14. Exc.mi P. D. Andreae Jacquemin, Episcopi Baiocensis et Lexoviensis 207-209
15. Exc.mi P. D. Pauli Gouyon, Episcopi Baionensis 209-211

PAGG.
16. Exc.mi P. D. Petri M. Lacointe, Episcopi Bellovacensis . . . 211-217
17. Exc.mi P. D. Renati Fourrey, Episcopi Bellicensis 217-218
18. Exc.mi P. D. Marcelli M. Dubois, Archiepiscopi Bisuntini . . . 219-228
19. Exc.mi P. D. Ludovici Robin, Episcopi Blesensis 228-229
20. Em.mi P. D. Pauli Card. Richaud, Archiepiscopi Burdigalensis . 229-239
21. Exc.mi P. D. Iosephi Lefebvre, Archiepiscopi Bituricensis . . . 239-242
22. Exc.mi P. D. Pauli Chevrier, Episcopi Cadurcensis 242-245
23. Exc.mi P. D. Aemilii Guerry, Archiepiscopi Cameracensis . . 246-259
24. Exc.mi P. D. Petri M. Puech, Episcopi Carcassonensis 259-261
25. Exc.mi P. D. Renati I. Piérard, Episcopi Catalaunensis 262-266
26. Exc.mi P. D. Ludovici De Bazelaire, Erchiepiscopi Chamberiensis 266-271
27. Exc.mi P. D. Rogerii Michon, Episcopi Carnutensis 271-272
28. Exc.mi P. D. Petri De La Chanoine, Episcopi Claromontani . . 272-273
29. Exc.mi P. D. Ludovici I. Guyot, Episcopi Constantiensis . . . 273-276
30. Exc.mi P. D. Bernardini Collin, Episcopi Diniensis 276-277
31. Exc.mi P. D. Guilelmi Sembel, Episcopi Divionensis 278-284
32. Exc.mi P. D. Alphonsi Gaudron, Episcopi Ebroicensis 284-287
33. Exc.mi P. D. Augusti I. Gaudel, Episcopi Foroiuliensis ac Tolonensis 287-288
Exc.mi P. D. Henrici Mazerat, Episcopi tit. Etennensis, Coadiutoris Foroiul. ac Tolonen.
34. Exc.mi P. D. Augusti Bonnabel, Episcopi Vapincensis 288-290
Exc.mi P. D. Georgii Jacquot, Episcopi tit. Irenopolitani in Cilicia, Coad. Vapincen.
35. Exc.mi P. D. Andreae Fougerat, Episcopi Gratianopolitani . . 290-292
36. Exc.mi P. D. Xaverii Morilleau, Episcopi Rupellensis et Santonensis 292-295
37. Exc.mi P. D. Mauritii Rousseau, Episcopi Valleguidonensis . . 295-296
38. Exc.mi P. D. Pauli Chevalier, Episcopi Cenomanensis 296-297
39. Exc.mi P. D. Iosephi Chappe, Episcopi Aniciensis 297-298
40. Em.mi P. D. Achillis Card. Liénart, Episcopi Insulensis . . . 298-306
41. Exc.mi P. D. Ludovici Rastouil, Episcopi Lemovicensis . . . 306-309
42. Exc.mi P. D. Antonii Cazaux, Episcopi Lucionensis 310-311
43. Em.mi P. D. Petri Card. Gerlier, Archiepiscopi Lugdunensis . . 311-316
44. Exc.mi P. D. Marci A. Lallier, Archiepiscopi Massiliensis . . . 316-320
45. Exc.mi P. D. Georgii Debray, Episcopi Meldensis 320-321
46. Exc.mi P. D. Renati Boudon, Episcopi Mimatensis 321-323
47. Exc.mi P. D. Pauli Schmitt, Episcopi Metensis 323-325
48. Exc.mi P. D. Ludovici De Courrèges D'Ustou, Episcopi Montis Albani 325-327
49. Exc.mi P. D. Cypriani Tourel, Episcopi Montis Pessulani . . . 327-338
50. Exc.mi P. D. Francisci A. Bougon, Episcopi Molinensis 338-339
51. Exc.mi P. D. Aemilii Pirolley, Episcopi Nanceiensis et Tullensis 339-342
52. Exc.mi P. D. Ioannis Villepelet, Episcopi Nannetensis 342

PAGG

53. Exc.mi P. D. Patricii Flynn, Episcopi Nivernensis 343-344
54. Exc.mi P. D. Pauli Remond, Archiepiscopi Nicensis 344-355
55. Exc.mi P. D. Ioannis Girbeau, Episcopi Nemausensis 356-359
56. Exc.mi P. D. Roberti Picard De La Vacquerie, Episcopi Aurelianensis 359-362
57. Exc.mi P. D. Felicis Guiller, Episcopi Apamiensis 362-364
58. Em.mi P. D. Mauritii Card. Feltin, Archiepiscopi Parisiensis . . 364-365
59. Exc.mi P. D. Georgii A. Louis, Episcopi Petrocoricensis . . . 365-368
60. Exc.mi P. D. Henrici Vion, Episcopi Pictaviensis 368-374
61. Exc.mi P. D. Andreae Fauvel, Episcopi Corisopitensis et Leonensis 374-375
62. Exc.mi P. D. Aloysii Marmottin, Archiepiscopi Rhemensis . . 375-379
63. Em.mi P. D. Clementis Card. Roques, Archiepiscopi Rhedonensis 380-382
64. Exc.mi P. D. Ioannis Ménard, Episcopi Ruthenensis 383
65. Exc.mi P. D. Iosephi Martin, Archiepiscopi Rothomagensis . . 384-387
66. Exc.mi P. D. Claudi Flusin, Episcopi S. Claudi 387-391
67. Exc.mi P. D. Henrici Brault, Episcopi S. Deodati 391-398
68. Exc.mi P. D. Francisci Marty, Episcopi S. Flori 399-400
69. Exc.mi P. D. Joëlis Bellec, Episcopi Maurianensis 399-400
70. Exc.mi P. D. Octavii Pasquet, Episcopi Sagiensis 400-402
71. Exc.mi P. D. Friderici Lamy, Archiepiscopi Senonensis 402-403
72. Exc.mi P. D. Petri Douillard, Episcopi Suessionensis 403-409
73. Exc.mi P. D. Ioannis I. Weber, Episcopi Argentinensis 409-420
74. Exc.mi P. D. Petri H. Théas, Episcopi Tarbiensis et Lourdensis 420-424
75. Exc.mi P. D. Augustini Jauffrès, Episcopi Tarantasiensis . . . 424-426
76. Exc.mi P. D. Gabrielis Garrone, Archiepiscopi Tolosani . . . 426-431
77. Exc.mi P. D. Ludovici Ferrand, Archiepiscopi Turonensis . . . 431-432
78. Exc.mi P. D. Iuliani Le Couëdic, Episcopi Trecensis 432-435
79. Exc.mi P. D. Amabilis Chassaigne, Episcopi Tutelensis 436-437
80. Exc.mi P. D. Pauli Vignancour, Episcopi Valentinensis 438-440
81. Exc.mi P. D. Eugenii I. Le Bellec, Episcopi Venetensis . . . 440-445
82. Exc.mi P. D. Mariae Georgii Petit, Episcopi Virodunensis . . 446-447
83. Exc.mi P. D. Alexandri Renard, Episcopi Versaliensis 447-450
84. Exc.mi P. D. Alaphridi Couderc, Episcopi Vivariensis 450-451
85. Exc.mi P. D. Pauli Marella, Archiepiscopi tit. Docleensis, Nuntii Ap. in Gallia 452-470
86. Exc.mi P. D. Leonis A. Elchinger, Episcopi tit. Antadrini, Coadiutoris Argentinensis 470-474
87. Exc.mi P. D. Iacobi E. Ménager, Episcopi tit. Antiocheni parvi 474-480
88. Exc.mi P. D. Ioannis Rupp, Episcopi tit. Arceni 480-488
89. Exc.mi P. D. Timotei Raymundos, Episcopi tit. Chariopolitani . 488-490
90. Exc.mi P. D. Stanislai Courbe, Episcopi tit. Castoriensis, Auxiliaris Parisiensis 490-491
91. Exc.mi P. D. Francisci Auvity, Episcopi tit. Dionysianensis . . 492

PAGG.

92. Exc.mi P. D. Henrici Dupont, Episcopi tit. Dorylaensis, Auxiliaris Insulensis 492-493
93. Exc.mi P. D. Andreae Leclerc, Episcopi tit. Hephaestiensis, Auxiliaris Parisiensis 494-495
94. Exc.mi P. D. Felicis Mariae Verdet, Episcopi tit. Gurzensis, Auxiliaris Nicensis 495-499
95. Exc.mi P. D. Aemilii Blanchet, Episcopi tit. Leriensis 500-501
96. Exc.mi P. D. Henrici Jenny, Episcopi tit. Lycaonensis, Auxiliaris Cameracensis 501-504
97. Exc.mi P. D. Petri Brot, Episcopi tit. Marcianensis 504-505
98. Exc.mi P. D. Alaphridi Ancel, Episcopi tit. Myrinensis, Auxiliaris Lugdunensis 505-520
99. Exc.mi P. D. Antonini Drapier, Archiepiscopi tit. Neocaesariensis in Ponto 520-523
100 Exc.mi P. D. Eliae Vandewalle, Episcopi tit. Olbiatani, Auxiliaris Versaliensis 523-525
101. Exc.mi P. D. Caroli Lamaire, Episcopi tit. Otroeni 525-527
102. Exc.mi P. D. Mauritii Amoudru, Episcopi tit. Pyrgensis . . . 527-530
103. Exc.mi P. D. Iacobi Le Bordier, Episcopi Prienensis, Auxiliaris Parisiensis 530-532
104. Exc.mi P. D. Pauli Montaigne, Episcopi tit. Sidymensis 532-533
105. Exc.mi P. D. Alaphridi Atton, Episcopi tit. Theudalensis, Auxiliaris Aurelianensis 533-534
106. Exc.mi P. D. Petri Fallaize, Episcopi tit. Thmuisani 535-540
107. Exc.mi P. D. Armandi Clabaut, Episcopi tit. Troadensis . . . 540-544

GEDANUM

1. Exc.mi P. D. Caroli M. Splett, Episcopi Gedanensis 547-549
2. Exc.mi P. D. Edmundi Nowicki, Episcopi tit. Thuggensis, Coadiutoris s. d. Gedanensis 549-555
3. Exc.mi P. D. Lech Kaczmarek, Episcopi tit. Alieni, Auxiliaris Gedanensis 555-557

GERMANIA

1. Exc.mi P. D. Ioannis Pohlschneider, Episcopi Aquisgranensis . . 561-568
2. Exc.mi P. D. Iosephi Freudorfer, Episcopi Augustani 568-571
3. Exc.mi P. D. Iosephi Schneider, Archiepiscopi Bambergensis . . 572-577
4. Em.mi P. D. Iulii Card. Doepfner, Episcopi Berolinensis . . . 577-593
5. Exc.mi P. D. Iosephi Schroeffer, Episcopi Eystettensis 593-597
6. Exc.mi P. D. Francisci Hengsbach, Episcopi Essendiensis . . . 597-601
7. Exc.mi P. D. Hermanni Schaufele, Archiepiscopi Friburgensis . . 601-605
8. Exc.mi P. D. Adolphi Bolte, Episcopi Fuldensis 605-608
9. Exc.mi P. D. Henrici M. Janssen, Episcopi Hildesheiensis . . . 609-610

PAGG.

Exc.mi P. D. Henrici Pachowiak, Episcopi tit. Phyteani, Auxiliaris Hildesheiensis
10. Em.mi P. D. Iosephi Card. Frings, Archiepiscopi Coloniensis . . 611-618
11. Exc.mi P. D. Gulielmi Kempf, Episcopi Limburgensis 619-621
12. Exc.mi P. D. Alberti Stohr, Episcopi Moguntini 621-624
13. Exc.mi P. D. Ottonis Spulbeck, Episcopi Misnensis 624-628
14. Exc.mi P. D. Michaëlis Keller, Episcopi Monasteriensis 629-633
15. Exc.mi P. D. Helmut Wittler, Episcopi Osnabrugensis 634-636
16. Exc.mi P. D. Laurentii Jaeger, Erchiepiscopi Pederbonensis . . 637-653
17. Exc.mi P. D. Simonis Landersdorfer, Episcopi Passaviensis . . . 653-655
18. Exc.mi P. D. Michaëlis Buchberger, Archiepiscopi Ratisbonensis . 655-657
19. Exc.mi P. D. Iosephi Leiprecht, Episcopi Rottenburgensis . . . 657-661
20. Exc.mi P. D. Isidori M. Emanuel, Episcopi Spirensis 662-663
21. Exc.mi P. D. Matthiae Wehr, Episcopi Trevirensis 664-672
22. Exc.mi P. D. Iosephi Stangl, Episcopi Herbipolensis 673-674
23. Exc.mi P. D. Aloysii I. Muench, Archiepiscopi tit. Fargensis, Nuntii Ap. in Germania 675-678
24. Exc.mi P. D. Conradi Bafile, Archiepiscopi tit. Fargensis, Nuntii Ap. in Germania 679-681
25. Exc.mi P. D. Gulielmi Sedlmeier, Episcopi tit. Aulonitani, Auxiliaris Rottenburgensis 681-685
26. Exc.mi P. D. Gualteri Kampe, Episcopi tit. Bassianensis, Auxiliaris Limburgensis 685-687
27. Exc.mi P. D. Ioannis von Rudloff, Episcopi tit. Busiritani . . . 687-690
28. Exc.mi P. D. Ioannis Neuhäusler, Episcopi tit. Calydoniensis, Auxiliaris Monacensis 690-709
29. Exc.mi P. D. Ioannis Lenhart, Episcopi tit. Carystensis, Auxiliaris Bambergensis 710
30. Exc.mi P. D. Iosephi Zimmermann, Episcopi tit. Ceryniensis . . 711-712
31. Exc.mi P. D. Friderici Rintelen, Episcopi tit. Chusirensis, Auxiliaris Paderbornensis 713-716
32. Exc.mi P. D. Bernardi Stein, Episcopi tit. Dagnensis, Auxiliaris Trevirensis 716
33. Exc.mi P. D. Pauli Tkotsch, Episcopi tit. Eleuthernensis 717
34. Exc.mi P. D. Iulii Angerhausen, Episcopi tit. Eminentianensis, Auxiliaris Essendiensis 717-721
35. Exc.mi P. D. Bertholdi Bühl, Episcopi tit. Methonensis 722
36. Exc.mi P. D. Friderici Hünermann, Episcopi tit. Ostracinensis, Auxiliaris Aquisgranensis 722-724
37. Exc.mi P. D. Iosephi Reuss, Episcopi tit. Sinopeni, Auxiliaris Moguntini 724-731
38. Exc.mi P. D. Henrici Tenhumberg, Episcopi tit. Tuburnicensis, Auxiliaris Monasteriensis 731-733
39. Exc.mi P. D. Francisci Demont, Episcopi tit. Usinazensis . . . 733
40. Conferentia Episcopalis Fuldensis 734-771